BIBL. NAZ
Vitt. Emanuele III
165
F
16
NAPOLI

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Bononiæ 1729 Munus Cl. Nicolaii Pisis missum.

DISSERTATIONES CAMALDVLENSES

Digitized by Google

Digitized by Google

DISSERTATIONES CAMALDULENSES

IN QVIBUS AGITUR

I. *De Inſtitutione Ordinis Camaldulenſis.*
II. *De Ætate S. P. Romualdi.*
III. *De Viſione Scalæ ejuſdem, et Habitus Mutatione prætenſa.*
IV. *De S. Petri Damiani, et Avellanitarum Inſtituto Camaldulenſi.*

Obiter etiam multa Eccleſiaſticæ, et Prophanæ Hiſtoriæ loca illuſtrantur, et corriguntur.

AUCTORE
D. GUIDONE GRANDO CREMONENSI
MONACHO CAMALDULENSI S. T. D.
REGIÆ CELSITUDINIS COSMI III. MAGNI DUCIS ETRURIÆ THEOLOGO ET MATHEMATICO
Atque in Piſana Univerſitate Publico Philoſophiæ Profeſſore Ordinario.

AD EMINENTISSIMUM, ET REVERENDISSIMUM PRINCIPEM
FERDINANDUM DE ABDUA
S. R. E. CARDINALEM
CAMALDULENSIS ORDINIS PROTECTOREM.

LUCÆ, M.DCC.VII.
Typis Mareſcandoli. *Superiorum Permiſſu.*

Digitized by Google

Digitized by Google

EMIN.ME AC REV.ME
PRINCEPS

QUod omnium nobiliſſimis Urbibus, atque Familiis uſuvenire ſolet, ut ipſarum initia, præ vetuſtate, in obſcuro poſita deliteſcant, primoſque ſui lo-

Digitized by Google

ci, vel generis Heroas, aut penitus ignorent, aut invicem ſępe confundant: id noſtrę pariter Camaldulenſi Reipublicę contigiſſe non eſt quod mireris, FERDINANDE Cardinalis Ampliſſime. Temporum quippe Religionis hujus auſpiciis reſpondentium ea fuit olí ſimplicitas, ea nunc eſt antiquitas, ut nec cum ætatis noſtræ memoria debeat iſta conferri, nec cum diligentia poſſit altera comparari. Solida ſeptem Sęcula, non percurrenda modò, ſed longiùs etiá, quàm vulgò creditur, tranſilienda menti ſe præbent, ut ad no-

ſtræ

ſtrę propaginis originem poſ-
ſit aſſurgere; atque in his quę
tenebrę, qui ſcopuli occurrũt!
Tales occurrunt, ut non ſemel
ad hoc ſcriptionis genus acce-
dentem abſterruerint, ſæpius
intermittere coegerint, ac pe-
nè in totius propoſiti tędium
adduxerint: iis præſertim de-
ficientibus ſubſidiis, quæ huic
negotio maximè neceſſaria vi-
debantur, iis occupationibus
diſtrahentibus, quæ minimè
opportunæ, aut cum his ſtu-
diis conciliabiles cenſeri pote-
rant. Evicit tamen aſſerendæ
aliquando Veritatis amor, evi-
cit Religioni meæ reſtituendi
De-

Decoris ſollicitudo; ut quibuſdam hunc, et illam pariter inficientibus, ex Hiſtoricorum negligentia contractis, falſitatis nævis, quoàd poſſem, abſtergendis conſtanter inſiſterem, ac ſubſecivas horas, jucundioribus ſpeculationibus, quibus me Geometria detinere ſolet; ſubreptas, in hiſce Diſſertationibus ad calcem denique perducendis collocarem. Qua in re quid tandem præſtiterim, et an pro voto metam præcóceptam attigerim, meum non eſt omninò decernere; licèt enim causæ merito ſatis fidam, ſuadet nihilominus imbecilli-

tatis

tatis propriæ cognitio, ut animum magis, quàm ſucceſſum à pleriſque laudandum expectem: nec ſpes tamen deeſt, utrumque ſimul ab æquis harum rerum æſtimatoribus aliqua commendatione fore dignandum, præſertim ſi propitiis oculis hanc opellam Te reſpexiſſe viderint, Princeps Eminentiſſime, quem inprimis Judicem ſcriptorum meorum appello, auſim et Mœcenatem pariter polliceri. Qua enim ſollicitudine Tibi ab Apoſtolica Sede commiſſum Camaldulenſis Ordinis Patrocinium adminiſtras, eadem et has Ca-

maldulẽſes Diſſertationes, ejus Originem, Splendoremque cõcernentes, fore ut benigniſſimè complectaris, minimè eſt dubitandum, quando Tuæ ad fovendas litteras, promovenda ſtudia, meosque præſertim labores gratè excipiẽdos, propenſiſſimę voluntatis, non leve ſaltem indicium, ſed arrhã pleniſſimam toties prębuiſti. Quid enimverò aliud ab excelſo Animo tuo, Doctrinis omnibus, ac Diſciplinis exculto, ſperandum eſſet, quidve ab inſigni Comitate, atque Humanitate tua, ad omnem officium paratiſſima, expectari

poſ-

poſſet, non cùm bonarum Artium præſidio, non cum Sciétiarum favore conjunctum? Teſtes ſunt latiſſimæ Provinciæ, quarum Imperij habenas, vel difficillimis Eccleſiæ, et Reipublicæ temporibus, incredibili ſemper ſapientia, ac prudentia tamdiù rexiſti; atque ita rexiſti, ut in admirationé, commendationemque [parum dixi] in amorem tuarum Virtutum univerſos Fidei, ac Vigilantiæ tuæ creditos populos facilè traxeris. Teſtes etiam omnes D. Romualdi familiæ, Camaldulenſis Ordinis appellatione comprehéſæ, pro qua-

rum felici regimine, ac conti-
nuo profectu dum aſſiduè la-
boras, ita Zelum Æquitate,
Æquitatem temperas Huma-
nitate, ut Te non minùs Pa-
trem amantiſſimum cuncti di-
ligant, quàm juſtiſſimum Præ-
ſidem ſinguli venerentur. Te-
ſtis demùm ipſemet accedere
poſſum, qui, ſiquid ſum, tuo
potiſſimùm Beneficio, ac Be-
nevolentia, id ut eſſem ſum
conſecutus, meque totū Tibi
propterea debitum ſincerè a-
gnoſco, nedum leves has Diſ-
ſertatiunculas, quas Tuo No-
mini conſecrandas decrevi, ut
mei erga Te obſequii, Tuique
in

in me Patrocinii aliquod etiam apud poſteros monumentum extaret. Vale, et Eccleſię Ornamento, Reipublice Utilitati, Ordiniſque noſtri Præſidio diutiſſimè vive, quod ex animo Tibi apprecatur, ad oſculum Sacræ Purpuræ tuis pedibus advolutus.

EMINENTIÆ TUÆ

Humillimus, Addictiſſimus, et Obſequentiſſimus
Servus, ac Subditus
D. Guido Grandus Mon. Camal.

Digitized by Google

INDEX
Diſſertationum, et Capitum hujus Operis.

DISSERTATIO I.
De Inſtitutione Ordinis Camaldulenſis.

CAPUT I. Controverſiæ ſtatus, Diſſertationis ſcopus, et neceſſitas aperitur. pag. 3.
CAPUT II. Præjudicium ab Nominis Camaldulenſis æquivocatione profectum avertitur. 13.
CAPUT III. Ex B. Petro Damiano Romualdum in Aquitania ſui Ordinis fundamenta jeciſſe demonſtratur. 41.
CAPUT IV. Idem ex S. Romualdi Inſtituto oſtenditur. 38.
CAPUT V. Romualdus omnium Eremitarum Pater ab ipſis ſuæ Converſionis initiis inſtitutus. 92.
CAPUT VI. Objectiones adverſæ Opinionis refellũtur. 105.

DISSERTATIO II.
De Ætate S. P. Romualdi.

CAPUT I. Quæſtionis Status, et variæ Authorum ſententiæ. pag. 3.
CAPUT II. Supra relatæ Bollandianæ ſententiæ confutatio. 16.
CAPUT III. Probabilis conciliatio juxtà noſtram ſententiam pro-

proponitur, et Honeſtus Petri Coepiſcopus fuiſſe ſuadetur. 32.
CAPUT IV. *Ex S. Ioannis Gualberti Hiſtoria, Romualdus poſt annum* 1027. *vivus evincitur.* 41.
CAPUT V. *Ex B. Caſimiro Poloniæ Rege S. Romualdus poſt annum* 1027. *ſuperſtes iterum oſtenditur.* 57.
CAPUT VI. *Ex Ædificatione Camaldulenſis Eremi Romualdum poſt annum* 1027. *vixiſſe conïicitur.* 64.
CAPUT VII. *Ab adverſis difficultatibus noſtra hypotheſis vindicatur.* 75.
CAPUT VIII. *Noſtram hypotheſim nonniſi ut probabilem proponi, atque aliis conciliationibus, quæ hic afferuntur, locum relinquere.* 92.

APPENDIX

Duas Tabulas Chronologicas exhibens præcipuorum S. Romualdi Geſtorum, juxtà varias hypotheſes de anno Mortis ejuſdem.

TABULA I. *Chronologica juxtà Syſtema Capite III. expoſitum, et ſequentibus explicatum.* 103.
TABULA II. *Chronologica cohærenter ad communem hypotheſim de Morte S. Romualdi anno* 1027. *Interim compoſita Controverſia de tempore Honeſti, juxtà aliquam ex quatuor Conciliationibus Capite VIII. indicatis.* 119.
NOTÆ *Ad duas Tabulas præcedentes.* 137.

DIS-

DISSERTATIO III.
De Viſione Scalæ S. Romualdi, et Habitus Mutatione prætenſa.

CAPUT I. *Exponitur, et propugnatur Auctoris Propoſitum.* pag. 3.

CAPUT II. *Expoſitæ Viſionis, et Mutationis habitus traditioni mirandum Petri Damiani de utraque ſilentium opponitur.* 10.

CAPUT III. *In Thedaldi, Rodulphi, Martini, Gherardi, Bonaventuræ, aliiſque vetuſtis monumentis, prætenſa Viſionis Romualdi, et Mutationis habitus Traditio fruſtra quæritur.* 25.

CAPUT IV. *Vetera Picturarum, et Scriptorum monumenta ab anno* 1365. *ad* 1500. *de eodem Argumento occurrentia expenduntur.* 42.

CAPUT V. *Reliqua ab initio ſæculi ſextidecimi, uſque ad Hiſtoriam Fortunii occurrentia monumenta examinantur.* 61.

CAPVT VI. *Fortunii aſſerta referuntur, ac refelluntur.* 79.

CAPVT VII. *Prima obiectio eliditur, et color albus à noſtris Monachis ex antiquo retentus, non ex nigro mutatus aſſeritur.* 104.

CAPVT VIII. *Reliquæ Obiectiones diſcuſſæ: ubi et de Breviarii Auctoritate, ac de Negativi Argumenti robore diſſeritur.* 131.

EPISTOLA *Ad Clariſſimum, Illuſtriſſimumque Virum Antonium Magliabechium, Magni Ducis Etruriæ Bibliothecarium.* 155.

Digitized by Google

DISSERTATIO IV.
De S. Petri Damiani, et Avellanitarum Inſtituto Camaldulenſi.

CAPUT I. *Scopus, Argumentum, et Occaſio ſcribendi. pag.* 3.

CAPUT II. *Avellanenſis Eremi exordium, et Inſtitutio à S. P. Romualdo dependens.* 11.

CAPUT III. *Avellanitarum, et Camaldulenſium Inſtituti comparatio.* 22.

CAPUT IV. *Aliæ Avellanitarum, et Camaldulenſium convenientiæ.* 36.

CAPUT V. *Camaldulenſium, et Avellanitarum affinitas aliis momentis illuſtratur.* 53.

CAPUT VI. *B. Petrus Damiani inter S. Romualdi diſcipulos, atque in ejuſdem Monaſteriis potiſſimùm vixit.* 67.

CAPUT VII. *Præcipua Laderchii argumenta confutantur.* 88.

CAPUT VIII. *Reliqua à Laderchio objecta diſcutiūtur.* 106.

APPENDIX *Nonnullas animadverſiones in Hiſtoriam Petri Damiani à Laderchio ſcriptam complectens.* 121.

CAN-

CANDIDO LECTORI.

CAutum Areopagi legibus fuerat, ne quis, in forenſi cauſarum pertractatione, ullo Judices præveniret exordio, quod ipſorum animos, ex arte affectuum moderatrice, ullam in partem flecteret, atque ad amorem vel odium, iram aut commiſerationem diſponeret. Hanc ego Sapientiſſimorum Virorum prudentiam imitaturus, quidpiam Diſſertationibus meis, præludii loco, proponere ſuperſedebo, ut ſincero, infucatoque, ac nullis partium ſtudiis præoccupato animo, ad attentam ipſarum diſcuſſionem, *Candide Lector*, accedas. Non eſt igitur, cur in ipſo limine pluribus te detineam, præſertim cùm totius Operis ſcopum, et Auctoris intentionem, quæ duo in generalibus Librorum Præfationibus potiſſimùm exponenda videntur, ex primo ſingularum Diſſertationum capite ſis facillimè intellecturus.

Ne tamen ab hujus Voluminis lectione, quaſi res nõ magni momenti, vel ad eruditionem fortaſſe tuam non facientes, complecteretur, ipſo CAMALDULENSIUM DISSERTATIONUM titulo, retraharis: animadvertas velim, Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ, cujus hodie ſtudium, et utilitate præcipuum, et jucunditate præſtantiſſimũ ab omnibus meritò commendatur, plenam, perfectamque notitiam, ſine accurata Monaſticarum Originum cognitione, obtineri omninò non poſſe: cùmque inter omnes Monachorum propagines puſilla hæc Divi

ROMUALDI Familia, et antiquitate, et nobilitate nulli ſecunda ſit, haud penitus contemnenda eſſe quæ ad ejus Inſtitutionis Syſtema firmandum, diſtinguendum, illuſtrandum, atque à commentitiis circumſtantiis repurgandum conducunt. Quamquàm non hiſce dumtaxat limitibus Operis hujus utilitas coercetur, cùm non pauca Chronologiæ Epiſcoporum, Principum, aliorumque Virorum Illuſtrium, controverſa capita hìc obiter expendantur, ac veroſimili ſaltem ratione determinentur. Sed et ipſam ſecernendæ Veritatis hiſtoricæ methodum, ac generalia principia eò pertinentia hinc facilè elicies, et quis eorum uſus in hoc ſcribendi genere ſit faciendus, intelliges.

Porrò, etſi à receptis nonnullorum Scriptorum placitis, et ſententiis quandoque recedere videar, id nec citra Veritatis aſſerendæ neceſſitatem, nec præter modeſtiæ, ac moderationis leges à me admiſſum eſſe deprehendes, qui nullum propterea debita ejus nomini veneratione fraudare in animo habui. An ipſe interim inoffenſo pede quadripartitum hoc ſtadium ita percurrerim, ut à nullo viciſſim redargui merear, mihi (præterquàm in Geometricis Libris) polliceri certè non auſim, cùm ſolos Mathematicos ad aſpectum, et colloquium, nullo interpoſito ſipario, Veritas admittat, alijs Scriporibus ſe velut è nube videndam, et audiendam præbens, ad quos ſæpe non tam vox ipſa, quàm vocis ſpecies quædam ſemilanguida, ſubobſcura, et ambiguis interpretationibus obnoxia, è tanto intervallo, remittitur, cui nihilominùs aures prudenter accomodant,

om-

omnemque, in ea referenda, reprehenſionis aleam evadunt, ſi non quaſi certam, ac penitus exploratam, ſed probabilem, nec planè ruinoſis, aut nullis fundamentis ſuffultam doctrinam ſe tradere fateantur.

Qualecunque interim de præſentibus Diſſertationibus meis judicium ab Eruditis ferendum ſit, non admodùm anxius expectabo. Scio propitium hactenus à Summis Viris me retuliſſe, quibus Tertiam Diſſertationem ante omnia communicare placuit, quum de illa, pluribus momentis urgentibus, eſſem præcipuè ſollicitus. Nec tamen publicum ipſorum ſuffragii teſtimonium, quod reddere paratiſſimi erant, colligere curavi, ne quæſitis aliorum commendationibus auram famæ captare viderer, ac, vana oſtentatione, mei nominis gloriam aucupari. Sufficiat monuiſſe, eam ipſam Tertiam Diſſertationem, ſpeciali Epiſtola (quæ ibidem pag. 155. affertur) Clariſſimi ANTONII MAGLIABECHII Reg. Celſ. Magni Ducis Etruriæ Bibliothecarii purgatiſſimo judicio ſubiectam, tanti Viri, incomparabilis Litterariæ Reipublicæ Luminis, ac Litteratorum omnium Principis, calculo probari meruiſſe, ut ex humaniſſimis ejus Epiſtolis ad me datis liquet, in quibus illam *Doctiſſimam, Eruditiſſimam, Accuratiſſimamque* non ſemel appellare dignatur, ac talem, *cui nihil, niſi aut penitus ineptum, aut à me jam evidentiſſimè confutatum, opponi poſſe videatur.*

Cæterùm non eſt quod mireris, me Philoſophicis, ac Mathematicis ſpeculationibus, ex injuncto publicè, privatimque docendi munere, continuè occupatum, ad hæc nihilominùs Hiſtorica divertere, eademque ver-

ſare

ſare animo potuiſſe; hunc enim meorum in Camaldulenſem Hiſtoriam iuvenilium ſtudiorum fructum, ne illa penitus interciderent, Amicorum votis, precibuſque concedere par fuerat, ipſaque temporis opportunitas exigere videbatur: nec tamen hæc per ſe ſola obtinuiſſent, ut ejuſmodi Lucubrationibus, tot inter curas me aliò avocantes, ordinandis, perficiendiſque, conſtantem operam impenderem, niſi Sereniſſimus ipſe COSMUS III. Magnus Etruriæ Dux ſtimulos addidiſſet, qui pro ſuo in Eccleſiaſticâ Hiſtoriam, et quidquid res ſacras reſpicit, incredibili ſtudio, affectuque ſingulari, divinum tanti Principis animum, humanis omnibus ſupervectum indicante, ſuſceptum à me de hoc Argumento conſilium, et olim commendavit, et ſæpiùs, ſumma benignitate, ad ejus Regiæ Celſitudinis præſentiam admiſſo in memoriam revocare non deſtitit, uſquedum prælo jam commiſſa Commentaria hæc intellexit. Meæ tamen partes fuerunt, ut non idcircò de Philoſophicis, Mathematiciſque exercitationibus meis quidpiam remitterem, ſomno potiùs, et otio, quàm debito, et officio perituras temporis particulas ſubripiens, ut nedum publicæ Prælectiones, domeſticæque ſtudioſæ Juventutis Inſtitutiones quotidianæ teſtantur, ſed et Epiſtolarum cum ſummis ævi noſtri Geometris continuata cõmercia, deque rebus in ea facultate difficillimis expedita Reſponſa, quàmprimùm, Deo favente, in lucem aſſerenda, ubi illa Geometrico *De Novis Lineis Curvis* Tractatu collegerim, quem (ut alios quondam editos) divinæ huius Scientiæ cultoribus utillimũ, jucundiſſimum, gratiſſimumque fore confido. Vale.

Fa-

Facultas Reverendiſſimi Patris Generalis.

NOs D. Petrus Franciſcus Gallicius Venetus, Abbas Generalis totius Ordinis Camaldulenſis, facultatem concedimus, quatenus Opus inſcriptum: DISSERTATIONES CAMALDVLENSES &c. à Patre D. Guidone de Grandis Monacho Camaldulenſe, ac Lectore Publico Vniverſitatis Piſarum, ſervatis de jure ſervandis, poſſit Typis mandari. In quorum fidem &c.

Datum ex noſtro Monaſterio SS. Hyppoliti, et Laurentii de Faventia, 17. kal. Novembris 1706.

D. Petrus Franciſcus Gallicius Abbas Generalis ſuprad.

Locus ✠ Sigilli

D. Severus Erteli Abbas Cancellarius Camald.

Digitized by Google

DISSERTATIONES CAMALDULENſES ab Adm.Rev. P. D.Guidone Grando ejuſdem Ordinis Monacho, et eximio Theologo, nec non in Piſano Lycæo Publico Philoſophiæ Profeſſore, miro ordine ingenioſè concinnatas, atque plurium Authorum teſtimoniis ſolidè firmatas, accuratè perlegi; Cumque in eis nihil aut fidei, aut moribus contrarium repererim, digniſſimas cenſeo, ut ad communem legentium, et audientium utilitatem Typis mandentur.

Datum Lucæ in Conventu S. Romani Die 12. Novembris 1706.

Fr. Antoninus Garzoni Magiſter, et Librorum Cenſor.

IMPRIMATUR
Vincentius Torre Vic. Gen.

Laurentius Manſi pro Illuſtriſs. Magiſtratu ſuper Juriſdictione.

Digitized by Google

DISSERTATIO PRIMA
DE INSTITUTIONE
ORDINIS
CAMALDVLENSIS

Digitized by Google

Digitized by Google

DE INSTITVTIONE
ORDINIS
CAMALDVLENSIS

CAPUT I.

Controverſiæ ſtatus, Diſſertationis ſcopus, et neceſſitas aperitur

SYNOPSIS.

Romualdum Camaldulenſis Ordinis Auctorem omnes agnoſcunt, de tempore dumtaxat, et loco dubitatur. n. 1. Prior, et antiquior ſententia de inſtitutione Ordinis ante milleſimum. 2. Varij auctores pro hac ſententia laudati. 3. Altera opinio ad annum 1012. eam iuſtitutionem differens. 4. Auctoris ſui confeſſione recentiùs excogitata oſtenditur. 5. De opinionis huius veritate iure dubitari, cùm ipſam novitas ſuſpectam reddat, nec alterius opinionis argumenta refellerit, ſed excuſarit poſte-

Digitized by Google

DE INSTITVTIONE ORDINIS CAMALDVLENSIS

CAPUT I.

Controverſiæ ſtatus, Diſſertationis ſcopus, et neceſſitas aperitur

SYNOPSIS.

Romualdum Camaldulenſis Ordinis Auctorem omnes agnoſcunt, de tempore dumtaxat, et loco dubitatur. n. 1. Prior, et antiquior ſententia de inſtitutione Ordinis ante milleſimum. 2. Varij auctores pro hac ſententia laudati. 3. Altera opinio ad annum 1012. eam inſtitutionem differens. 4. Auctoris ſui confeſſione recentiùs excogitata oſtenditur. 5. De opinionis huius veritate iure dubitari, cùm ipſam novitas ſuſpectam reddat, nec alterius opinionis argumenta refellerit, ſed excuſarit poſte-

rioris ſententiæ anteſignanus Fortunius, quem hoc loco eius interpres Minius deſerendum cenſuit. 6. Voce tenus ſecundam ſententiam præcipui illius auctores amplexati ſunt, cùm reipſa in veteri perſtiterint. 7. Inconſequentia nonnullorum notata. 8. Veritas tandem emerſura opportuniùs à noſtris eruenda. 9. Scriptori nihil timendum in aſſertione veritatis, quibuſvis imaginationibus præferenda. 10.

1 SAtis inter omnes convenit, Camaldulenſis Ordinis inſtitutionem Divo ROMUALDO acceptam referri debere; verùm quo tempore, quo loco, quane occaſione primitias Familiæ ſuæ collegerit Vir Sanctiſſimus, et huius Clariſſimæ Monachorum, Eremitarumque Congregationis fundamenta poſuerit, variæ circumferuntur graviſſimorum auctorum ſententiæ, quas ad duas præcipuas reduci poſſe video, eaſque in præſenti diſſertatione mihi examinandas aſſumo, illam, quæ [omnibus æquo iudicio perpenſis] veroſimilior, immò unicè vera, mihi ſemper apparuit, alteri præpoſiturus, ſuiſque rationum momentis confirmaturus.

II. Prima, eaque, ut num. 5. conſtabit, omnium antiquior opinio Romualdum Ordinis ſui iam Auctorem longè ante annum Chriſti milleſimum recognoſcit, putà circa annum 960. (admiſſa, ut variæ ſententiæ comprehendantur, ne in ſingulis referendis, cum Lectorum tædio, immoremur, 20. ſaltem annorum ultrà, citràque excurrentium latitudine, ob inſuperabiles chronologicas diffi-

Digitized by Google

difficultates, quæ S. Patris ætatem comitantur, de quibus in Diſſertatione II. agendum erit) quo nimirum tẽpore primos diſcipulos ſuos, Petrum Urſeolum, Ioannẽ Gradenicum, alioſque Vitæ Eremiticæ Legibus cępit imbuere, adeòque in extremis Galliarum partibus prope S. Michaelis Cuſani Cænobium, ut ex ſerie vitæ eiuſdem S.P.N. Romualdi à B. Petro Damiani deſcriptæ locis infra citandis, colligitur.

III. Subſcripſere huic ſententiæ Paulus Iuſtinianus in conſtitutionibus, ſeu regula vitæ eremiticæ cap. 1. dicẽs: *Totum hoc tertium eremiticæ converſationis genus à ſanctiſſimo Viro Eremita, Eremitarumque omnium Patre, et Inſtitutore Romualdo, divina S. Spiritus illuſtratione afflato, anno poſt ſaluiferam divini verbi incarnationem 940. adinventum fuit*. Bernardinus Gadolus ſingulari opuſculo de Origine, et ſucceſſu Ordinis Camaldulenſis ad Iacobum Philippum Bergomatem, in Bibliotheca S. Michaelis Murani mſſ. aſſerens, quòd *Ordo Camaldulenſis circa annum Dominicæ Repromiſſionis noningenteſimum quinquageſimum initium ſumpſit*. Venturas Atheſtinus dialogo primo de Balneis Calderij; Lucas Hiſpanus hiſtoriæ Romualdinæ l. 1. c. 5. Archangelus Haſtivillius eius interpolator ſimili opere, et loco. Cardinalis Cæſar Baronius tom. 10. ad annum 974. Stephanus Demalevicius in vita S. Bogumili cap. 29. Thomas Minius in vitis SS. Ioanis, et Benedicti, nec non in cathalogo Sanctorum Ordinis Camaldulenſis, ac rurſus in hiſtoriis Camaldulenſibus Mſſ. quæ in bibliotheca Angelorum Florentiæ aſſervantur, lib. 1. cap. 13. et l. 2. cap. 4., aliique paſſim, quibus noviſſimè acceſſit eruditiſſimus

mus, ac ſapientiſsimus Vir Ludovicus Thomaſinus in egregio Opere, veteris, ac novæ Eccleſiæ diſciplinam de Beneficiis illuſtrante, ubi p. 1. l. 3. c. 25. n. 7. hæc habet: *Sed non intra Benedictinæ Regulæ cancellos cobiberi potuit fervor perficiendæ, et ad ſummum apicem impellendæ Monaſticæ perfectionis. Romualdus anno* 974. (ex margine) *longe plurimorum in Italia cætuum Auſpex, Parenſque fuit, qui invias, aſperrimaſque ſolitudines Anachoretarum gregibus frequentarunt, &c.*

IV. Altera opinio eſt, quam Auguſtinus Fortunius Monachus Angelorum Florentiæ in ſua luculentiſsima Camaldulenſi Hiſtoria, vel primus propoſuit, vel certè inter primos vulgavit, eamque ex ipſo Ractius noſter, ac cæteri demùm exteri Scriptores, quaſi indubiam Ordinis noſtri Traditionem, à Primario eius Hiſtorico productam, nullo adhibito examine, paſsim excepere, ut iam vulgò communior habeatur; docet autem, poſt annum Chriſti milleſimum, nempe quibuſdam circa annũ Domini 1008. pleriſque verò paſsim ad annum 1012. [quamquàm id aliquantò ſeriùs fortaſſe contigit, ex dicendis diſſertatione II. cap. 6.] Romualdum in altiſsimis Apennini iugis, quibus Ethruria ab Æmilia secernitur, eo ipſo in loco, ubi nunc ſacratiſsima Camalduli Eremus viſitur, prima ſui Ordinis fundamenta ieciſſe, ob admirabilem Scalæ Viſionem ipſi (ut tradunt) per ſomnum obiectam, per quam albeſcentes monachi aſcendere videbantur, unde occaſionem à Sanctiſsimo Viro ſumptã fuiſſe ſibi perſuadent, candido ſchemmate ſe, ac ſuos deinceps diſcipulos, nigris abiectis cucullis, quibus eatenus uſos fuiſſe ſupponunt, induendi, eundemque colorem

ad

ad poſteros ſuos, præcipuæ hæreditatis nomine, tranſmittendi, qualem hodiedum retinemus, et in omni veſtium genere ſumma religione ſe conſervare fatentur, quotquot tam in ſolitudinibus, quàm in cænobiis, Camaldulenſis Nominis appellatione gloriantur.

V. Quam quidem ſententiam novam eſſe, præ veteri illa, quam num. 2. retulimus, tum patet ex auctoribus Fortunio faventibus, quorum nullum Fortunio antiquiorem reperire potuimus, tum ex ipſiusmet Fortunii confeſsione liquet, quatenus Hiſtoriarum Camaldulenſium. p. 1. l. 1. c. 27 poſt completam ſuæ, circa Ordinis Camaldulenſis originem, hypotheſeos expoſitionem, ſic demùm concludit: *Non me latet, multos Originem Camaldulenſium longe antea factam monimentis prodidiſſe, quos et Venturas Atheſtinus Monachus noſter (qui et de inſigne quoque Malduli diverſa ſcribit) inſectatus eſt. Sed enim ea opinio excuſatione digna eſt, utpote inde pie deducta, quod S. P. Romualdus ante annum milleſimum tot plurima, quot prædiximus, iam ſancta converſationis conſtruxerat loca.* Ubi dum Fortunius multos Camaldulenſium originem longè ante milleſimum factam tradidiſſe fatetur, atque his nullum opponit, qui ſecum ſenſerit eandem poſt milleſimum factam, utique opinionis anteà inauditæ Architectum, vel certè paulò anteà confictæ Patronum ſe oſtendit: optandum verò fuerat, ut ſicut alteram antiquiorem opinionem (quæ ſua indulgentia eſt) *excuſatione dignam cenſuit*, ita (quæ ſuæ erant partes) refutatione aliqua dignaretur.

VI. Interim ex hoc loco apertè colligitur, non eſſe nos temeritatis, aut novitatis inſimulandos, ſi utramque

ſen-

ſententiam iterum examini ſubiicere, et priorem poſteriori, utcunque magis receptæ, præferre in hoc tractatu conabimur, quandoquidem *Novitatis* character non primæ, ſed ſecundæ opinioni, ex Primarii Auctoris ſui confeſsione relictus, hanc, non illam erroris ſuſpectam reddit: nam, ut ait Tertullianus adverſ. Marcion. l. 4. c. 5. *Id verius, quod prius, id prius, quod ab initio*, quum veritas eò purior, et ſincerior habenda ſit, quò vetuſtior, et ſuo fonti proximior; præſertim cùm priorem illam antiquiorum, et graviſsimorum ſcriptorum ſententiam adeò non refellat ipſe Fortunius, dum ſuam recèns inventam nobis obtrudit, ut optimis potius fundamentis innixam ipſemet aſſerat, ingenuè faſſus, *inde piè deductam, quod Romualdus ante annum milleſimum tot plurima ſanctæ converſationis conſtruxerat loca*, quæ ad eiuſdem Romualdi ordinem cur non pertinere dicenda ſint, æquè ac illa, quæ poſt Camaldulenſis Eremi fundationem excitata ſunt, nulla poſtmodùm rationis umbra nobis it perſuaſum, ſed rem quaſi exploratiſsimam in medio relinquit, nec in ipſamet apologia hiſtoriarum ſuarum, quam adversùs Lucam Hiſpanum poſt 17. annos idem Fortunius adornavit, cauſam hanc maioribus momentis fulcire conatur, ut ex dicendis ſuo loco fiet omnibus manifeſtum: nunc autem vel ex hoc colligere licet, quòd Thomas Minius in ſua MS. Hiſtoria Camaldulenſi, quæ in ornatiſsima Angelorum Bibliotheca aſservatur, etsi Fortunii Paraphraſtem, et in quibuſdam Ampliatorem dumtaxat agere videatur, integris eius capitibus ex latino in ethruſcum idioma ita converſis, ut ipſiſmet Fortunij verbis religio-
ſiſsimè

fiſsimè inſiſtat, nihilominùs, ubi clauſulam Fortunij, *Non me latet &c.* Superiori num. adductam italicè ſic reddidit: *Non mi è aſcoſo, che alcuni iſtorici danno principio alla noſtra Religione Camaldoleſe avanti queſto tempo dell' anno* 1012, *fra quali il Sabellio Nobile Iſtorico Viniziano gli dà l' origine di gran tempo avanti all' anno milleſimo, e D. Ventura Minardi da Eſte noſtro Camaldoleſe nella deſcrizione dè Bagni di Calderia Veroneſi ſcriſſe il medeſimo:* Statim à Fortunij ſententia deflectens, eiuſque excuſationem in argumentum, quo vetuſtior ſententia confirmari merebatur, aſſumens, ſubdit: *nel qual parere concorro ancor io, come di ſopra ho dimoſtrato, che il P. S. Romualdo cominciò a edificare Monaſterii, et avere diſcepoli intorno all' anno* 970, *eſſendo chiariſſimo, come afferma il Damiano, che avanti, che il P. noſtro S. Romualdo edificaſſe Camaldoli, aveva edificato più di cento, fra Eremi e Monaſterii.*

VII. Imò, ut quod res eſt ſemel dicam, ne ſeriam quidem operam in hac nuperiori ſententia inſtauranda collocaſſe viſi ſunt eius Auctores, et ſola novitatis ſpecie, vocumque homonymia contenti, fucum lectoribus facere voluiſſe deprehenduntur, majorem licèt, quàm ab initio ſperaſſent, et quàm ſuà intereſſe videbant, fidem plauſibilis apud vulgus fabula invenerit: Enimverò ſi attentiùs eiuſdem Auguſtini Fortunii [et Sylvani Ractii eius aſſeclæ] libros evolvamus, conſtabit, ipſos æquè, ac omnes alios Camaldulenſes Scriptores, verbo tenùs novam ſententiam ſecutos, re tamen ipſa in veteri perſtitiſse; quatenus ſcilicet (præter illud, quod cap. ſeq. num. 14. ex Fortunio notabimus) inter Sanctorum Camaldu-

lenſium album, et illos S. P. Romualdi Diſcipulos recenſent, qui ante annum Chriſti milleſimum floruere, vel ante Camalduli ædificationem mortalitatem exuerūt, ut ſunt B Petrus Urſeolus, S. Bonifacius, SS. Ioannes, et Benedictus &c. Hoc enim eſt, facto ipſo comprobare, quòd ex tunc Ordinem ſuum Romualdus fundaverit, ex quò primos diſcipulos ſuæ diſciplinæ rudimentis inſtruxit, non ex unius Eremi Camaldulenſis conſtructione poſteriùs facta, quum prorſus incompoſsibilis ſit nova hæc hypotheſis, de Camaldulenſium Inſtituti, et Habitus origine ad annum 1012. dumtaxat relata, cum aſſertione, quòd Viri illi ſanctiſsimi, annis circiter 990, 1008, 1005. reſpectivè pridem demortui, ad eumdem Camaldulenſium Ordinem pertineant, quem 10, aut 20. poſt annos Romualdus primùm inſtruxerit.

VIII. Atque hìc ego ſatis mirari non poſſum quorumdam ſupinitatem, qui ex una parte gravatim ferentes, quòd Arnoldus Vvion ligni vitæ lib. 1. c. 27., et ex illo Hyeronymus Fabri in ſacris Ravennæ monumentis, alique rotundo ore prædictos ſanctos Camaldulenſium inſtituti fuiſse negent, iuſto in hos ſcriptores zelo exæſtuant, eorumque audaciam aliqua tandem apologia reprimendam ſuadent: ſed cùm ex alia parte à Camaldulenſis Eremi inſtitutione totius Ordinis fundationem ſecernendam audiunt, et Viſionem tantoperè deprædicatam, aut nullam eſse, aut huc nullatenus pertinere, ex nobis intelligūt, nos quaſi venerandæ alicuius traditionis conculcatores traducunt, omnem hiſtoriæ fidem per nos ſubvertendam inclamant, piaculum eſse vel de his litem movere, quæ

etsi

Digitized by Google

etsi falſa ſint, piè tamen creduntur, et ſemel in vulgus ſparſa, abſque vulgi offenſione retractari non poſſe ſibi perſuadent; cùm tamen, ut innui, hæc invicem adeò connexa ſint, ut quiſquis ſeriò perpenderit, videat non aliter infirmari poſſe illorum Scriptorum optimas, et legitimas conſequentias, ex communiter admiſsis Fortunij, et Ractij principiis rite deductas, quam ſi ipſamet principia, unde illæ fluunt, ſolidè refellantur, ut refelli certiſsimè poſſunt, merentur, ac debent: poſſunt, quia falſa: merentur, quia nova: debent, quia non ſine maximo Ordinis detrimento, eiuſque dignitatis, et amplitudinis præiudicio primùm recepta ſunt, et adhucdum retinentur: ut hic locum habere meritò queat illud Auguſtini de adulterinis Coniugijs. l. 2. c. 4., quamquàm alio propoſito prolatum, *muta ergo antecedentia, ſi vis cavere ſequentia*.

IX. Denique cùm eius indolis veritas ſit, ut non diutiùs latere ſe patiatur, ſed aliquando tandem emergens in lucem erumpat, ſi à me pariter, ut ab alijs noſtris ſcriptoribus, inanis ſcrupuli prętextu, diſsimularetur, verendum eſſet, ne ab extraneis hominibus, hac præſertim ętate Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Criticis eruditiſsimis adeò referta, figmenti huius reijciendi provincia præoccuparetur, nosque omnes in re tanti momenti, vel ignavi torporis, vel oſcitantiæ redargueremur, quòd rem ad nos maximè pertinentem tot fabulis involutam manere permiſerimus, quum omnium maximè nobis è noſtris anecdotis documenta idonea ſuppeterent, quibus quidquid falſi in hypotheſim Fortunij irrepſerat, revinceremus;

ſatius itaquè fuit, ut argumenti huius tractationem in me ſuſciperem, et quamlibet operam meam ad illud ante alios pleniùs illuſtrandum conferrem; Non quòd inter nos plures non occurrerent, cùm auctoritate, tum dignitate longè ſuperiores, qui maiori eruditione, et eloquentia eandem provinciam implere potuiſſent, ſed quòd, iis varia occupationum mole diſtractis, intempeſtivum iam videretur ſilentium longiùs protractum, quod ab aliquo tandem abrumpi congruum erat, ſin minùs ut firmo præſidio cauſa hæc fulta maneret, at ſaltem ne omnino deſerta relinqueretur.

X. Ipſa profectò veritas, quæ primos mihi ad ſcribendum ſtimulos addidit, confidentiam inſuper elargitur, qua ſperare auſim, non veniam modò, ſed et gratiam ab æquis rerum æſtimatoribus me ob hanc lucubratiunculam reportaturum; nec enim hi dedignabuntur, poſtquàm, omni mentis præiudicio depoſito, evidentiſsimarum, quibus ad reſtituendam, et confirmandam veterem ſententiam utor, rationum momenta diligenter expenderint, eidem ſuffragium ſuum perlibenter adiicere; cæteros verò, ſiqui futuri ſint [fortaſſe autem non deerunt] quibus noſtri conatus adeò non gratè accipiendi videbuntur, ut iis ne quidem perlectis averſam manum cum ludibrio ſint obtenturi,

Vel quia nil rectum, niſi quod placuit ſibi, ducunt,
Vel quia turpe putant parere minoribus, et quæ
Inberbes didicere, ſenes perdenda fateri,

ut ait Horatius epiſt. l. 2; Hos, inquam, adeò non moror, ut aliquam fortunæ, et honoris partem rear, eiuſ-

modi

modi geniis non placuiſſe, illiſque dumtaxat hoc Auguſtini monitum, ad hoc propoſitum maximè faciens, conſiderandum relinquo: *Non ſit Religio noſtra in phantaſmatibus noſtris, melius eſt enim qualecunque verum, quàm omne quidquid pro arbitrio fingi poteſt; melior eſt vera ſtipula, quàm lux, inani cogitatione pro ſuſpicantis voluntate formata.*

CAPUT II.

Præiudicium ab Nominis Camaldulenſis æquivocatione profectum avertitur.

SYNOPSIS.

Confuſa cum Ordinis inſtitutione Camaldulenſis Eremi fundatio. 1 *Religiones aliunde originem, aliunde nomenclaturam paſſim derivant.* 2. *Exempla in Clericalibus.* 3. *In Monaſticis.* 4. *In ipſiſmet Camaldulenſibus.* 5. *Camaldulenſe Nomen unius Eremi, non Perſonarum, vel Ordinis univerſi fuerat tempore D. Romualdi.* 6. *Id ex Petro Damiano oſtenditur.* 7. *Item ex Alexandro II. et Gregorio VII. ac vetuſtis contractibus.* 8. *B. Rodulphus ſoli Eremo Camaldulenſis nomen adiicit, non univerſæ Congregationi, nullamque in alia loca à Romualdo fundata auctoritatem illi tribuit.* 9. *Primi Priores ſacræ Eremi pro totius Ordinis Generalibus nequaquam agniti.* 10. *Primos Diſcipulos S. Romualdi, eius Ordinis, quem nunc Camaldulenſem dicimus, meritò nuncupari, anteà Romualdinos*

dinos vocatos. 11. *Lucæ Hiſpani id aſſerentis auctoritas.* 12. *Paſcalis II. privilegio S. Eremi Prior B. Guido in Generalem Ordinis primò evectus, pleriſque locis in unum Camaldulenſem Ordinem convenientibus.* 13. *Alia tamen loca à S. Romualdo fundata ſuam libertatem conſervaſſe, Fortunio fatente id ſaltem in Vallecaſtrenſibus Monachis contigiſſe.* 14. *Imò et plura loca Eremo Camaldulenſi unita Priorum Camaldulenſium iugum detrectaſſe pluribus exemplis oſtenditur.* 15. *Nec tamen à nobis horum contumaciam approbari, ſed Lucæ Hiſpani teſtimonio confirmando adhiberi.* 16. *Fortunij in hunc Hiſpani locum cenſura.* 17. *Refellitur.* 18. 19. 20. *Duplex Camaldulenſis nominis acceptio à Fortunio confuſa.* 21. *Quo ſenſu Fortunij aſſerta ſuſtineri poſſent?* 22. *Uniones monaſteriorum Eremo Camaldulenſi factæ, non probant illa Camaldulenſis inſtituti anteà non fuiſſe.* 23.

1 VErùm ut ad ipſam controverſiam accedamus, ante omnia obvium illud, et vulgare præiudicium avertendum eſt, quod ex Nominis Camaldulenſis etymologia complures fefellit, ac veteri ſententia poſtpoſita, nuperam hanc Fortunii complecti coegit: nimirùm Camaldulenſem Ordinem vocabulo ipſo Patriam ſuam referre plerique arbitrati ſunt, quaſi neceſse eſset, ut unde nomenclaturam, inde et originem ſuam noſtri repeterent; Hinc unius Eremi Camaldulenſis fundatio pro totius Ordinis fundatione obtrudi cæpit, ſola aſſerentium fiducia auctoritatem, et rationem omnem ſupplente, ſic enim illos loqui audies, ac ſi unum, idemque cenſendum ſit alterutrius initium, vel unum ab altero ſuaptè

ptè natura pendeat, nullaque ſuſpicio inſurgere poſsit circa utriuslibet diſtinctionem: Ecce Auguſtini Fortunij, et Ractij eius ſuccentoris verba in notis ad cap. 47. vitæ S. Romualdi italicè ab ipſis editæ: *L'Eremo adunque di Camaldoli, e CONSEGVENTEMENTE tutto l' Ordine, e Congregazione, che da lui è detta Camaldolenſe, ebbe origine dal detto Padre S. Romualdo &c.*

II. Sedenim quàm pueriliter hallucinati ſint qui primùm id ſibi in animum induxerunt, ſequentia declarabunt exempla, quibus abundè conſtabit, novum non eſſe, imò paſsim uſu receptum, ut Religioſarum Familiarum Inſtitutio ex uno loco petatur, ex alio autem, licet omnium fortè poſtremo, percelebri tamen, ac præcipuo omnium domicilio, cunctorum denominatio derivetur; non omnia, ſed notiora in medium hìc afferre ſufficiet, non in monaſticis tantùm, ſed et in clericalibus, canoniciſque Ordinibus, imò et domeſticos intra parietes occurrentia, ut mirum ſit, hiſtoricorum noſtrorum diligentiam fugiſse, nec in ſuſpicionem ſaltem vocaſse, an non ſimili fato Camaldulenſe Nomen in totum D. Romualdi Ordinem derivaverit, licèt ante Camaldulenſis Eremi Inſtitutionem exordia ſua fortaſse repeteret.

III. *Primò* itaque Canonici Regulares, quos Lateranēſes appellant, non ab ipſorum introductione in Lateranenſem Baſilicam ſua ducunt exordia, ſed vel longè ante (ut credi malunt) ab Apoſtolis, vel dudum [ut alii contendunt] à D. Auguſtino, vel ex ultima ſaltem ipſorum Reformatione apud Friſonariam, iuxta varias de ipſorum antiquitate ſententias, quas noſtrà non intereſt hìc

expen-

expendere, aut ullum ſuper ipſis iudicium ferre. *Secundò* qui Scopetini vulgò nuncupantur Canonici pariter Regulares, non apud S. Donati de Scopeto primò collecti ſunt, ſed cùm iam apud Eugubium in S. Ambroſij Cœnobio, et in S. Mariæ ad Rhenum, ac S. Salvatoris Bononienſis Congregationem ſuam Ven. Stephanus eorum Auctor extendiſset, et ipſum denique Scopeti Monaſterium cæteris eſt aggregatum, ut Paulus Morigia in hiſtoria Religionum cap. 40. demonſtrat. *Tertiò* nec Clericis Congregationis Somaſchæ primitùs inhabitatum Somaſchæ Pagum, ſed Venetiis, Bergomi, ac Mediolani plurima ante collegia, vel Orphanotrophia fundaſse Ven. Hieronymum Æmilianum ipſorum inſtituti Anteſignanum, ex ejus hiſtoriæ ſerie colligitur.

IV. *Quartò* in Monachis nigri habitus, quos Caſsinenſes vocamus, eadem nominis, et originis diſcretio obſervatur, ſive enim illi ad peculiarem eorum reformationis Auctorem Ludovicum Barbum referantur, ſive ad communem Monachorum Patrem Benedictum, proximam utique inſtitutionem apud S. Iuſtinæ illuſtre Patavij cœnobium, altiorem verò apud Sublacum habuiſse dignoſcentur, antequàm in utrovis ſtatu Caſsinum incolerent. *Quintò* Grandimontenſes itidem Monachi à S. Stephano Abbate in monte Mureto agri Lemovicenſis fundati, nōniſi pluribus poſt eiuſdem Stephani mortem annis à Petro Lemonicenſi eius ſucceſsore in Grandimontenſem locum divino monitu ſunt introducti, à quo deinceps appellationem ſortiti, ut Arnoldus Vvion ligni vitæ par. 2. l. 5. cap. 5. aliique hiſtoriæ monaſticæ Scriptores teſtantur.

tur. *Sextò* Moliſmum ante, quàm Ciſtercium S. Robertus Abbas Ciſtercienſium Pater extruxit, incoluitque, ubi et Pontificis auctoritate ad obitum uſque conſiſtere compulſus eſt, alio Ciſtercienſibus Abbate præpoſito, ut ejus acta legentibus ſatis liquet.

V. *Septimò*, (ut ad exempla domeſtica divertamus) quis neſcit, noſtram ipſam monaſticam Congregationẽ S. Michaelis Murani titulo gloriari, eaque paſsim appellatione diſtingui? cùm tamen in illo primùm cænobio, quòd hoc nomine apud Venetos inſignitur, noſtri inſtituti iacta fuiſse primordia nemini liceat ſuſpicari. *Octavò* denique cui manifeſtum non ſit ex Luca Hiſpano hiſtoriæ Romualdinæ l. 4. c. 1. Eremitas noſtros Coronenſes, nonniſi poſt B. Pauli Iuſtiniani eorum Inſtitutoris obitum, Eremi montis Coronæ ſolitudinem obtinuiſse? cùm primos ſequaces ſuos idem Paulus ad S. Hieronymi de Paſcilupo, et ad Criptas Maſsacii collegiſset, aliiſque Umbriæ, et Apuliæ locis Congregationem ſuam Vir Piiſsimus adhuc in vivis degens dilataſset.

VI. Quæ cùm ita ſint, quid mirum, ſi et ipſos generatim Camaldulenſes, Religioſam nempe D. Romualdi Familiam, non primò apud Camaldulum, ſed alibi priùs inſtitutos fuiſse contendamus? ſumpta nimirum appellatione, non ex loco, quem primum ante alios S. P. Romualdus inſtitutis ſuis ſacraverit, ſed ab eo, qui cùm omnium celeberrimus, priſtinęque Religionis, et Formæ tenax [cæteris ob bellorum clades, aliave infortunia collapſis, et inſignem ædificiorum, facultatum, ac morum iacturam paſsis] integer, floriduſque ad hanc diem

permanſerit, in totius Ordinis Principem, multis poſt S. Romualdi obitum annis, eligi meruit, cùm priùs Camaldulenſe nomen non totius ordinis, ſed unius Eremi fuerit, ut ex illius ætatis monumentis apertè conſtat, quibus planè conficitur, ne Romualdi quidem intentionem huc ſpectaſse, ut ex Eremo Camaldulenſi potiùs, quàm ex Sytria, ubi diutiùs vixit, aut ex Valle de Caſtro, ubi diem clauſit extremum, Ordinis ſui nomenclatura derivaretur, atque eius rei planè inſcios, tam ipſum, quàm omnes eius diſcipulos, quotquot eidem ſuperſtites manſerunt, ex hac luce migraſse.

VII. Certè Damiani tempore, hoc eſt poſt annum Domini 1050., et usque ad 1072, nondum invaluiſse, ut Camaldulenſe nomen aliud, quàm unicam illam ſacram Etruriæ ſolitudinem, deſignaret, ex eius ſcriptis manifeſtum eſt, in quibus quoties mentio recurrit Monaſteriorum Sytrię, S. Vincentii, Vallis Caſtri, aliorumve ſimilium locorum, quæ vel poſt Camalduli ędificationem à S. Patre inhabitata ſunt, et in quibus poſtremæ suę vitę maximam partem peregit, et clauſit, nunquam illa *Camaldulensia* vocat, ſed hoc nomen uni illi Eremo ſingulariter tribuit, ut cùm miraculum fagi deſcribens vitę S. Romualdi cap. 47. inquit: *Dum in quadam Eremo valdè ſpecioſa, et egregia, cui nomen eſt Camaldulenſis, quam ipſe ædificaverat, in cella reſideret*; itemque lib. 6. ep. 20. ait: *Dominus planè Martinus, qui in Camaldulenſi eremo commoratur*; quem rursùs bis allegans, nempe lib. 2. ep. 15., et lib. 5. ep. 11. ibi quidem *Martinum Eremitam magnæ Opinionis Virum, ac celebris famæ*, hic verò *Venerabilem Eremitam* dum-

dumtaxat appellat, nuſquam *Camaldulenſis* titulo adiecto; nec ſanè uſpiam meminit, Romualdum *Camaldulenſis Ordinis* Auctorem fuiſse, utì nec *Vallecaſtrenſis*, aut *Sitrienſis Congregationis*, ſed *Camalduli, Vallis Caſtri, Sitriæ*, aliorumque ſimilium locorum abs ſe invicem independentium.

VIII. Præterea cùm Alexander II. Pont. Max. anno 1072. ad inſtantiam Ruſtici Prioris, ſacram Eremum, et loca omnia ad illam ſpectantia, Sedis Apoſtolicæ Patrocinio communiret, neque Camaldulenſium appellationem locis, aut Perſonis prædictæ Eremi juri ſubiectis communem fecit, neque ad totam eius Congregationem extendit, imò ne ipſi quidem Eremo vel ſemel detulit, quam ſemper *Campi Amabilis* dumtaxat vocabulo circumſcripſit, ait enim. *Alexander Epiſcopus Servus ſervorum Dei. Ruſtico Priori, et cunctæ eius Congregationi de loco, qui dicitur Campus Amabilis, in perpetuum. Nulli fidelium &c*, et infrà: *Oratorium S. Salvatoris in Campo Amabili conſtructum*, et rurſus: *Primo itaque loco ponimus Eremum, et Oratorium ſitum in loco, qui dicitur Campus Amabilis, ſecundo Hoſpitium eius, quod dicitur Fons Bonus &c.* Neque ullum ex locis à S. P. Romualdo ædificatis illi ſubiectum recenſet, ſed Cænobia quædam, et Eccleſias aliquot Venerabili illi ſolitudini, longè poſt S. Patris mortem, fidelium largitionibus acquiſitas. Quod ipſum et Gregorius VII. eius ſucceſsor anno 1074. obſervavit, quum ſimili Privilegio eandem *Eremum S. Salvatoris de Campo Amabili* inſignivit, illam cum ſuis pertinentiis ſub ſua, et Succeſsorum defenſione ſuſcipiens; neque

aliud in vetuſtiſsimis donationum, et locationum paginis frequentius occurrit, quàm quod Camaldulenſis Prior vocetur *Prior, et Rector Eccleſiæ, et Monaſterij S. Salvatoris ſiti Campo Amabili,* ſub cuius poteſtate, et jure conſtitutæ dicuntur Eccleſię, aut Abbatiæ ipſi donatę, vel per ipſum erectæ, nunquam verò eædem *Camaldulenſis Ordinis*, aut juris *Camaldulenſium Patrum* eſſe aſſeruntur, ut Archivum Camalduli, et Monialium S. Petri de Luco verſantibus manifeſtum eſt, præſertim ex huius paginis ſacculo D. n. 8., et 57. Sacculo E. n. 64. Sacculo G. n. 46., Sacculo k. n. 4. et 29. et 37. &c. quanquam et in aliis eorundem Archivorum paginis *Camaldulenſe* nomen ipſi Eremo vel Eccleſiæ S. Salvatoris tributum fatear, ut ibidem Sacculo D. n. 13., et Sacculo k. n. 4. et 63. &c.

IX. Ipſe B. Rodulphus quartus Eremi Camaldulenſis Prior, cum annis 1080., et 1085. (non 1105., ut perperam ſtatuit Fortunius Hiſt. Camal. l. 1. c. 65., cùm ſaltem ab anno 1088. mortuus videatur, quandoquidem in Archivij Camaldulenſis Armario 1. nu. 85. legitur, quòd anno 1089. die 26. Ianuarii Martinus Camaldulenſis Prior locavit ad cenſum annuum ſolidorum 18. Uberto, Ugoni, Alberico, et Idebrando olim Alberici, et hæredibus in perpetuum quædam prædia in diverſis curtibus poſita, manu Aritii Notarij: et ſic deinceps alia acta Martini Prioris nomine facta legantur) nunquam in ampliori ſignificatione *Camaldulenſe* nomen uſurpavit, nam in prioribus Statutis cap. 9. de Romualdo inquit: *Eremiticæ converſationis plura*

loca

loca conſtruxit, inter quæ loca Camaldulenſem quoque Eremũ mirabiliter ædificavit; In poſterioribus autem hac inſcriptione ſuum deſignat officium: *Ego Rodulphus indignus Monachus, atque Sacerdos, et non meis meritis, ſed illius gratia, qui me creavit, Camaldulenſis Eremi dictus Prior*; Et infrà: *ædificata eſt Venerabilis prædicta Eremus Camaldulenſis*; ac rursùs: *Ut hæc Venerabilis, et Egregia Camaldulenſis Eremus ſemper* Spiritu *Sancto protegente ſit firma, &c.* et iterum de ipſa Eremo ſic loquitur: *Origo, et caput, ſicut fuit, et eſt, nec non Dominatrix, et Rectrix ſit de prænotato hoſpitio, quod eſt Fons Bonus, atque omnes Monachi, et Laici, qui ibi habitant, vel in antea venturi, corde, et corpore ſint ſubiecti, et ſervientes, et obedientes in omnibus cunctis fratribus hac in eremo permanentibus*; Qui et in prioribus conſtitutionibus cap. 14. Priorem monuerat, ut *ſummam gerat ſolicitudinem, et Providentiam, ut locus Eremi quaſi, imò revera, caput ab his, qui in Fonte bono, vel per obedientias &c. honoretur, quia ubi arctior eſt vita, maior debet eſſe reverentia*. Ubi patet *primò*, huic uni ſingulari Eremo Camaldulenſis nomen Rodulphi ætate reſpondiſſe, non alijs etiam poſt ipſam ab Romualdo conſtructis, adeòque poſt completam in omnium ſententia Ordinis inſtitutionem erectis, vel inhabitatis locis, ne ijs quidem ſpecialiſſimo donationis, vel fundationis, aut dotationis jure ab eadem Camaldulenſi Eremo pendentibus, quorum reſpectu vel tum Capitis, et Originis dignitatem ſacra illa ſolitudo iure, meritoque, Rodulpho teſte, obtinebat. *Secundò* conſtat, nullam ex ejuſdem Rodulphi ſenſu authoritatem huic

Eremo

Eremo in alias Diſcipulorum S. Romualdi manſiones ab ipſomet Sanctiſſimo Inſtitutore fuiſſe relictam, nullum ſuper alia loca principatum delatum, quippe quam non *præ aliis*, ſed *inter alia plura Eremiticæ converſationis loca ab ipſo conſtructa ædificatam fuiſſe* cap. 9. cit. Rodulphus declarat, nulla ab aliis peculiari dignitatis nota diſtinctam, nullo præ reliquis privilegio donatam, nullo cæteras ad ſe trahendi jure munitam, et in ſolum Fontisboni hoſpitium, aliaſque obedientias, ac pauca ad ſummum membra eidem copulata, Capitis jus exercentem. *Tertiò* liquet, eandem Camaldulenſem Eremum non alio titulo, quàm *ob arctiorem loci obſervantiam*, ab omnibus honorandam, et non quidem cæteris à S. P. Romualdo, vel poſt Camalduli ędificationem, conſtructis, ſed cænobijs, aut cellis alijs ipſi connexis, aut ſui Prioris iuſſu excitatis, in quibus tantus Eremiticę diſciplinę rigor non ſervabatur, meritiſſimè anteferendam.

X. Atque hinc eſt, quòd in pręcipuis Ordinis noſtri Præfectorum cathalogis apud Thomam Minium, Arnoldum Vvion, et alios, Primi Camaldulenſis Eremi Priores ab univerſi Ordinis Generalibus ſecernuntur, neque ullus ante B. Guidonem, cui Paſchalis Papa II. id juris conceſſit, ut num. 13. conſtabit, hoc Generalis titulo inſignitur; ſic enim exempli cauſa, in Minij Cathalogo notatur.

PRIORES PERPETUI SACRÆ EREMI TANTUM

S. Pater Romualdus.

B. Petrus Dagninus Primus Prior à S. P. Romualdo conſtitutus. Vide in Beatis

B. Albizus
B. Ruſticus *Vide ſuprà in Beatis*
S. Rodulphus

Martinus Prior Quintus, creatus anno 1106, *præfuit annis* 19., *abdicavit anno* 1124., *obijt anno* 1125.

B. Guido Prior ſextus, creatus anno 1125.

PRIORES GENERALES PERPETUI TOTIUS ORDINIS.

B. Guido ex Priore ſexto Sacræ Eremi, totius Ordinis Generalis Prior, creatus eſt à Paſchali Papa II. ut ſupra in Beatis.

Ioannes Generalis ſecundus, Prior autem VII. creatus anno 1115. &c. [Chronologiam ne attende, ex Fortunio planè depravatam] Unde et in B. Peregrini Revelationibus, quas B. Simeon Recluſus (Vir ſanctitate celeberrimus, de quo in Vita B. Humilianæ de Cerchis Viduæ Florentinæ mentio perhonorifica habetur) eius confeſſarius anno 1287. conſcripsit, expreſsè notatur, B. Guidonem Eremitarum omnium Priorem, et Bonum pariter Priorem Camaldulenſem, ac totius Ordinis Generalem nuncupatum; at Martinum (Primum videlicet) Priorem dumtaxat Camaldulenſem dictum fuiſſe in anniverſariis per cæleſtem viſum coram ipſo B. Peregrino celebratis. Quin et B. Paulus Juſtinianus in proæmio conſtitutionum, ipſum quidem B. Rodulphum vocat *Quartum à B. Romualdo Sacræ Camaldulenſis Eremi Patrem*, at de Martino III. inquit: *B. Martinus itidem Eremi Prior, non Eremitarum modò, ſed et totius Camaldulenſis Ordinis moderator; Quanquam enim Camaldulenſis Eremus, neque primitus à B. Viro Romualdo Ordinis*

dinis Auctore fuerit ædificata, neque in ea diutiùs, quàm alibi, vixerit, neque in ea diem clauſerit extremum, tamen ſanctitate, integraque Eremiticarum Inſtitutionum diſtricta obſervantia, totius Camaldulenſis Ordinis Caput vocari, et eſſe ſemper promeruit, intantùm, ut uſque ad hanc ætatem qui Eremi Prior eſſe meruit, eadem electione, non quaſi nova dignitate, ſed tanquam proprio jure, totius Ordinis Generalis Pater, ac Rector habitus eſt; Hic igitur Martinus cænobitarum, qui vel à B. Romualdo proprijs quibuſdam inſtitutionibus inſtructi, vel poſtmodum Eremiticis locis ad cænobia deductis creverant, rationem habere æquum iudicans &c.

XI. Longo itaque poſt tempore, non ab Eremi ipſius fundatione dumtaxat, ſed et ab ipſo Romualdi obitu, Camaldulenſium appellatio in omnes Romualdi Aſſeclas tranſijt; adeò ut qui omnem ſibi hac in re ſcrupulum ademptum veluere, cautiùs ſcripſerint, Romualdum fundatorem *Ordinis illius, quem hodiè Camaldulenſem dicimus*, ut Bonuccius in Ephem. Euchar. 7. Febr. et ſimiliter S. Bonifacium Ruſſorum Apoſtolum, et ejuſdem Romualdi Diſcipulum, *ejus Ordinis, quem nunc Camaldulenſem vocamus*, ut Brunerius in Faſtis Marianis 19. Iunij, aliique in ſimilibus, cùm Sanctiſſimus Pater Romualdus de Ordine hoc in unam Camaldulenſium claſſem redigendo minimè ſollicitus fuerit, ſed ſingulas abs ſe conſtructas Eremos, ac ſingula Monaſteria abs ſe invicem independentia, *quaſi totidem Congregationes* (ut tum temporis in more poſitum fuiſſe Conſtitutiones noſtræ Monaſticæ in cap. 3. Regulæ S. Benedicti teſtantur) eiuſdem licet Ordinis, et Inſti-

tuti

Digitized by Google

tuti, ac paris fermè obſervantiæ reliquerit, nec ulli locorum Religionis Primatum, aut ulli Diſcipulorum ſupremam in cæteros Prælationem demandaverit, nec commune aliquod nomen, aut peculiarem habitum, quo ſui à reliquis Monachis diſtinguerentur, invexerit [uti nec Antonius, nec Baſilius, nec Benedictus fecere] Quanquàm Romualdinos aliquando, aut alicubi vocari conſueviſſe Lucas Hispanus, loco mox referendo, teſtatur; Quod vocabulum utinam ad hanc diem ſervaſſent, non enim huic controverſiæ aditus factus eſſet, ſed extra cuiuslibet dubitationis aleam, Ordinem hunc tum primò inſtitutum quiſque jam fateretur, cùm primos habere diſcipulos Romualdus cæpit, nullaque ſuſpicio foret, an quisquis Romualdum in Eremitica, aut Monaſtica diſciplina Præceptorem ſortitus eſt, ad Ordinem hunc, quippe Romualdinum, pertineat [ut nemo primos SS. Benedicti, Dominici, Franciſci Diſcipulos à Benedictino, Dominicano, aut Franciſcano Ordine alienos pronunciat] nullamque confuſionem, aut deceptionem Camaldulenſis Nominis æquivocatio peperiſſet.

XII. Sed jam Lucæ Hiſpani huc pertinens teſtimonium, quod proximè antecedenti numero laudavimus, et complura ſuperiùs aſſerta illuſtrat, atque confirmat, in medium afferamus; ait ergo lib. 1. Hiſtoriæ Romualdinæ cap. 12. non longè ab initio: *Neque (quod mirum eſt) ſuperioritatis, regiminiſve authoritatem alicui locorum dediſſe* (Romualdum) *aliqua ſcriptura comprobatur; nam illa, quæ apud Rodulphum eſt ſubiectionis conſtitutio*

ultrà Fontisboni habitatores non extenditur. Quamobrem Conſtitutionum Camaldulenſium Author (Is eſt B. Paulus Juſtinianus, cùm doctrina, tum ſanctitate celeberrimus) *in proœmio tacitè miratur, unde factum ſit, ut Religio hæc Camaldulenſis vocetur, cùm Eremus, inquit, nec primitus ab Ordinis Auctore ædificata, nec in ea diutiùs, quàm alibi, vixerit, nec in ea diem clauſerit extremum. Unde ſine tergiverſatione verum eſſe crediderim quod, nobis audientibus, aliquando venerabilis quidam Monachus Caſſinenſis retulit: Is namque affirmabat, ſe olim legiſſe quandam ſcripturam antiquiſſimam, in qua Urſeoli, et Grandenici fiebat mentio, inque eadem ſcriptura D. Romualdi Fratres ROMUALDINOS, non CAMALDULENSES vocari. Solvunt quidam dubitationem hanc, dicentes, Camaldulenſem Eremum ſanctitate, integritateque, et Eremiticarum conſtitutionum ſtricta obſervantia, et nomen, et principatum totius Religionis promeruiſſe. Ad cujus rei veram cognitionem, operæ pretium eſt ſcire, primos illos eremitas, quos ſuprà memorati ſumus, primam illam Romualdinam prolem, Patre orbatam, et quaſi Orphanam factam parùm profeciſſe; Nam ſine Capite, ſineque Rectore pauperes illi Romualdo defuncto remanentes, magna illius ætatis bellorum turbatione ſubſecuta, quibusdam eorum decedentibus, vel diſcedentibus; aliis verò ad Monaſteria (quod illis licitum fuerat) tranſeuntibus, brevi tempore defecerunt: quorum Eremitoria à multis ſæculis non ſolum derelicta, ſed etiam diruta jacent: ideoque ex omnibus Eremis ab ipſo Fundatore conditis, ſola Camaldulenſis integra, et florens ſuperſuit, induſque ſolitariorum numero accreſcente, atque vigente in ea rigidiſſima obſervantia, in maiori reverentia, ſeu auctoritate ab omnibus*

tum

tum Monachis, tum Sæcularibus habita eſt. Ac demum poſt multa: *Hæc itaque tanti loci vulgata ubique terrarum opinio, hæc religioſa illorum Sanctorum Eremitarum converſatio, illa rerum temporalium proſperitas, ac ædificiorum dilatatio, magnam Sacræ Eremo acquiſivit auctoritatem, cùm reliqui Romualdini, ac præcipuè Monachi, qui adhuc ſine Capite, ſine Duce, ſineque Ordine, vel regimine aliquo [quaſi oves errantes] manebant diſtracti, ſano quidem conſilio, prudentique deliberatione proprium commodum tam ſpirituale, quàm temporale animadvertentes; libenter et honorificum Camaldulenſe nomen ſuſceperunt, et ſocietatis dexteram Eremitis dedere &c.*

XIII. Hęc Lucas Eremita Vir integerrimus, ac graviſſimus, quæ (ſaltem quod ad rerum ſubſtantiam attinet) magna ex parte veriſſima ſunt; ac confirmari poſſunt ampliſſimo Paſchalis II. Papæ Privilegio, quo primùm obtinuit Eremi Camaldulenſis Prior, ut Ordinis univerſi, ex varijs congregationibus ſimul junctis coaleſcentis, GENERALIS ſalutaretur anno 1114. Menſe Novembri. Ecce ejus tenorem ex Archivo Camaldulenſi, ubi ejus authenticum exemplar ſervatur armario 2. num. 38. fideliter excerptum. *Paſchalis Epiſcopus Servus Servorum Dei. Venerabili Viro Guidoni Camaldulenſium Priori, ejuſque Succeſſoribus regulariter inſtituendis in perpetuum. Gratias Deo ſuper inenarabili dono ejus: noſtris ſiquidem temporibus Camaldulenſis Eremi, ſive Cænobij Religio adeò aucta eſt, adeò abundavit, ut CONGREGATIONES DIVERSÆ IN UNAM CONGREGATIONEM, Dei gratia, convenirent, et LOCA PLURIMA DISCIPLINAM UNAM, ORDINEM UNUM, ET*

UNUM REGIMEN, tamquam corde uno, et una anima continerent. Quam videlicet unitatem conſervari ſemper in Domino cupientes, precipimus, et praesentis Decreti auctoritate ſancimus, ne cuiquam omnino perſonae, Clerico, Monacho, Laico cujuſcunque Ordinis, aut dignitatis, praeſentibus, aut futuris temporibus liceat Congregationes illas, et loca illa, quae Camaldulenſis Eremi, ſive Cœnobij diſciplinam, et Ordinem ſuſceperunt, quaeque hodie ſub illius regimine continentur, ab ejus ullo modo ſubiectione, et unitate dividere. Quae videlicet loca, et Congregationes, conſervandae unitatis gratia, ſingularibus viſa ſunt vocabulis adnotanda. In Epiſcopatu Aretino &c. Mox enumeratis omnibus locis proſequitur: *Haec igitur omnia cum omnibus ad ipſa Monaſteria pertinentibus ſtatuimus, et Apoſtolicae Sedis auctoritate ſancimus, tanquam corpus unum ſub uno Capite, ideſt ſub Priore Camaldulenſis Eremi temporibus perpetuis permanere, ſub illo, inquam, Priore, qui ab ipſius Congregationis Abbatibus, ſive Prioribus, et ab Eremitis regulariter electus, praeſtante Domino, fuerit. Porrò Congregationem ipſam ita ſub Apoſtolicae Sedis tutela perpetuò confovendam decernimus, &c. Datum Anagniae per manum Joannis S. R. E. Diaconi Cardinalis, et Bibliothecarij* 11. *Nonas Novembris, Indictione* 7. *Incarnationis Dominicę anno MCXIV. Pontificatus Domini Paſchalis II. Papae anno XV.*

XIV. Licèt verò hæ omnes Congregationes in unum Ordinem ſub Camaldulenſi Priore tunc temporis convenerint, ut ētiam Adrianus IV. Gregorius IX. Alexander IV., alijque Pontifices suis diplomatibus eodē fermè tenore confirmarunt, multa nihilominus ejuſdē Inſti-

Inſtituti cœnobia, multæque Eremi ab ipſo S. P. Romualdo vel reformatæ, vel ex integro erectæ, Camaldulenſe iugum ſubire detrectarunt, ut S. Mariæ Sitriæ, et S. Benedicti ad Bifurcum, ac præter Claſſenſes [qui tamen poſt 24. annos, nempe anno 1138., Gualterio Archiepiſcopo Ravennatenſi agente, acceſserunt] nec non Avellanitas ante 137. annos dumtaxat ſub Pio V. aggregatos, hoc apertiſſimè conſtat in Monachis Vallis Caſtri, de quibus ita ſcribit Fortunius ipſe Hiſtor. Camald. p. 2. l. 3. c. 25. *Hiſce diebus Cœnobitæ Vallis Caſtri cum Camaldulenſibus convenire jam per ſpatium annorũ 360. incredibili pertinacia adhuc contendebant, elati nimirum, ut ſemper, ſua antiquiori origine: nec non quia aureum ſcrinium Theſauri Corporis S. P. Romualdi obtinere meruerant, altamque Paradiſi cedrum infra ſuas ſylvas retinere. Huc accedebat, quòd eorum Cœnobium ob memoriam ſemper ibi recentiſſimam ipſius Sanctiſſimi Patris, et Congregationis dilatationem, quaſi quandam perpetuitatem expectare credebatur; Sed quia UNICA SOLA ESSE DEBUIT S. P. ROMUALDI RELIGIO, quæ radices firmiſſimas, et incorruptibiles in Sacra Eremo inter cautes duriſsimas defixerat, Dei agente Providentia factum eſt, regione Piceni variis tumultibus bellicis, cladibuſque affecta, ut Cœnobium quoque S. Romualdi fermè deſolatum ſit &c.* Qua occaſione narrat Bonifacij IX. authoritate Cœnobium Vallis Caſtri tandẽ Sacræ Camaldulenſi Eremo copulatum, ſed paulò poſt Angelum Abbatem ab obedientia Generalis Prioris nihilominus defeciſſe, uſquedum Innocentij VII. decreto controverſia dirimeretur. Ubi notate obiter iuvat,

Fortu-

Digitized by Google

Fortunium verbis ſuprà laudatis alias Congregationes ad Romualdi Religionem pertinentes extra Camaldulenſium Eremitarum, ac Monachorum ijs tunc unitorum claſſem recognoſcere, quæ ſubinde huic aggregatæ ſint, ut etiam quò ad regimen externum [hodie tamen interruptum, Ordine in tot membra poſt Fortunij ætatem diviſo] *Vnica S.P. Romualdi Religio* reſultaret.

XV. Nec ſolùm plures ex Romualdinis Congregationibus, libertatem ſuam conſervantes, Camaldulenſium juri ſe ſubdere neglexerunt, ſed ex ijs ipſis cænobijs, quæ jam Camaldulenſi Eremo coniuncta fuerant, et prædictorum Pontificum Paſchalis, Adriani, Gregorij, Alexandri, aliorumque decretis confirmata, nonnulla notari poſſunt, vel tam amplæ Camaldulenſiū Priorum authoritatis pertæſa, vel ſpecialium privilegiorum, aut conventionum jus prætendentia, quæ lites innumeras circa ſubiectionis ſuæ modum excitaverint. Ita Bonus Prior Eremi ad vivum, à S.P. Romualdo erectæ prope Abbatiam Montis Amiati, licet ab Azone Generali Camaldulenſi inſtitutus, ab ejus obedientià deſcivit, atque Innocentij II. authoritate opus fuit, ut lis componeretur, ut narrat Fortunius Hiſt. Camal. p. 2. l. 2. c. 13. Ita Cænobij S. Mariæ Agnani Vallis Ambræ Abbates à Generali Priore Sacræ Eremi deficere, graviſſimaſque lites agere, nec habitus quidem candidi convenientiam ſervare cæpiſſe, tradit idem Fortunius ibidem cap. 4. Ità Guglielmus Abbas S. Mariæ Prataglıæ à Placido [qui ex Camerario Camaldulenſi Abbas

bas dicti Monaſterii, tum Generalis Prior evaſerat] cō-ſtitutus, hinc renunciatione præmiſſa, Maior Eremi, tum Abbas Berardingarum, mox ad inſtantiam Amedęi Aretini Epiſcopi rurſus à Martino Priore Camaldulenſi eidem Prataglię cænobio Præfectus, nomine Capituli ſui Monaſterij proteſtatus eſt: *Se nec in ſpiritualibus, nec in temporalibus, ſubeſſe Priori Camaldulenſi, nec teneri ad Viſitationem, Correptionem, Imitationem, aut Receptionem, niſi charitativè: quæ omnia D. Martinus Prior Camaldulenſis, et Raynaldus Syndicus confeſſi ſunt vera eſſe; At Guglielmus prædictus Abbas Prataglię cum ſuis Monachis, promiſit ſe eis unire tantùm in pannis, ſcilicet albos portando, et idem officium faciendo, neque plura, et ultrà facere, aut teneri, nec aliud à Priore, et Capitulo Camalduli exigi, et peti poſſe, aliàs irritata promiſſione, et* 50. *librarum auri puri pęna transgreſſoribus impoſita. Actum in clauſtro Camalduli cum ſigillo calicis, et columbarum, die* 2. *Martii* 1183. ex Archivio Camaldulenſi, ejuſque indice verbo *Promiſſio* n. 65. Cùm tamen ab Hieronymo Aretino Epiſcopo Monaſterium illud Prataglię Sacræ Camaldulenſi Eremo aggregatum fuiſſet, atque Adrianus IV. robur Apoſtolicæ authoritatis anno 1156. donationi adieciſſet, *Datum Laterani XVII. Kal. Julij anno III.* ipſeque Guglielmus, ut notavimus, à Camaldulenſibus Prioribus tot beneficijs auctus, ſemperque inter Camaldulenſes præfecturas verſatus eſſet.

XVI. Omitto alia inferioris ætatis exempla; hæc verò pauca, quæ retuli, non ideò à me notata Lector intelligat, ut horum Præſulum contumaciam, aut moroſi-

roſitatem commendem, vel Camaldulenſis Prioris authoritatem, ijs temporibus, Apoſtolicæ Sedis beneficio ſibi competentem, ac plerorumque locorum conventione admiſſam, extenuem; utinam idem rerum ſtatus nunc obtineret, nec rurſus in tot membra Divi Romualdi Religio, ſola Camaldulenſis nominis communione ſervata, diſſiluiſſet! Sed eò ſpectant quæ hic cõmemoravi, ut modum à Luca Hiſpano indicatum vindicem, quo Religio hæc Camaldulenſis appellationem ſuſceperit, Sacræ Eremi principatui paulatim acquieſcens, et quatenus id reipſa obtinuerit illuſtrem, ſimulque apertum faciam, non ſuapte natura, non originis primatu, non S P. Romualdi arbitrio, ſed aliorum locorum connivẽtia, et Apoſtolicæ Sedis privilegio Camaldulenſi Eremo Principatum paulatim delatum eſſe, non ſine eorum, quorum intererat, contradictione aliqua primùm oborta, ut in ejuſmodi novis mutationibus contingere ſolet: itaque alio, quàm *Camaldulenſium* nomine priùs inſignitos Romualdi ſequaces, eorumque poſteros, et ſi Lucæ Hiſpani coniecturæ ſupra adductæ, atque Venerabilis Monachi Caſſinenſis ab ipſo laudati teſtimonio acquieſcere velimus, aptiſſimo vocabulo *Romualdinos* fuiſſe nuncupatos.

XVII. Non id tamen diſſimulaverim, illum ipſum, quem num. 12. recitavimus, Lucæ Eremitæ locum, unum ex ijs eſſe, quos in Apologia ſua refutandos aſſumit Fortunius, cujus verba, quatenus ſuperiùs adductis obſtare poſſunt, non abs re fuerit in medium adducere, et quam vim obtineant paucis expendere; Is ergo

ergo pag. 7. conqueritur, Lucam Hiſpanum *minimè recordatum fuiße, quomodo pleræque ex Congregationibus Religionum, vocabulum ſui cognominis ducunt ex loco, unde originem trahunt; Qualis Carmelitarum à Monte Carmelo (non ab Elia Propheta, ſive Eliſeo auctoribus) et Carthuſienſis à Carthuſia Sylva, Vallis Umbroſæ ab æquivoca valle: et ſua Montis Coronæ, cui iſte Pater primus Romualdinæ cognomentum addidit. Quod enim ad citatam ſcripturam tempore Ducis Urſeoli pertinet, et eorum temporum Monachorum; ſi iſti Romualdini ſcripti uſquam leguntur, nos quidem certè nihil adverſamur, quominùs taliter in Aquitania nominari potuerint, et fortaſſe hodie nominentur, ſiqui eorum ſucceſſores inveniuntur. Sed conſequentiam negamus, ut nos Camaldulenſes propterea Romualdini unquam dicti fuerimus, cùm quia Sacra noſtra Eremus, ut prædiximus, à ſitu notiſſimo cognominatur, tum etiam quia diſcipuli S. Romualdi Vallis Caſtri inter Picentes, penes quos ſolos cuſtoditur eius Sacratiſſimum* Corpus, *miraculis ſemper novis famoſiſſimum, quamvis per quadringentos certaverint annos de primatu cum omnibus Monachis, et Eremitis aliorum locorum, qui fuerant à S. Romualdo instituti, ratione prætenſæ præeminentiæ, ac dignitatis tanti ſervati apud illosmet theſauri, nunquam tamen Romualdinorum ipſum introduxerunt vocabulum, ut ex eorum omnibus libris, atque ſcripturis videre eſt. Quæ res eò magis roboratur, quò Ordini noſtro Camaldulenſi, nonniſi Sancta Sede Apoſtolica cogente, noviſſimè copulati ſunt anno* 1400. *; ex quibus manifeſtum eſt, Romualdinorum titulum in Italia ante Romualdinam Hiſtoriam nequaquam in uſu fuiſſe.*

XVIII. Quæ quidem paulò liberaliùs aſſerta ſunt;

E ut

ut enim à primo incipiam, ſi illarum Religionum, quæ ab Inſtitutoris nomine, quæ ab officij ſui miniſterio, quę à Patroni peculiaris invocatione, quæve ab indito aliundè cognomento nuncupari ſolent, ratio habeatur, minimam religioſarum Familiarum partem ex loco aliquo ſuam appellationem deducere colligemus, et harum inſuper, quæ ex loci alicujus celebritate nomen accipiunt, *pleraſque* potiùs loci ejuſdem inſtitutione altiorem agnoſcere originem, ſuprà num. 3. 4. 5. compluribus exemplis, non externis modò, ſed propriis, ac domeſticis, evicimus, Clericalium nempe, Monaſticarum, ac denique Camaldulenſium Congregationum; et (quod mirum eſt Camaldulenſem Hiſtoricum, aut penitus ignoraſſe, aut contradicendi ſtudio abreptum non animadvertiſſe) ipſam *Montis Coronæ* appellationē, quam ad rem ſuam confirmandam Fortunius hìc detorquet, ejus opinionem potius labefactare oſtendimus, nam et in ipſa illud idem vel maximè contigiſſe obſervavimus, ut ſcilicet ex omnium poſtremo loco, quæ tantò ante conſtituta fuerant, cognomentum acciperent.

XIX. Neque verum eſt, Coronenſium Eremitarum Congregationi primùm fuiſſe à Luca Eremita Romualdinæ nomen impoſitum, ut cavillatur Fortunius, cùm et à Summis Pontificibus illa Societas *Eremitarum S. Romualdi* titulo fuerit inſignita, et ipſemet Fortunius, antequàm Lucas de Hiſtoria ſua ſcribenda cogitaret, eadem appellatione ipſam diſtinxerit p. 1. Hiſt. Camal. l. 3. c. 18., cui titulus eſt: *Origo Eremitarum S. Romualdi*, et

et Clericorum Regularium , *&c.* Niſi fortè putet intereſſe plurimùm inter utramque S. *Romualdi Eremitarum* , et *Romualdinorum Eremitarum* appellationem , ut proinde carpendi ſint qui Fratres S. Dominici Dominicanos, et S. Franciſci Franciſcanos primi appellaverint ; quemadmodùm et qui Monachos S. Benedicti Benedictinos dixere, et qui Ordinem S. Auguſtini Auguſtinianum nuncupare auſi ſunt, nec enim video quid ab horum culpa diſtaret admiſſum ab Eremita Barchinonenſi piaculum, ſi Eremitas S. Romualdi reverà omnium primus Romualdinos vocaſſet, atque ad praxim deduxiſſet *Romuald.norum titulum*, quem Fortunius manifeſtum putat *in Italia ante Romualdinam Hiſtoriam nequaquam in uſu fuiſſe*: Quod tamen haud ſcio, an tanta confidentia potuiſſet Fortunius aſſerere , ſi in ipſamet Monaſterij ſui Angelorum Bibliotheca Opus Eptaticum Pauli Orlandini Abbatis Camaldulenſis MS. percurrere dignatus eſſet, ubi non ſemel, ſed frequentiſſimè [vel ante natam Coronensium Eremitarum S. Romualdi ſocietatem, nedum ante Romualdinam Hiſtoriam] nos *Romualdinos* expreſsè appellatos, et Theologicam noſtram Scholam *Romualdinam* dictam notaſſet.

XX. Quanquam Hiſpano Eremitæ ſatis eſſet , in Aquitania id nominis uſurpatum aliquando fuiſſe, quod non diffitetur Fortunius, an etiam in Italia, non diſquirit, undè extra propoſitum eſt Vallis Caſtri Monachorum exemplum (*apud quos ſolos* mirari ſubit cur affirmet Fortunius *cuſtodiri ſacratiſsimum Romualdi Corpus miraculis ſemper novis famoſiſſimum*, cùm eo tempore pluſ-

quàm centum anni effluxiſſent ab ipſius ad Fabrianenſes translatione) quorum conſtantior æmulatio, in affectando locorum à S.P. Romualdo ordinatorum Principatu, hoc ipſum, quod nos ſuperiùs aſtruximus, abundè confirmat, non ipſa Inſtitutionis ſuæ natura, non Fundatoris decreto, non Originis jure Camaldulum in Religionis ab Romualdo inſtitutæ Caput, et Fundamentum erectum eſſe, ſed paulatim alijs locis cum ipſo copulatis, aut per temporum calamitates excißis, id dignitatis demùm obtinuiſſe, quam nunc nomine tenus conſervat, ſiquidem in tot membra à ſe penitus diſiuncta, atque ab invicem independentia diſſiluit, ex quibus ſola Etruſcorum Eremitarum Congregatio Sacram illam Eremum Camaldulenſem (ut olim) pro Capite, et Principe agnoſcit, ſpecialibus aliis titulis, tum Congregationem Monachorum S. Michaelis Murani, tum Societatem Eremitarum S. Romualdi Montis Coronę, tùm Pedemontanam, tum Gallicam Familiam diſtinguentibus, ſolo communi Camaldulenſium vocabulo retento, et totius Ordinis Generalis titulo penes Supremum Monachorum Præfectũ reſervato, quippe qui locorum omnium ſub S. Romualdi vexillo militantium, cuilibet ex dictis Congregationibus unitorum, vel etiam extrà omnes Congregationes adhuc perſiſtentium, Pater eſt agnoſcendus (iuriſdictionis tamen exercitio nunc temporis impedito, et regiminis cura majoribus Congregationis cuiuslibet Prælatis relicta) juxta ea, quæ tùm in Leonis X. Privilegio habentur, tùm ex eo in noſtris Monaſticis
Con-

Conſtitutionibus ad cap. *64.* Regulæ, ubi ſic legitur: *Ipſe enim Generalis, ut etiam habetur in dictis privilegijs* §. 129. *locorum omnium, qui nunc in noſtro ſunt Ordine, aut in futurum erunt, ſive in Congregatione in præſentiarum ſunt, ſive in poſterum aggregabuntur, ſive etiam extrà Congregationem ſint: totius ſcilicet Camaldulenſium Religionis Caput, et Pater Generalis de anno in annum maxima cum autboritate eſſe cenſeatur.*

XXI. Atque hìc commodùm accidit, ut maximæ æquivocationis cauſam in Fortunio, et alijs animadvertamus, nam huc denique totiùs præſentis capitis ſcopus, ac penè univerſæ Diſſertationis ſumma devolvitur, ut nempè confuſam, et ambiguam *Camaldulenſis Nominis* ſignificationem, omni perplexitate remota, diſtinctiùs illuſtremus. Vel enim Camaldulenſe nomen ſpeciatim ſumitur, et in ſtrictiſſima unius Congregationis acceptione, quæ nunc ad ſolos Eremitas Etruriæ ſe extendit, olim, et Monachos pleroſque complectebatur; et ſic fatendum ſanè id cognomenti neque ad primos Romualdi Aſſeclas in Aquitania, neque ad Diſcipulos in Pereo collocatos, neque ad Vallecaſtrenſes, neque ad Sitrienſes, neque ad Avellanitas pertinere: ſed neque Coronenſes, neque Pedemontanos, nequè Gallicæ Congregationis Eremitas, nequè noſtros S. Michaelis Murani Monachos hoc ſenſu comprehendi manifeſtum eſt, neque alios omninò, præter ſolos illos, qui in Etruſca Sacrę Eremi ſolitudine Religioſæ Vitæ tyrocinium poſuerunt. Vel idem Camaldulenſe nomen generatim accipitur, atquè in magis ampla ſigni-

gnificatione, quatenùs per Synecdochen uſu receptum eſt, ut univerſum Ordinem à Romualdo inſtitutum exprimat, ex præcipuo illius membro ſic communiter nuncupatum; et tùm complures Congregationes, quaſi totidem ſpecies eidem generi ſubalternas, complectitur, nec minùs Camaldulenſes hac ratione ſunt, et dici merentur, ac ſolent omnes ſuperiùs laudati Romualdum ſequentes, et Monaſtica, aùt Eremitica diſciplina ab eo accepta gloriantes, quàm ipſimet Eremi Camaldulenſis incolę, utut ab ipſis regiminis forma diviſi, niſi putidam de nomine quæſtionem inire volumus. Certè Petrus de Natalibus, Gabriel Bucelinus, Martinus Baronius, Stephanus Demalevicius, alijque Sanctos Bonifacium, Joannem, ac Benedictum Martyres D. Romualdi Diſcipulos, eorumque ſequaces, nonniſi hoc ſenſu *Camaldulenſis Ordinis* paſſim prædicant, idemque omnes ex noſtris uſurpant, nemine prorſus excepto, ne Fortunio quidem, et Ractio, quibuscum hæc controverſia nunc agitur; Sic B. Thomã de Coſtacciario tradit idemmet Ractius in ejus vita cap. 1. ad Camaldulenſem quidem Eremum à Patribus Sitriæ remiſſum, ſed licet ejus loci ſpecie, ut ſibi prædixerant, ſummoperè delectatum, religioſam vitam apud Sitriam nihilominus elegiſſe, atque ab ijs Patribus *Camaldulenſi habitu* indutum: quemadmodum et Bollandi continuatores ad diem 25. Martij referunt, eumque *Camaldulenſem* vocare non dubitant, hoc utiquè nomine dumtaxat, quòd in Monaſterio Sitrienſi à S. P. Romualdo fundato, ejuſque diſciplinam adhuc obſervante

ſervante, Monaſticen profeſſus fuerit, quamvis Eremo Camaldulenſi nunquam ullius authoritate, vel conventione ſubiectum, aut copulatum extiterit.

XXII. Itaque dum Fortunius, loco nuper ex ejus Apologia recitato, admittit Diſcipulos Romualdi in Aquitania tempore Ducis Urſeoli, eorumve Succeſſores Romualdinos appellatos, deinde conſequentiam negat, nos Camaldulenſes propterea Romualdinos unquam dictos fuiſſe, in primo quidem, et ſpeciali Camaldulenſis Nominis ſenſu, non mala exceptione utitur [nã Fortunij tempore una erat Monachorum, et Eremitarum Etruriȩ congregatio, quàm ſingularis hæc acceptio reſpicit] ſed ad propoſitum non faciente, nam ut ex verbis num. 12. adductis manifeſtum eſt, de univerſo Ordine, ſeu de tota D. Romualdi Religione quæſtio erat, cur communi Cammaldulenſis nomine vocaretur, *cùm Eremus* [verba ſunt B. Pauli Juſtiniani apud Lucam Eremitam ibi relata, quorum occaſione ſuam de Romualdinis coniecturam qualemcunque inſeruit] *Nec primitus ab Ordinis Auctore ædificata, nec in ea diutiùs, quàm alibi vixerit, nec in ea diem clauſerit extremum.* Quòd ſi Fortunius loco citato conſequentiam negans, de Camaldulenſibus in poſteriori, et generali ſignificatione intelligit (qui erat Lucȩ Hiſpani ſenſus) hoc perinde eſt, ac ſi in dubium verteret, an non inferre liceat, Franciſcanos alicubi *Cordigeros* [*les cordeliers*] appellari, ex quò illo nomine minorum Obſervantium familia per Galliam ſalutetur, aut Dominicanos alicubi *Jacobæorum* (*les Jacobins*) nomine diſtingui, ex quò Pariſijs à cele-

à celeberrimo S. Jacobi templo id cognomentum obtineant.

XXIII. Nihil dico de repetita Camaldulenſis nominis confuſione à Fortunio commiſſa, dum aſſerit Valliscaſtri Cænobium Ordini Camaldulenſi noviſsimè copulatum anno 1400. ubi de ſola unione ad Camaldulenſem Eremum, ejuſque ſpecialem Congregationẽ, ſermo eſse debuerat, quum et anteà ejusdem Camaldulenſis Ordinis illi Monachi cenſerentur, quatenùs à S. P. Romualdo originem trahentes, ejuſque inſtitutũ ſervantes, licèt ſine ulla Camaldulenſium Etruriæ communione, aut dependentia viverent, ejuſdem Religionis S. Romualdi membrum conſtituebant, ut fatetur idem Fortunius loco num. 14. relato, ubi Divina Providentia factum aſſerit, ut Valliscaſtri Cænobium bellorum cladibus vaſtaretur, ut Sacræ tandem Eremo uniri debuerit, *quia unica ſola eſſe debuit S. Romualdi Religio*, quæ nimirùm eatenùs saltem duplex fuerat, ob Vallecaſtrenſium à Camaldulenſibus diſſidium; Itaquè in hac Monaſterij Valliscaſtri [idem dici poſſet de Claſsenſi, Avellanenſi, et alijs pluribus, quę ſubindè Camaldulo acceſſerunt] unione cum Eremo Camaldulenſi, ſimile quidpiam contigiſſe puto, ac cùm Ordinis Dominicani Cęnobia, mitiorem obſervantiam profeſſa, Congregationi S. Sabinę, alijſve ſtrictioris, ſeù rigidioris inſtituti ſectatoribus ex eadem Prędicatorum familia per Apoſtolicam Sedem adjudicantur, nequè propterea ad alium Ordinem transferri cenſentur; Quemadmodum etſi aliquem Coronenſium Eremitarũ

locum

Digitized by Google

locum Camaldulenſi Eremo Etruriæ nunc temporis copulari contingeret, aùt viceverſa Eremum aliquam Camaldulenſium Etruriæ, Patribus Montis Coronæ ſubijci, non ideò ad Ordinem novum ſivè Camaldulenſem, ſivè Coronenſem transferri intelligeretur, cujus anteà non eſſet, ſed ex una dumtaxat Congregatione in alterius peculiaris Congregationis jus, Ordine eodē ſervato, recèns tranſiret.

CAPUT III.

Ex B. Petro Damiano Romualdum in Aquitania ſui Ordinis fundamenta jeciſſe demonſtratur.

SYNOPSIS.

Damianum omittere non potuiſſe in Hiſtoria S. Romualdi ejus Ordinis fundationem 1. *Romualdo in Aquitanica Eremo Spiritualium, et temporalium curam ab omnibus delatam.* 2. *Varijs inſtitutis ſuos rexit S. P. dein ſtabilem vivendi Regulam ſuis Sectatoribus eò loci præſcripſit.* 3. *Illi conformem fuiſſe Camaldulenſium vivendi morem ex Rodulpho, et Juſtiniano.* 4. *Eadem abſtinentiæ Coronenſium forma.* 5. *Item Avellanitarum ſub Petro Damiani.* 6. *Diſciplina Eremitica apud Camaldulum inſtituta nullatenus diſcrepans ab ea, quæ in Pereo, Sitria, et alibi Romual-*

dinis Diſcipulis in uſu fuit. 7. *Siquid immutatum, innovatumve Camalduli fuiſſet, erat à Damiano commemorandum*. 8. *Qui Patriarcharum vitas deſcribunt Religionum ſuarum inſtitutionem diſſimulare nequeunt*. 9. *Patribus Capituli Florentini ſub Leone X. perſuaſum fuiſſe, noſtri Ordinis exordia in Petri Damiani Hiſtoria contineri*. 10. *Petrum Delphinum Generalem idem ſuppoſuiſſe, cum Sanctos Romualdi Diſcipulos, tanquam Camaldulenſes, Kalendario juſſit inſcribi*. 11. *Petrum Damianum celebrare dūtaxat illuſtres ex ſchola S. Romualdi Viros, qui ante, et extrà Camaldulum floruerunt*. 12. *De ſchola Benedicti, non Romualdi fuiſſent illi in adverſariorum hypotheſi*. 13. *Proprij Ordinis Inſtitutorem fuiſſe Romualdum ante Camalduli conſtructionem, non unius peculiaris Monaſterij Abbatem, contrà Jacobum Laderchium oſtenditur*. 14. *Oeconomica, et Dominativa Romualdi in ſua Cœnobia poteſtas adverſùs Didacum Francum vindicatur*. 15. *Obiectio ex Sitrienſi calumnia depellitur*. 16.

I NUnc verò ex B. Petri Damiani Hiſtoria prima, ac potiſſima ſententiæ, quam propugnamus, argumenta licet depromere; nequè enim (quemadmodùm vulgò ſibi perſuadent, aut ſibi certè perſuadere Adverſarij coguntur) Scriptor accuratiſſimus in referendis luculento, ac ſatis prolixo ſtylo Romualdi geſtis, illud quod in Patriarcha præcipuum eſt, Ordinis videlicet ſui fundationem, prætermiſit, quanquàm in Camaldulenſis Eremi inſtitutione nihil ferè immoretur, ſed velut aliud agens cap. 47. in referendo Fagi mira-

miraculo ipſam obitèr exprimat indirecta, et ſatis perfunctoria ad id digreſſione contentus, quam hac brevi clauſula circumſcripſit: *Alio quoque tempore, dum in quadam Eremo valdè ſpecioſa, et egregia, cui nomen eſt Camaldulenſis, quam ipſe ædificaverat, in cella reſideret, magnam aliquam fagum, quæ propè cellam ejus ſtabat, incidi præcepit, &c.* Quo ſolo perſuaderi quis poſſet, apud Damianum Etruſcæ hujus Eremi ædificationem non pro ſui Ordinis fundatione habitam, aliàs haud neglexiſſet tanti momenti rem (quòd in aliis minutioribus præſtitit) dearticulatiùs adnotare. Expreſſit igitur optimè Vir doctiſſimus quo loco, tempore, et modo Diſcipulos ſuos ad Eremiticam formam componere cæperit Romualdus, atquè ità expreſſit, ut nonniſi qui ſuis præjudicijs penitùs excæcati eſſent, eam vel ignorare, vel minùs advertere poſſent, modò ne id circa medium, aut finem hujus Hiſtoriæ cũ Fortunio, et Ractio fruſtrà requirerent, ſed ſub ipſum initium, ut Lucas Hiſpanus Hiſt. Romualdinę l. 1. c. 5., et Stephanus Damalevicius Vitæ S. Bogumili cap. 29., nec non Thomas Minius, alijque cap. 1. n. 3. ſuprà relati fecerunt.

II. Beatiſſimus enim Scriptor narrata, cap. 5. Vitę S. Romualdi, converſione Petri Urſeoli Venetiarum Ducis, ejuſdem S. P. Romualdi, nec non Marini ejus Magiſtri, et Guarini Abbatis monitis facta, eundem Ducem cum Joanne Gradenico (quibus alij et Joannem Maurocenum adjungunt) et tribus ſupradictis Sanctiſſimis Viris, conſcenſa navi, in Galliam ad Monaſterium Abbatis Guarini aufugiſſe ſcribit, mox ſic

proſequitur: *Petro igitur, et Joanne Monachis in S. Michaelis Cœnobio factis, Marinus, et Romualdus non longè à Monaſterio degentes ad ſingularem vitam, cui aſſueti fuerant, revertuntur, quibus etiam jam dicti fratres, peracto vix annuo ſpatio, ad perferendam ejuſdem ſolitudinis diſtrictionem aggregati ſunt*. Collecto autem puſillo hoc, ſed ſtrenuiſſimo grege, omnibus communi conſilio S. Patrem Romualdum præfectum fuiſſe, ejuſque regimini, cùm in ſpiritualibus, tum in temporalibus omnia commiſſa, Marino ipſo prælationis cathedram S. Patri cedente, ſic idem Damianus cap. 6. deſcribit: *Intereà Romualdus accenſo mentis deſiderio cœpit de virtutibus in virtutes mirabiliter creſcere, et reliquos fratres ſanctæ converſationis greſſibus longiùs anteire, ut jam quidquid inter fratres, ſivè de ſpiritualibus, ſivè etiam de corporalibus, ipſe decerneret, cunctis volentibus ejus omninò ſententia prævaleret; ipſe quoque Marinus gaudebat Romualdo eſſe devotus, cui nuper fuerat ipſe Prælatus*.

III. Et sì autem ab initio varijs inſtitutis ſuos regere aggreſſus ſit Romualdus, quæ eodem cap. 6. et ſequẽtibus uſque ad 9. fusè deſcribuntur [nam et ad finem uſque vitę in Sitria degens, ut cap. 52. ait idem Damianus, *per multa alia vivendi genera quidſua Virtus poſſet, per hæc, et illa ſe jugiter exercendo tentabat*] Certam nihilominùs, et præfixam Eremiticæ Vitæ Regulam Diſcipulis, et Sectatoribus ſuis jam tum in Gallica illa ſolitudine reliquiſſe cap. 9. narratur his verbis: *Hanc nimirum vivendi REGULAM cunctis Sectatoribus ſingularis vitæ præfigens, ut tunc unuſquiſque ſe Eremiticæ Vitæ* [ab ipſo-

ipſomet Romualdo tunc inſtitutæ] *jejunium tenere cognoſcat, ſi per hebdomadam triduanas, et biduanas jejunando, quinta feria, et Dominicis diebus olera, vel quodcunque liquamen, cum gratiarum actione percipiat, exceptis ſcilicet duabus anni quadrageſimis, in quibus non ſolùm ipſe, ſed et plerique ſui Diſcipuli, totius hebdomadæ ſoliti erant continuare jejunium &c.* ubi et varia alia S. Patris inſtituta recenſita invenies, videlicèt de perfectionis ſtudio, de perſeverantia, de vigilijs temperatè faciendis, de ſomnolentia vitanda, de negligentium pęnis, de attentione, et compunctione in pſalmodijs, et orationibus &c.

IV. Cui quidem Eremitarum diſciplinæ per Romualdum tunc ſtabilitæ apprimè conſonant, tum B. Rodulphi Prioris Camaldulenſis Conſtitutiones, tum B. Pauli Juſtiniani Eremitica Regula cap. 27. ibi: *Biduana ſanè, et Triduana antiquo tempore tunc vocabantur jejunia, cùm feria ſecunda, tertia, et quarta, et poſteà ſexta feria, et ſabbato in pane, et aqua jeiunabant, ut priorum ſcilicèt trium dierum triduana, ſequentium verò duorum biduana diceretur abſtinentia; Hoc enim tum ex S. P. Romualdi vita, tùm ex antiquiſſimis Eremi Conſtitutionibus manifeſtè colligitur*; Et rursùs idem Juſtinianus cap. 28. hæc habet: *Hanc igitur vivendi Regulam, et ipſe uſque ad exitus ſui diem ſervavit*, Romualdus, *et eam cunctis Eremiticæ Vitæ Sectatoribus reliquit, ut unusquiſque ſe tunc Eremiticæ Vitæ abſtinentiam, et jejunium tenere cognoſcat, cùm per hebdomadam triduana ſecundæ, tertiæ, et quartæ feriæ, et biduana ſextæ feriæ, et Sabbati jejunia, ideſt in panis tantùm, et aquæ perceptione obſervat, quinta feria, et Dominicis diebus olera*

olera, vel quodcunque legumen cum gratiarum actione percipiat: Quamdiù igitur Beatus iſte Vitæ Eremiticæ Inſtitutor vixit, et multo tempore poſtquàm ad æternę beatitudinis gaudia conſcendit, hęc fuit in Eremo Camaldulenſi ex integro forma ſervata. Hæc Juſtinianus adhuc Etruſcæ Eremi incola.

V. Neque verò poſtquàm Congregationem ſuam Eremitàrum S. Romualdi, quæ nunc Montis Coronæ appellatur, ſpeciali Dei afflatu, et auxilio excitavit, noviſque ſanctiſſimis legibus opportunè inſtruxit, à veteri illa Eremiticæ abſtinentiæ forma vel hilum deſcivit, ut patet ex Luca Hiſpano Hiſtor. Romualdinæ lib. 5. c. 3. qui poſtquàm retulit, quibus temperamentis Camaldulenſes Patres veterum Romualdi Diſcipulorum jejunia ſucceſſu temporis relaxarint, de Paulo Juſtiniano priſtinæ formæ intrepido Reſtitutore ſubdit: *At Paulus noſter ſemper, et ubique ſui Romualdi verus æmulator exiſtens, antiquas Romualdinorum abſtinentias reſtituere viriliter tentavit.*

VI. Parem diſtrictionis normam ſequebantur Avellanenſes noſtri ſub Petro Damiani, qui de illis hæc habet opuſc. 14. et 15. proùt etiam Hiſtor. Camaldulen. p. 2. l. 5. c. 12. Fortunius refert: *Ab idibus Septembris uſque ad Paſcha Domini quinque per hebdomadam diebus tenetur ſine intermiſſione jejunium*, in biduanas nempè, et triduanas diſtinctum; quanquàm, ob nimis gravem Triduanæ moleſtiam, de qua idem Damianus Tom. 4. Carmine 211. ſic canit:

Quàm Triduana gravem ſoleas illidere calcem,
Sæpiùs expertis ſcit Mens exercita bellis,

coa-

coactus ſit alijs temporibus feriæ tertię remiſſionem invehere, qualem et B. Rodulphus Quartus Camaldulenſium Prior ſuis indulſit, ut ex p. 1. l. 1. cap. 58. Hiſtoriæ Camal. patet, ibi: *Per reliquum anni decurſum extrà quadrageſimarum tempus feriam tertiam prætereà ab abſtinentia panis, et aquæ immunem fecit*; Quod et hodie ipſimet Coronenſes, ut naturæ imbecillitati conſulerent, admiſere cum aliis diſcretis remiſſionibus, quę ex ipſamet Hiſtoria Romualdina. l. 5. c. 4. et Conſtitutionibus Montis Coronę in cap. 39. Regulę notari poſſunt, prudenti scilicèt diſpenſatione circa rigorem à S. P. Romualdo in Aquitanica Eremo primitus inſtitutum, et longo temporis ſpatio à Diſcipulis Romualdi, eorumque ſucceſſoribus ubilibet obſervatum.

VII. Nec ullum prorſus novæ disciplinę veſtigium Camaldulenſibus dediſſe Romualdus legitur ſupra illa, quę vel tum in Aquitania ſuos docuiſſe deprehendimus, et apud Pereum, Sitriam, Avellanam, atque alibi paſſim ante Camalduli inſtitutionem, vel independentèr ab ipſa, tum ferventiſſimis monitis ſuis, tum efficaciſsimo exemplo mirabilis ſuæ converſationis, prędicaſſe legimus; non ſcilicèt rigidam S. Benedicti Regulæ obſervantiam, non perpetuum ſolitudinis amorem, non incluſionis ritum, non ſilentij cenſuram, non veſtium ſquallorem, non contemplationis inſtantiam, non jejuniorum aſſiduitatem, non pſallendi modum, non denique quidquid vel imaginatione fingere quis præſumpſerit, sed eodem prorsùs tenore, tum Petrus Dagninus Camalduli, tum Petrus Urſeolus in

Aqui-

Aquitania; tum Petrus Damianus apud Catriam, tùm Bonifacius in Pereo, aliique S. Patris diſcipuli ante annum milleſimum, æquè ac poſt ipſum, vixiſſe leguntur, ut non ſit planè ovum ovo ſimilius.

VIII. Quid eſt igitur, cur apud Sacram Camalduli Eremum dumtaxat Ordinis ſui fundamenta jeciſſe Romualdus dicatur? cùm nec Damiani auctoritas id uſpiam commemoret, nec ex ejus Hiſtoria vel apparentis coniecturæ veſtigium ſe prodat vulgaris hujus traditionis, imò clariſſimè Sanctum Patrem ſuorum Diſcipulorum Formationi, et Eremiticę Vitæ Reſtaurationi, ab Aquitanicę Eremi incolatu vacantem Vir Beatiſſimus nobis deſcripſerit, eodem ſemper inſtituti tenore ubique ſervato, nulla innovatione Regulę in Gallijs traditę, nulla Canonum ibi decretorum immutatione, nulla Ordinis alterius fundatione uſpiam indicata, quæ ſi ulla Camalduli ſaltem contigiſſet, inter Sanctiſſimi Patriarchę geſta fuerat omninò commemoranda, ſumpta pręſertim occaſione ex Fagi miraculo cap. 47. recenſito, quòd ſicut *ſacri illius loci ędificationem* obiter indicandi anſam prębuit, ita et potiori jure *ibidem inſtitutę novæ Religionis* memoriam Damiano excitaſſet, quam cur neglexiſſet ad S. Patris Gloriam cumulandam ſpecialiùs adnotare?

IX. Poteritne quis aut Benedicti, aut Brunonis, aut Dominici, aut Franciſci, aut Ignatij Lojolę, aut Tereſię vitas, ſeu compendioſa, ut libuerit, elogia conſcribere, et inſtitutos ab ipſis Religioſarum Familiarum cætus ſilentio diſſimulare? Solus Damianus juſto libello

in

in 72. Capita diſtincto S. Romualdi Vitam complexus, ne unius quidem periodi clauſulam prætenſæ apud Camaldulum Fundationi ſuæ Religionis indigitandæ deſtinaverit? *Quale enim eſt hoc*, dicendum erit cum Hieronymo de Scriptoribus Eccleſiaſticis in Luca, ut diligentiſſimus, ac Romualdo Synchronus Scriptor, *inter cæteras ejus res hoc ſolum ignoraverit*!

X. Certè in Proœmio, quod magni Privilegij Leonis X. editioni, vel ab ipſo Petro Delphino Generali, vel ab alio quopiam publica Florentini illius Capituli Generalis authoritate præfixum eſt, lego, injunctum fuiſſe, unà cum Conſtitutionibus, et Bullis Pontificis, Vitæ S. P. Romualdi à Damiano deſcriptæ primam impreſſionem, ut Camaldulenſes agnoſcerent, nedum quis, qualisve fuerit Religionis ipſorum Inſtitutor, ſed etiam *Quo tempore, et quàm ſanctis initijs eam fundaverit, et quanti, ac quales in ipſius Religionis auſpicijs Confeſſores, Martyreſque in ea floruerunt*. Quod ſi aliunde, quàm ex Damiani Hiſtoria noſtri Ordinis Inſtitutio petenda ſit, ſi alia, quàm quæ Cap. 5. citato describuntur, fuerint Religionis exordia, quomodo ex illius Vitæ editione ſibi perſuadere poterant boni Patres tore, ut ab omnibus pleniſſimè cognoſceretur Religionis hujus origo, et *quo tempore, et quàm Sanctis initijs eam fundaverit* Romualdus! Si Urſeolus, Gradenicus, Venerius, Bonifacius, Joannes, et Benedictus, alijque ſimiles S. Patris Diſcipuli ante Ordinis Inſtitutionem, quæ primùm Camalduli facta ſit, ut ſupponitur, jam naturæ conceſſerant, qui erunt iſti *Confeſſores, et Martyres*, quos

G ex

ex Damiani Hiſtoria dicere poſſumus *in ipſius Religionis auſpicijs floruiſſe?*

XI. Adde, quòd ipſe Doctiſſimus Ordinis noſtri ſummus Antiſtes Petrus Delphinus, ſui Magiſtratus anno 22. cùm apud Vallis Umbroſæ Cænobium animadvertiſſet peculiarem ejus Congregationis Sanctorū cultum invaluiſſe, ſcripſit Venturæ Abbati S. Michaelis Murani (Epiſtolarum l. 7. Ep. 22.) ſibi conſtitutum eſſe, ut *Eos, qui de Ordine Camaldulenſi relati ſunt inter Sanctos, à neglectu, et oblivione vindicaret*. Quos putamus? Petrum Dagninum, Rodulphum, Pariſium, alioſve Camaldulenſis Eremi, aut Monaſteriorum huic deinceps aggregatorum incolas? nihilminùs: ejus curæ commiſit, ut Sanctos Martyres Bonifacium, Joannem, et Benedictum, quorum mentio in Vita S. Romualdi habetur, Kalendario insereret, congruo die, et convenienti officio ipſis aſſignato, non dubitans utique, hos præcipuos Romualdi Aſſeclas ejuſdem inſtituti, adèoque et Ordinis Camaldulenſis fuiſſe, ac meritiſſimè pro talibus habendos, licèt ante Camalduli ædificationem floruerint, quippe à qua ejuſdem Ordinis Inſtitutio non penderet, ſed ſola denominatio, quæ retrotrahi ſæpiſſimè ſolet, ut exemplis capite præced. num. 3. 4. et 5. adductis manifeſtum eſt: ſimili ferè modo, ac Stephanus Prothomartyr, et Joſeph Mariæ Sponſus, et Joannes Chriſti Præcurſor inter Sanctos Chriſtianos certiſſimè computàri debent, licèt in vivis eſſe deſierint antequàm Diſcipuli apud Antiochiam (Actor. 11. 26.) cognominarentur Chriſtiani, ut obſervationem Minij noſtri

noſtri (ad finem vitæ SS. Joannis, et Benedicti, ac Sociorum) uſurpem; quanquàm ego prælaudata tot Religionum exempla huic propoſito magis opportuna crediderim.

XII. Sed, ut in viam redeam, novum hinc mihi argumentum ſuboritur, quo luce meridiana evidentiùs conſtet, Damianum ab ea, quam confutamus, opinione quàm maximè alienum fuiſſe, atque in ea ſententia, quæ hanc Ordinis Inſtitutionem Sacræ Camaldulenſis Eremi ædificationi præviam fuiſſe authumat, conſtantiſſimè verſatum; dum obſervo, nullos ex ijs Diſcipulis, quos poſt Camalduli ædificationem Sanctus Pater ſuis inſtitutis formandos accepit, à Damiano celebrari, non ſcilicet Dagninum Camaldulenſi Eremo Præpoſitum, non Benedictum, non Giſſum, non Theuzum, non ipſum Maldulum, Viros Religione, et Sanctitate conſpicuos, ac B. Rodulphi, aliorumque noſtrorum Patrum memoria celeberrimos, ſed illos dumtaxat, qui ejuſdem Camalduli ædificationem præceſſere, alijſque in locis iuxtà primævum Aquitanicæ Eremi Inſtitutum conditis floruere, ut Petrum Urſeolum, Joannem Gradenicum, Marinum, Petrum de Bifurco, Filium Guidonis Comitis, Joannem, Benedictum, et Bonifacium Martyres, quorum Geſta non alio fine ſe inter Romualdi encomia inſeruiſſe fatetur Damianus, quàm ut fructum ejus ſanctiſſimæ Inſtitutionis oſtendat, et ex tantorum filiorum laude Magni Patris gloriam extollat. Sic enim cap. 27. de Bonifacio concludit: *Idcircò tamen illum cum alijs Romu-*

aldi Diſcipulis ſummotenus hìc memorare curamus, ut ex eorum laude quàm magnus Vir glorioſus Magiſter eorum fuerit demonſtremus, quatenus dum celſitudo clientium auribus fidelium inſonat, quàm excelſus Doctor eorum fuerit, ex ſchola, quam tenuit, innoteſcat.

XIII. Ubi quis non videt jam tùm à Romualdo proprium Ordinem inſtitutum in his Beatiſſimi Scriptoris verbis apertè ſupponi? Si enim eatenus Vir Sanctus peculiare quicquam nondum inſtituerat, non fuerat illa vocanda *Romualdi Schola*, ſed *Benedicti*, nec tam in peculiaris Magiſtri Romualdi gloriam Illuſtrium illorum Virorum laudes ceſſiſſent, quàm in Communis Monachorum Legislatoris encomium, ſi nihil ſupra Benedictinæ Regulæ canones Romualdus à ſuis Diſcipulis exegiſſet; ſaltem longè majoris Gloriæ momentum Romualdo conciliare Damianus debuerat ex propriæ Religionis [quam Camalduli poſtmodum inſtitutam ſupponunt] Alumnis, in quorum formatione Viri Sanctiſſimi ſpiritus peculiariùs reluxiſſet; dum igitur illos celebrare contentus, in horum Virtutibus recenſendis non immoratur, argumento eſt, aut illos ſolos, aut ſaltem præcipuos Romualdi Aſſeclas eſſe agnoſcendos, atque ut Ordinis Fundationi propiores, ita velut primaria illius lumina conſtituiſſe, aut denique hos poſtremos, prioribus illis per omnia ſimiles, nihil in ſe, pluſquàm illos, ex Romualdi imitatione peculiariùs derivaſſe, quo ſingillatim commendari ad tanti Patris encomium mererenrur, adeòque nullum hos inter, et illos Inſtitutionis diſcrimen interceſſiſſe,

ſed

ſed ex eodem fonte, per Romualdum in Galliis aperto, Vitæ Eremiticæ Canones hos, et illos hauſiſſe, ac poſteris propinaſſe; neque verò alia Ordinis Inſtitutio, præter illam ipſam, quam ex Aquitanica Eremo deduximus, Romualdo tribuitur in Supplemento Gallicani Martyrologii, ubi ad VII. Idus Febr. ſic legitur: *Eodem die S. Romualdi Abbatis, Ordinis Camaldulenſis Patriarchæ, qui ex Italia in Gallias cum Petro Urſeolo Venetiarum quondam Duce, Joanne Gradenico, et Marino Magiſtro veniens, illic Eremiticam Vitam inſtituit, ac Chriſtianiſſimi Imperii oras, annis circiter viginti, verbo, ac exemplo, magnoque Sanctitatis ſplendore decoravit.*

XIV. Quòd ſi cum Jacobo Laderchio, Vitæ S. Petri Damiani lib. 1. cap. 8. num. 13. Romualdum non quaſi novæ Regulæ Inſtitutorem, ac propriæ Religionis Auctorem à Damiano deſcribi contendas, ſed ut peculiarem dumtaxat hujus, aut illius loci Magiſtrum et Præceptorem: animadvertas velim, nullum huic ſuſpicioni locum eſſe reſiduum, ſi perpendantur, quæ paſſim in Romualdi Vita deſcribuntur, Prelationis uni loco non aſtrictæ, ſed ad plura ſimul protenſæ, non obſcura veſtigia; ut cùm cap. 37. Romualdus inducitur, qui *effectis numquam contentus, dum alia faceret, ad facienda mox alia properaret; adeòut putaretur totum mundum in Eremum velle convertere, et Monachico Ordini omnem populi multitudinem ſociare*; et cap. 49. ubi *ad Venerabilem Virum, ubicunque degeret, turba hominum penè innumerabilis concurrebat; ratio ergo poſcebat, ut cùm unius loci ſpatium plenum habitatoribus cerneret, illic Priore conſtituto, ad*

replen-

replendum mox alium feſtinaret. Quæ ſi non ſufficiunt; obſerva Romualdum Parentii degentem, longo terrarum, mariſque ſpatio licèt diviſum, à Biſurcenſibus Diſcipulis, conſilii cauſa bis conveniri, ut cap. 32. et 33. narratur, ac de modo Eremiticæ Converſationis interrogari; Ad Romualdum ab ejus Diſcipulis Joanne, et Benedicto Nuncium ex Polonia deſtinari cap. 28. *Ut aliquos ſecum de B. Romualdi Fratribus duceret, qui Eremiticæ Converſationis edocti, cum eis ſimul in Sclavorum partibus habitarent;* Romualdum, cùm multos è ſæculo abſtraheret, non in unum aliquod Monaſterium, cui ſingulariter præeſſet, omnes abduxiſſe, ſed *Per plura ſacra loca diviſiſſe* cap. 37. Eundem S. Virum è ſuis Diſcipulis Prælatos Monaſteriorum S. Adalberti in Pereo cap. 30. Parentii cap. 31. Montis Amiati cap. 65. et alibi conſtituiſſe. Perpende, ut in ipſos variorum Locorum Abbates Romualdus ex generali ſuæ Prælationis auctoritate animadverteret, ut cùm cap. 30. habetur: *Præcepit etiam Abbati, ut in Eremum ſecedens per totã hebdomadam in cella conſiſteret, diebus verò Dominicis fratres ad Monaſterium veniens viſitaret*; ac cap. 39. *Volebat Abbatem, ut reverà Monachum, extremitatem diligere, ſæcularia ex deſiderio non tractare, res Monaſterii pro vana gloria non expendere, fratrum uſibus neceſſaria miniſtrare*. Et cap. 41. narratur, quòd Romualdus *audiens aliquando, quia Venetus quidam Claſſenſem Abbatiam per coemptionem Simoniacæ hæreſeos invaſerat &c. illuc protinus ire miles Chriſti impiger ſtuduit, diverſiſque modis ex eo Monaſterium purgare tentavit*; ac denique cap. 45. ubi de Romualdo legi-

legitur, *Abbatem ſic alios regere, ut ſemetipſum tamen nequaquam negligeret, exhortatur; volebat inſuper, ut Cellam, qua uſus fuerat occaſione regiminis, non omnino deſereret, ſed in ea ſibimet ſpiritualiter vivens, præcipuis tantùm feſtivitatibus fratres admonitionis gratia viſitaret*. Quæ omnia probant utique, perinde ante, ac poſt Camalduli ædificationem, non velut privatæ Domus religioſæ Præſidem, ſed ut Eremiticæ Diſciplinæ Inſtitutorem, et Monaſticę Philoſophię Reſtauratorem egregium Romualdum ab omnibus ejus Diſcipulis communiter agnitum fuiſſe, adeòque ejus Religionis Fundationem ipſius Camalduli conſtructioni, eodem prorſus ubique modo ſervato, eademque vivendi forma retenta, præiviſſe, multisque anteà locis eſſe propagatam, quàm in Camaldulenſi Eremo radices poneret, ubi poſtmodùm, benedicente Domino, uberiùs adolevit.

XV. Prætermittendum autem hoc loco non eſt, quàm facile ſit his iiſdem teſtimonijs nuper ex Damiano recitatis, adversùs alium eruditum Scriptorem Didacum Franchum Abbatem Congregationis Vallis Umbroſæ, evidenter aſſerere Dominativam [ut ipſe appellat] et Æconomicam Sanctiſſimi Patris Romualdi in Eremiticas, aut Cœnobiticas ædes ab ſe fundatas Poteſtatem, quam laudatus Auctor lib. 7. Hiſtoriæ S. Jo. Gualberti pag. 202., et 203. Romualdo conveniſſe inficiatur (de quo et lib. 4. pag. 68. dubitaverat) quia ſæpe à diſcipulis expulſus, ac tum verberibus, tum pæna ſuſpenſionis aliquando mulctatus, ut præſertim legitur cap. 50. ejus Vitæ à Damiano deſcri-

ſcriptæ: *Impoſuerunt Diſcipuli Sancto Viro, quaſi de commiſſo ſcelere pænitentiam, et celebrandi ſacra myſteria penitus abſtulere licentiam*: Quod ſi enim, inquit Franchus, prælationis jus in illos Diſcipulos Romualdus obtinuiſſet, authoritatem ſuam per cenſuras à ſubditorum contumelia, et contemptu vindicaſſet. Sed cùm ex tot locis ſupra laudatis evidentiſſima ſit S. Patris in ipſoſmet Abbates ſuorum Monaſteriorum, nedum in ſuos filios, auctoritas, cùmque inſuper ex capitibus 12, et 15. ejus vitæ conſtet, ipſum *in virtute ſanctæ obedientiæ* præcepiſſe Joanni Diſcipulo, ne Comitem Olibanum deſereret; cùm etiam in hoc ipſo Sitriæ Monaſterio, ubi calumniam paſſus, et pænitentiæ à Diſcipulis impoſitæ fuit obnoxius, narret Petrus Damiani cap. 55. Virum Sanctiſſimum Gregorio ſcabie infecto indixiſſe, ut per tres dies crura ſibi frigida aqua perfunderet, *quod ille adimplere ſtuduit magis neceſſitate juſſionis, quàm recipiendæ fiducia ſoſpitatis*, ut alia omittam poteſtatis hujus, qualem Franchus requirit, apertiſſima indicia: Quis ſibi perſuadere poſſit, huic prçjudicare potuiſſe ſacrilegam, et temerariam Diſcipulorum audaciam, ſeu veriùs humilem Viri Sanctiſſimi ſimplicitatem, qua ſola factum eſt, ut illorum improbitati de facto, non de jure cedens ſuccumberet, nec de ultione ſollicitum ſe præberet? Quaſi verò diſcipuli pænitentiam illam Magiſtro ex authoritate impoſuerint, Magiſter ex obedientia Diſcipulis debita ſuſceperit, atque obſervaverit! At cui demum parebant Monachi Sitrienſes, ſi non Romualdo? Numquid Reipublicæ more ſingu-

lis

lis omnes legem dabant, omnium ſinguli decretis viciſſim aſtringebantur?

XVI. Nimirum facti ſpecies hęc fuit. Calumnia obſcœna per ſummam impudentiam Romani, quem Vir Sanctiſſimus ob mores corruptos redarguerat, Romualdo impacta eſt; cęteris detractori fidem habentibus, tumultus in Magiſtrum excitatur, atque is dignus habetur, qui ad ſacra myſteria accedere non pręſumeret, hęc enim impudicis pęna ſtatuta erat, atque ea pręſertim ętate viguiſſe dignoſcitur ex Actis S. Jo. Gualberti, qui Presbiterum inhoneſtum Monaſtico quidem habitu donandum cenſuit, ſed ſacris altaribus accedere non permiſit, ut apud eundem Didacum Franchum docet Andreas Januenſis in Vita S. Joannis Gualberti cap. 23. C*onſuetudo*, inquit, *noſtra hæc eſt, ut nullus apud nos aliquod ſacrum officium celebret, qui quolibet tempore carnali contaminatus eſt ſcelere*. Cùm ergo difficillimè poſſet Vir Sanctus omnem fędę labis opinionem è Diſcipulorum Mentibus prorſus delere, ſatius duxit à divinis myſterijs tantiſper ceſſare, quàm ut ad àltare accedens ſcandalo eſſet ijs, qui detractori fidem habuerant; Neque verò ſi contentioſiùs per cenſuras ęgiſſet, authoritatem ſuam vindicans, ut Francho placebat, omnem occulti ſceleris ſuſpicionem ideò abs ſe eliminaſſet, ſed maioribus turbis anſam prębere poterat; maluit ergo patientię, humilitatis, et ſimplicitatis suę exemplum prębere, quam tamen nimiam, indiſcretã, nec prudenter imitandam, ipſe poſtmodum Vir Beatiſſimus cęleſti monito intellexit, cùm *Sibi divinitus juſſum*

eſt, verba ſunt Damiani cap. 50. citato, *ut ſi divinam timeret gratiam perdere, jam INDISCRETAM SIMPLICITATEM omnino poſtponeret, et ſacra Miſſarum ſolemnia fiducialiter celebraret*; Quod et poſtera die, ſuis Diſcipulis inconſultis, præſtitit, adeò non ab illis pendebat, neque illorum præcepto ligabatur: imò ipſi Diſcipuli [ſi Fortunio credimus Hiſtoriæ Camal. p. 1. l. 1. cap. 36.] *Humi proſtrati veniam de perpetrato crimine poſtulaverunt ſuppliciter ſinguli, nec indignos pænitentiæ fructus ſponte, ac certatim egerunt, præter Romanum, qui à S. Romualdo deficiens ut reprobus* (Quemadmodùm, et Damianus loco cit. notat) *cùm Nucerinum Epiſcopatum per biennium occupaſſet, vitam denique cum dignitate, divina eum feriente Juſtitia, miſerrimè amiſit*.

CAPUT IV.

Idem ex S. Romualdi Inſtituto demonſtratur.

SYNOPSIS.

Ad Eremiticam vitam Romualdus inter venandum aſpirat, eandem poſt triennium Monaſticæ converſationis amplectitur. 1. *Romualdus Eremiticæ vitæ perficiendæ ſtudioſus ſupra Magiſtrum proficit*. 2. *Vitæ Eremiticæ cum Cænobitica conjunctio Romualdi ſcopus, communi Camaldulenſium Stemmate*

mate expreſſus. 3. *Patres de utriuſvis diſciplinæ præſtantia ancipites à Romualdo conciliati.* 4. *Alterius ſine altera imperfectio priſcis etiam Patribus cognita*. 5. *Utramque et ipſi coniungendam ſtatuerunt*. ibi. *Inſtituti S. Romualdi perfectio*. ibid. *Primum medium ad hunc finem à Romualdo electum, Solitudinum, et Monaſteriorum coniunctio*. 6. *Eremitæ in Cœnobijs anteà probandi* ibi. *Monaſteria Eremis copulata etiam apud veteres Patres*. ibid. *Ante Camalduli conſtructionem Monaſteria cum Eremis coniunxit Romualdus*. 7. *Apud Avellanam Clauſtra, et Solitudines, item ad montem Amiatum, et Pompoſam*. 8. *Fons bonus Cœnobiumne, an hoſpitium? à B. Rodulpho Monachorum uſui, et præviæ Eremitarum probationi accomodatum*. 9. *Eremitas in Cœnobio probatos fuiſſe à Rodulpho ad Delphinum uſque, qui nonnullorum gratia huic conſuetudini primùm derogat*. 10., *et* 11. *Mutata ex integro hæc diſciplina ab anno* 1510. *admiſſis Paulo Juſtiniano, et Petro Quirino, atque alijs deinceps ſæcularibus in Eremum*. 12. *An Romualdus aliquos è ſæculo in Eremum immediatè admiſerit?* 13. *Vetuſta Camaldulenſis Eremi conſuetudo à Juſtiniano prætenſa*. 14. *In dubium revocatur*. 15. *Petri Damiani authoritate fortè aliquando inducta, et uſque ad Rodulphum ſervata*. ibi. *Rodulphi, et Gherardi authoritatem perperam adducit, et interpretatur Juſtinianus*. ibi. *Hæc à nobis Hiſtoricè tantùm referri, modernamque conſuetudinem ideò non improbari*. ibi. *Secundum medium Eremiticæ, ac Cœnobiticæ vitæ coniungendæ, plurium diſiunctarum cellularum, intra ejuſdem Eremi ſeptum, diſpoſitio*. 16. *In alijs locis ante, et extra Camaldulum ab Romualdo, et*

Diſcipulis eadem forma obſervata. 17. *Aqua bella eadem quæ Vallis Umbroſa à S. Romualdo priùs ædificata, quàm S. Joannes Gualbertus illuc ab ipſo mitteretur, à duobus Romualdi Diſcipulis ibidem ſuſceptus*. 18. *Tertium medium ad eundem finem obtinendum, eorum, qui meri Anachoritæ vitam degunt, et qui puri Cænobitæ officio funguntur, Inſtitutio*. 19. *Primorum, quos Reclusos vocant, perfecta, et admirabilis diſciplina*. 20. *Ante Camaldulum, et poſtea in locis ab illo independentibus, eadem Reclusionis forma ſervata*. 21. *Monachis ſola Regulæ Benedictinæ obſervantia præſcripta*. 22. *Illos etiam antea, quàm Camaldulum conſtrueret, ac poſtmodum variis in locis ab illo independentibus, S. Romualdus inſtruxit, ac propagavit*. ibi. *Canonicorum Regularium, et Monialium Inſtitutio per Romualdum facta*. 23. *An primum Sanctimonialium Cœnobium noſtri Ordinis fuerit Lucenſe in agro Mucellano?* ibi. *Arguitur pro Veteri ſententia, ex quo totum D. Romualdi Inſtitutum jam alibi ante ædificationem Camalduli obtineret*. 24.

I. VErùm, ut ex ipſis, quod ajunt, cauſæ viſceribus opportuna propoſito noſtro argumenta depromere liceat, libet in exponendo Sanctiſſimi Patris Inſtituto paulò diutiùs immorari; ubi enim, quale fuerit in Ordinis ſui fundatione Romualdi conſilium, innotuerit, ſeſeque in conſpectum dederint media, quibus in ſcopum ſibi præfixum collimaverit, faciliùs de re tota conſtabit, et cauſæ, quam exagitamus, merita apertiùs innoteſcent. Vel ſub ipſum adoleſcentiæ

tiæ ſuæ primordium ingentes ad ſolitudinis cultum ſtimulos Romualdo Divinus Amor addiderat; nam Damiano referente in ejus Vita cap. 1. *Si quando ſe ad ſtudium venationis accingeret* (Romualdus) *ubicunque per Sylvas amænum locum repeiire poterat, mox ſe ad Eremi deſiderium ejus animus accendebat, dicens intra ſe: O quàm bene poterant Eremitæ in his nemorum receſſibus habitare! quàm congruè poſſent hic ab omni ſæcularis ſtrepitus perturbatione quieſcere! et ita mens ejus cælitus inſpirata JAM DIVINABATUR IN AMORE QUOD IMPLETURUS ERAT POSTMODUM OPERE;* Poſtquàm autem Vir Sanctiſſimus in Monaſterio Claſſenſi Monaſticen induit, *cùm in ejus animo* (inquit cap. 4. Damianus) *Perfectionis amor magis, ac magis in dies creſceret, nullamque mens ejus requiem inveniret*, exacto vix triennio, ad ſolitudinem B. Marini, de ſui Abbatis, et Monachorum conſenſu, quantocyùs convolavit, ut dilectæ Rachelis amplexibus frueretur, et, ad quam tantoperè aſpirabat, Eremi quietem, velut unicum ſuarum ſollicitudinum portũ, obtineret, ibique eximijs Patientiæ, et Humilitatis exemplis ſub rigida ejuſdem Marini diſciplina ſolitariæ Vitæ tyrocinium illuſtre poſuit, atque ipſimet Magiſtro ſuo, non ædificationi dumtaxat, ſed admirationi fuit, ut Damiani teſtatur Hiſtoria.

II. Quia tamen Divina Gratia non humilem dumtaxat ſolitarium, ſed perfectum Eremitarum Ducem in Romualdo formabat, et egregium in Occidente ſolitariæ Vitæ Inſtitutorem mundo proponere decreverat, altioribus Virum ſanctiſſimum cogitationibus imbuit,

buit, quàm ut unius Marini diſciplinæ perpetuò addictus ſubjaceret. Erat quidem Marinus, ut Petrus Damiani loco citato aſſeverat, *Vir ſimplicis animi, et ſinceriſſimæ admodùm puritatis*, verùm *nullo magiſterio Eremiticæ converſationis edoctus, ſed ad hanc ſolummodò bonæ voluntatis impulſu fuerat incitatus*. At Romualdus, perfectam Eremiticæ Vitæ rationem inire cupiens, in Sanctorum Anachoretarum vitis, monitis, ac conſuetudinibus legendis, atque imitationi tradendis aſſiduus, ut prævio accurato examine, propriaque experientia dignoſceret, quid ex illis ſeligendum, quidve relinquendum, immutandumve Prudentia dictaret, eum brevi perfectionis gradum eſt aſſecutus, ut Marinus ipſe Romualdo Cathedram cedere non erubuerit, quemadmodum ſupra ex Damiani cap. 6. innuimus, et junioris Alumni diſciplinę ſe lubens, gaudenſque devoverit, cui nuper ipſe præfuerat.

III. Hoc verò præcipuè Vir ſanctiſſimus, divino quodam afflatus lumine, ſibi propoſuit, in hoc ſuæ ſollicitudinis partem omnem intendit, *ut Eremiticæ ſimul, ac Monaſticæ diſciplinæ perfectionem in ſe, et ſuis conjungeret, atque utriuſque bona, ſublatis utriuſque incommodis, invicem copularet*. Unicum certè hunc ſcopum Romualdo fuiſſe propoſitum, quotquot ejus acta attigerunt fermè teſtantur, in primis verò B. Paulus Juſtinianus in Regula Eremitica cap. 1., Lucas Hiſpanus Hiſtoriæ Romualdinæ l. 1. cap. 11., et l. 5. cap. 6. Joannes de Caſtagnizza in Vita S. Romualdi cap. 4., Stephanus Demalevicius in vita S. Bogumili cap. 29., et alij paſſim; quod

quod nec ipſimet diffitentur adverſæ nobis ſententiæ Anteſignani Fortunius, et Ractius, ſi eorum ſcripta diſcutiantur: nec deſunt qui ab *Eremiticæ, et Cænobiticæ Vitæ nexu* ſignificando communis Camaldulenſiũ Symboli inſigne derivent, atque ab ipſo Romualdo ſuis traditum poſteris fuiſſe contendant, duplicis enim Columbæ eidem ſacro Calici inhiantis conſortium, utriuſque Vitæ in mutuam gratiam redactæ, eidemque propriæ perfectionis ſtudio communicantis myſterium aptiſſimè repræſentat; quamquàm alijs diverſam Stemmatis illius originem placeat aſſignare.

IV. Et quidem divino planè conſilio Vitæ utriuſque conjunctionem molitus eſt Sanctus Pater, animo quippe advertens, poſt accuratam ſingularum diſcuſſionem, adhuc ancipites, et animi dubios pendere ſummos Aſceticę Vitæ Magiſtros, utram alteri præferrent, atque huic illos, alios alteri palmam concedere, prout vel contemplationis quietem Solitudine, vel omnium virtutum exercitium Monaſterio foveri conſiderarent, optimum factu duxit Vir Prudentiſſimus, ſi nova quadam, et in his occidentalibus partibus inaudita Anachoreſeos forma (quam alij poſt Romualdum Patriarchę ex parte ſaltem ſunt imitati) litem hanc ipſe dirimeret, ut neque ad ſpiritualium deliciarum mannam in terra deſerti fluentem anhelantibus cæleſtium voluptatum deeſſet Thalamus, nec in Virtutum palæſtra exercendis animis, quo ſe ad humilitatis, patientiæ, obedientiæ lauream comparandam accingerent, cæleſtis militiæ Campus deficeret. *Solitarios* idcircò ſuos Diſcipu-

ſcipulos eſſe voluit, et ab omni ſæcularium curarum ſtrepitu ſecretos, ne ab audiendis verbis Domini ad cor eorum loquentis, exteriorum rerum frequentia diſtraherentur; ſed non ita permiſit eſſe *ſolos*, ut ſi vel humana fragilitate, vel inferni hoſtis inſidijs victi conciderent, non haberent ſublevantem: uno verbo, hoc exequi in ſuis Alumnis, et ad praxim ipſam deducere intendit, quod dudum Magnus Baſilius in Oriente obtinuerat, qui *Ita Monachorum inſtitutum temperavit, ut ſolitariæ, atque actuoſæ vitæ utilitates præclarè ſimul coniungeret*, ut de ipſo ad diem 14. Junij in Eccleſiaſticis officijs legendum proponit Eccleſia.

V. Nimirum antiquis etiam Orientis Patribus perſuaſum erat, imperfectam quodammodò, et mancam eſſe Vitam Solitariã ſine Cænobitica, aut Cænobiticam ſine Solitaria diſciplina, unde Caſſianus Collat. 19 cap. 9. inquit: *Is verò non ex parte perfectus eſt, qui et in Eremo ſquallorem ſolitudinis, et in Cænobio infirmitates fratrum æquali magnanimitate ſuſtentat*. Videatur Thomaſinus in veteri, et nova Eccleſię diſciplina de Beneficijs part. 1. l. 3. cap. 23. hanc rem illuſtrans, qui num. 4. ita concludit: *Ea denique Caſſiani doctrinæ ſumma eſt, omnibus perfectionis æmulatoribus certandum eſſe, ut duplicis hujus generis virtutes, ac dotes omni ſtudio ſibi comparent, Cænobitarum, et Anachoretarum. In eam ſemitam ingreſſi ſunt Macarius, Paphnutius, Moyſes, et tot alij, qui contemplationem actione, actionem contemplatione pulcherrimè interpunxerunt: nunc immerſi in delitias ſolitudinis, et jugis cum Deo colloquij, nunc inde emergentes, ut ſe totos charitati, et provehendæ proximo-*

ximorum ſaluti impenderent. Sed longè ſolidiùs, et clariùs id dudum probaverat Juſtinianus noſter in Epiſtola procemiali ſuæ Regulæ Vitæ Eremiticæ præfixa, ubi hæc habet: *Profectò quisquis has duas, de quibus loquimur, monaſticæ vitæ inſtitutiones diligentiùs conſiderare, earumque non originem tantùm, ſed ſingula inſtituta accuratè perſcrutari voluerit, clariſſimè intelliget, eas tanta invicem affinitate, mutuaque complexione junctas eſſe, ut neque Cœnobitica abſque aliqua Eremiticæ inſtitutionis participatione integra eſſe videatur, neque Eremitica ſine aliquo Cœnobiticæ vitæ adminiculo perfecta poſſit appellari. Et proculdubio quicunque earum alteram experiri cæperit, utramque utriuſque egere auxilio cognoſcet, communicareque utriuſque vitæ ſectatores in plurimis, præcipuiſque inſtitutionibus inveniet; ob idque non immeritò utroſque Monachos appellatos eſſe intelliget*. Unde nunquam ſatis commendari poteſt præclara Romualdi Inſtitutio, qui Diſcipulorum ſuorum converſationis formam ita temperavit (quemadmodùm idem Auctor proſequitur cap. 1. Regulæ Eremiticæ) *Ut ſubiectæ ſocialiſque vitæ commodis, et ſecuritate, ſine varijs Cœnobij occupationibus, multiplicibuſque diſtractionibus, potiantur, et ſolitudinis lætæ, fælicique admodùm tranquillitate, ſine ullis ſolitariæ vitæ periculis, perfruantur* .... Et infrà. *Quæ quidem Eremiticæ vitæ forma omni Cœnobitica perfectior eſſe inſtitutione, et cætera omnia Eremitarum genera longo intervallo antecedere videtur, quoniam in ea nulla earum, quæ in Cœnobijs eſſe ſolent, variarum actionum occupatio, nulla ſæcularium, vel hominum, vel negociorum frequens, et noxia mentis diſtractio relicta eſſe videtur: nulla quoque, ſicut in primo Eremitarum genere*

(quod Gyrovagos, et Sarabaitas juxta hunc Auctorem complectitur) *eſſe conſpicitur culpę, aut infamię ſuſpicio; nullum, ſicut in ſecundo genere* (in quo ponit eos, qui ex Monaſterij probatione diuturna ad ſingularem militiā ſolitudinis provehuntur, de quibus S. P. Benedictus in prologo Regulæ loquitur) *eſt periculum, aut ſalutis diſcrimen invenitur: immò cùm et pura Cęnobialis converſatio, et omnis alia Eremiticę vitę Inſtitutio, et commoda quædam, et incommoda habeat, videtur quòd, aut omnibus penitus, aut pluribus omninò cęterarum omnium inſtitutionum incommodis amotis, ex his, quę in alijs omnibus Religioſę vitę inſtitutionibus commoda, recta, ſecura, atque laudabilia ſunt, tertium hoc Eremiticę Vitę genus* [Camaldulenſibus à Romualdo relictum] *divino quodam temperamento inſtitutum ſit.*

VI. Quibus autem medijs ad hunc ſibi præſtitutum finem obtinendum uſus ſit Romualdus, ex ejus vita abundè colligitur. *Primò* ſiquidem conſtat, ipſas Monachorum, et Eremitarum habitationes ita conjunxiſſe, ut pleriſque Monaſterijs ſuam Eremum adnecteret, cuilibet fermè Solitudini ſuum Cænobium copularet: quo ipſo effecit, ut et Eremitæ in ipſa ſua ſequeſtratione Abbatis imperio ſubditi viverent, nec fratrum conſilio, et directione carerent, et Cænobitæ viciſſim auſteriori ſolitariorum exemplo ad æmulanda meliora charismata incitati, obviam haberent, ac præ oculis poſitam ſolitudinis quietem, cui anhelarent, et ad cujus ſecreta, reficiendi ſaltem ſpiritus gratia, identidem ſe transferrent, ſicque non minùs Eremi Cænobitarum eſſent refugia, quàm Cænobia ſeminaria fierent Eremitarum,

tarùm; Hieronymo Epiſt. ad Ruſticum dicente: *De ludo Monaſteriorum hujuſmodi volumus egredi milites, quos Eremi rudimenta dura non terreant*, Et S. P. Benedicto in cap. 1. Regulæ monente, hos verè Anachoretas, ſive Eremitas appellandos, *qui non converſionis fervore novitio, ſed Monaſterij probatione diuturna, didicerunt contra Diabolum, multorum ſolatio iam docti, pugnare, et benè inſtructi fraterna ex acie ad ſingularem pugnam Eremi, ſecuri jam ſine conſolatione alterius, ſola manu, vel brachio contra vitia carnis, vel cogitationum, Deo auxiliante, ſufficiunt pugnare*; Quapropter Prudentiſſimus Pater ſuis Eremitis domos probationis in adiunctis, aut vicinis Cænobijs providere ſolitus fuit, adeòut, cùm nimis referta eſſent habitatoribus ſua Monaſteria, quàm ut recèns converſis Viris admittendis ſufficerent, mallet ipſos alienis Cænobijs initiandos conſignare, quàm ex abrupto in Eremitarum conſortium transferre; teſtatur id Stephanus Demalevicius, Vitæ S. Bogumili cap. 29. dicens: *Non niſi in Regula S. Patris* [Benedicti] *benè tyrones exercitatos ad ſolitam veteranorum militum* [putà Eremitarum] *vitam, in qua culmen perfectionis ſitum eſt, admittebat* (Romualdus) *ut etiam duos illos primos inſtituti ſui ſectatores* (Urſeolum, et Gradenicum) *non priùs Eremiticæ Vitæ voluerit eſſe conſortes, quàm profeſſionem in Cænobio S. Benedicti feciſſent: ut mirari lectorem minimè oporteat, cur S. Adalbertum, tunc Epiſcopum Pragenſem, poſt Archiepiſcopum Gneſnenſem, et Glorioſum in Pruſſia Martyrem, ad Ordinem S. Benedicti Romam, ſub diſciplinam Leonis Abbatis Monaſterij Sanctorum Bonifacij, et Alexij deſtinaverit, itemque Caſimirum*

Regis Miecislai filium, Boleslai primi Chriſtiani Polonorum Regis nepotem Cluniacum relegaverit, nolebat enim alios ad vitam ſolitariam admittere, niſi ſanctæ converſationis ſtudio, juxta Regulam S. Benedicti, perpolitos. Neque dubium eſt, hac etiam in re Veteres Orientis Patres Romualdum imitari voluiſſe, quos pariter Vitæ Eremiticæ, ac Cænobiticæ invicem copulandæ gratia ſolitarias cellas adjunxiſſe Cænobijs tradit Thomaſinus loco, quem ſuperiori paragrapho citavimus, num. 5. *Eo utique conſilio*, inquit, *Lauras, et Monaſteria eodem loco excitavere, ut perfectioribus quibuſque cederent Lauræ, quæ cellulæ erant aliæ ab alijs ſejunctæ, juniores autem in Monaſterijs inſtituerentur, ut in omnium gymnaſijs virtutum, immoderatas animi frangere, et elidere cupiditates: denique ut Anachoretæ ipſi alternatim in Monaſteria reduces poſſent illum aſſequi perfectionis apicem, qui ex utriuſque inſtituti copula exurgit*.

VII. Hanc porrò Cænobiorum, et Solitudinum conjunctionem, nec prima, nec ſola vidit Etruria; etenim, ut demus id accuratè Romualdum exequi voluiſſe, ædificato apud Sacram Camaldulenſem Eremum Fontisboni Monaſterio, tum ad hoſpites ſuſcipiendos, tum ad confluentes pænitentiæ cauſa converſos homines Monaſticis priùs inſtitutis initiandos, quàm Eremiticæ diſciplinæ rigorem amplecti ſinerentur, ut ab ipſa Rodulphi ætate per quinque ſaltem ſæcula obſervatum fuiſſe Lucas Hiſpanus Hiſt. Romuald. l. 1. cap. 10. teſtatur; Prior nihilominus Gallia in Aquitanicæ Eremi prope S. Michaelis Cænobium fundatione, Prior Æmilia, conſtructo, prope Eremum Perei, S. Adal-

berti

berti Monaſterio, Prior Umbria viderat apud Vallem de Caſtro, et alibi , ut idem Lucas Hiſpanus refert loco cit. cap. 5. his verbis: *Ubicunque loci opportunitas ſe offerebat, non longè à Monaſterio Eremus quoque condebatur, unde ſępius in ejus* [Romualdi] *hiſtoria ſub ejuſdem nomine loci, nunc Monaſterij, nunc Eremi ſit mentio, ut in Sitria, Pereo, Biſurco, Parentio, et Valle de Caſtro*. Et fuſiùs cap. 11. dicens. *Et ſi ab initio Beatiſſimus Pater Romualdus ad antiquam SS. Patrum Anachoretarum religionem ſuſcitandam contenderet, nequis tamen Vitę auſteritate à Dei ſervitio excluderetur, ſępiùs in eodem loco et Monaſterium, et ſeparatas ſolitariorum cellas ędificare conſuevit. Quo prudentiſſimo conſilio robuſtos corpore, et animo ferventes in ſolitudine, imbecilles verò, ac debiles in clauſtrali regularique obſervantia, ſub Benedicti Sanctiſſimi Regula retineret; unde factum eſt, ut moriens multa relinqueret* [*pręter Eremos*] *Monachorum Cęnobia. Quapropter apud Petrum Damianum, qui omnia diligenter adnotavit, plerumque idem locus, modò Eremus, modò Monaſterium appellatur: porrò ſic intelligendum illud, quod idem Auctor trigeſimo capite ſcribit, conſtructo ſcilicet in Pereo Monaſterio, pręcepiſſe Romualdum Abbati à ſe conſtituto, quatenus in Eremum ſecedens, per totam hebdomadam in cella conſiſteret, Dominicis autem diebus ad Monaſterium rediens Monachos viſitaret: et nihilominus vigeſimoſexto capite de eadem Eremo tractans, nulla de Monaſterio agitur mentio; eodem modo factum fuiſſe in Sitria, Vallecaſtrenſi, Parentio, et alijs locis multis, manifeſtum eſt.*

VIIJ. Eadem verò ratione, quam laudatus Lucas hìc tangit, clariſſimè conficitur, etiam apud Catriam,

et

et Clauſtrum, et Solitudinem Avellanitas habuiſſe, quippe idem locus, nunc Eremi, nunc Monaſterij appellationem apud Petrum Damianum varijs in locis ſortitur, perinde ac de Sitria, alijſque adiacentibus ſolitudinibus idem obtinet; ſed et Montis Amiati Cænobium Henrici Imperatoris dono vix adeptum fuiſſe Romualdum, ac ſe ad Eremum illi adiungendam (quę *ad Vivum* eſt appellata) accinxiſſe liquet, ex Vitæ cap. 67. Idemque inſtitutum alia loca ex Romualdi vel inſtitutione, vel imitatione æmulata fuiſſe, ejus ætatis monumenta declarant; Sanè apud celebre Pompoſianum Cænobium Eremum viguiſſe colligo ex Epiſtola Henrici Clerici ad Stephanum, relata in Diario Italico Eruditiſſimi Viri D. Bernardi de Montfaucon, ubi poſtquàm retulit, ſub Ven. Hieronymo Abbate ingentem librorum vim undique collectam, et deſcriptam, ad Bibliothecam Cęnobio illi comparandam, quę omnium Italię inſtructiſſima, ac refertiſſima foret, *Cui operi*, verba Henrici ſunt, *ex Abbatis juſſu Bonus nomine, et exemplo Monachus ex Eremita prężerat, omnium dogmate artium peritus*. Sic ad finem concludit: *Hoc autem, quod de vita Sancti Viri Hieronymi, deque fratrum numero, et de EREMI amęnitate, et totius loci ædificijs quæris, in libello, quem propriè ea de re ſcripſi, invenies: actum verò hoc in libro Pontificum, Anno ab Incarnatione* 1093. Hęc ille.

IX. Diximus porrò ſub initium numeri 7. *Ut demus id accuratè Romualdum in Etruria exequi voluiſſe, ædificato apud ſacrā Camaldulenſem Eremū Fontisboni Monaſterio, &c.*

Nam

Nam nonnullis videbitur, Fontisboni domum ab Romualdo cum tribus Converſis, atque uno Monacho ordinatam fuiſſe, *velut Hoſpitium* dumtaxat ad peregrinos recipiendos, ut ab omni ſtrepitu remota Camaldulenſis Eremus conſervaretur, et ſic ad ipſa B. Rodulphi tempora perduraſſe, qui primus Monaſticę obſervantię formam illuc introduxit, et in Tyrocinium Eremitarum evexit, ut ibi priùs probarentur, antequàm ad Eremum aſpirarent, quam tunc temporis nonnulli jam cęperant, non levi ſui profectus diſcrimine, poſt converſionem immediatè conſcendere; ait enim Rodulphus in Conſtitutionibus anni 1085. *Nonnulli ſęculares homines ſimiliter, poſt tergum mundo projecto, ad hanc Eremum, velut ad tutiſſimum portum, confugierunt, et abrenunciantes proprijs voluntatibus, Monaſticum habitum acceperunt, et ut dici ſolet, priùs ad cacumen volantes, quàm arboris radicem quęrentes, idcircò quidam ex his citò ad ima repedabant, et omninò deficiebant cum mętore, et triſtitia. Quamobrem in unum convenimus, et multis inter nos ventilatis ſermonibus, tandem quoddam conſilium, quod ad hanc converſationem convenientibus fratribus profuturum eſſe prævidimus, reperimus: ideſt ut in ſupraſcripto hoſpitio, qui dicitur Fons bonus, regularem ordinem, et diſtrictionem, ut B. Benedictus præcipit, à fratribus ex iſtis inſtrumentis doctis, optimè tenere faceremus, ut hi, qui de ſęculo confugiſſent ad nos, illuc vita, et ordine, atque regularibus diſciplinis inſtructi à Magiſtris fuiſſent, jejuniis ab eis, et cęteris omnibus obſervatis, ſicut mos ibi eſt, pluſquàm in Monaſteriis, et ſic inſtructi poſtea ad prædictam Eremum cum licentia Prioris venirent, et Eremi vitam facerent, &c.* X. Id-

X. Idque à Rodulphi tempore ad Delphinum uſque obſervatum fuiſſe conſtat, namque hic lib. 3. epiſtolarum ſuarum, ep. 15. Joannem Majorem Eremi ſic alloquitur. *Dixi tibi aliàs, et nunc iterum dico: petunt hodie multi, idque ferè quotidie, in Eremum recipi, qui ex Eremi conſtitutionibus admitti prohibentur, Sacerdotes laici, nullis etiam ſacris initiati, et juniores ætate; petunt autem importunè, quorum unus hic eſt, qui has ad te litteras deferet, vix enim attigiſſe illum ſecundum, ac vigeſimum annum puto, et ſæcularis eſt. Hortatus ſum adoleſcentem bonæ, ut videtur, indolis, et pro ętate ſatis peritum, ne altiora ſe intempeſtivius quęreret, neque à me peteret quod præſtare non poſſem, eligeret potius alterum è noſtris, quem maluiſſet, Camaldulum, aut aliud noſtri Ordinis Monaſterium, ut in Cęnobiali inſtitutione per triennium legitimè probatus, ad arctiorem Eremiticæ ſeveritatis ſemitam deinceps migraret. Perſuaderi minimè potuit, trahi ſe in ſolitudinem incredibili deſiderio affirmans. Tandem à me impetravit, ut ſaltem per me ſibi liceret Eremum viſitare, quod etiam me non permittente in ſua poteſtate ſitum erat. Alterum è duobus, hoc ipſius ad Eremum acceſſu, futurum arbitror, ut viſo diligentiùs loco horroris, et vaſtæ ſolitudinis, aut pavefactus, et territus ſeſe inde proripiat, aut apud Camaldulum, triennio in humilitate, et ſubmiſſione probandus, eligat manſionem; cujus quidem rei Subpriorem noſtrum* [is erat Gabriel, cui præcedenti Epiſtola Novitiorum curam demandaverat) *poteris admonere, aut hunc ipſum ad eum dirigere, ut probet ſpiritum, an ex Deo ſit. Vale cum omni familia die* 1. *Januarij MCCCCLXXXXII.*

XI. Et quamvis quid conſilij hac de re Delphinus cæpe-

cæperit, ex ejus ſcriptis minimè liqueat, conſtat tamen, Bernardum Sacerdotem Florentinum paulò poſt, ejus juſſu, in Eremũ admiſſum, Eremitarum ſententia priùs explorata; nam ep. 16. ejuſdem libri ipſimet Joanni ſic ſcribit. *Aliud accipe, quod requiſitus ab Ubertino ad te ſcribo: Sacerdos quidam Florentinus, Bernardus nomine, qui æſtate proximè præterita Eremum adijt, unà cum claudo alio Sacerdote, ſumma contentione, incredibilique deſiderio petit recipi apud vos, neque hoc ſolùm, verùm etiam admiſſus in Eremum continuò recludi optat; ajunt hominem tanta victus parcitate, et abſtinentia, &c.* ac poſt relata ejus ſanctimoniæ complura indicia, ſic proſequitur: *Quid in hac re ſentias tu, quid Eremitæ cæteri, ſcire cupio, reiiciendusne ſit tanti nominis Presbiter, an admittendus, ea præſertim conditione, quam petit, ut recludatur continuò. Periculoſam non inficior eſſe talem ſolitudinem, &c.* et infrà: *Examinabitis invicem diligentiùs quæ ſcripſi, et fuſa per dies aliquot oratione ad Deum, de veſtra ſententia reſcribetis &c. Florentiæ* 17. *Januarii MCCCCLXXXXII.* Et poſt decem dies, ne expectatis quidem Eremitarum votis, Bernardum propria authoritate in Eremo recipiendum decrevit, Epiſtola 20. Joannis maioris reſponſum præveniens, ubi ait: *Antequàm reſcripſeris mihi de tua, et Eremitarum ſententia ſuper admittendo in Eremum Sacerdote Bernardo Florentino, adijt me ipſe cum Ubertino ſuo. Placuit mihi hominis modeſtia, quantùmque elicere ex mutuo colloquio potui, duci illum ſpiritu, qui ex Deo ſit, nequaquam dubito. Totum ſeſe dedidit mihi paratum ad omnia, quæ ſibi fuerint imperata; De recluſione, ſe id petiiſſe, ad quod geſtiret animus, face-*

rem tamen ipſe quod melius judicaßem, &c. et infrà. *Quamobrem differendum minimè arbitratus ſum, quin ei morem gererem &c. Trades ei habitum 4. nonas Februarii, in die ſcilicet Purificationis B. Mariæ &c. Datum 27. Januarii MCCCCLXXXXII.*

XII. Nec tamen apertum ſemel huic ſęculari Presbitero Eremi aditum omnibus promiſcuè patuiſſe conſtat, ſed adhuc in Fontebono converſionis Eremiticę tyrocinium perduraſſe ex alijs Delphini Epiſtolis patet, adeòut anno Demùm 1510. mos ille penitus antiquatus ſit, admiſſo in Eremum Paulo Juſtiniano, et mox Petro Quirino, atque alijs deinceps paſſim ex ſęculo illuc convolantibus, qualibet Cęnobiticę probationis ratione omninò poſthabita; Qua de re juvat Eruditiſſimum, atque Eloquentiſſimum Virum Petrum Abbatem Cannetum audire in quadam Epiſtola die 18. Decembris 1697. ex S. Severi Peruſię, cui Monaſterio tum prçerat, ad me Florentię degentem, et in Angelorum Cęnobio S. Th. Lectoris munere perfungentem, data, ubi, poſt multa huc non pertinentia, ſic habet: *à B. Rodulphi ad Delphini uſque tempora, lata à Rodulpho ipſo lege, tyrocinium in Eremo neque habebatur, neque haberi poterat, at juxta Benedictina Statuta in Eremum iis tantùm aſcendere licebat, qui morum ſuorum, ſuæque conſtantiæ periculum, aut in Fontisboni Cænobio, aut in aliis etiam, tum Camaldulenſium, tum aliarum quarumcunque Religionum clauſtris feciſſent. Luce meridiana clarius eſt, primos, qui probati ſunt per tyrocinii annuam exercitationem, fuiſſe Paulum Juſtinianum, et Petrum Quirinum, qua de re Romanum Pontificem*

ſicem conſuluit Delphinus, et poteſtatem ad rem hanc novam inducendam obtinuit (ut nimirum ſemper deinceps id uſu continuo fieri citra ullum ſcrupulum poſſet, quod ipſe Delphinus ſuomet arbitratu aliquando, ſed rariùs, nec abſque magna neceſſitate, exequendum ad eam diem indulſerat: ſic enim hanc diſertiſſimi Pręſulis ſententiam interpretari me cogunt Delphini ipſius Epiſtolæ ſupra relatæ) Hinc verò dirimendi ſocialis, ac nativi Monachorum, et Eremitarum fæderis occaſionem natam fuiſſe, officijs Rachelis, et Liæ, Mariæ, ac Marthæ commixtis invicem, ac perturbatis, idem Petrus deplorat, quæ hoc loco referre non vacat.

XIII. Scio, doctrinę huic opponi poſſe B. P. Romualdi exemplum, qui in Vita cap. 26. cum Tammo, Bonifacio, alijſque ex Imperatoris aula converſis ad Monaſterium quidem Caſſinenſe divertiſſe legitur, ubi gravi detētus infirmitate moram aliquam trahere coactus eſt, verùm ubi convaluit, cum ijſdem ad Pereum, ubi dudum habitaverat, rediit, *ibique*, ait Damianus, *his, et alijs multis fratribus aggregatis, et per cellas ſingulas conſtitutis, tanto fervore Eremiticæ converſationis rigorem et in ſe, et in aliis tenuit, ut illorum vita omnibus, ad quos fama eorundem pervenire poterat, mirabilis haberetur*; At excipi poteſt, aut ſufficienti tempore Tyrones illos in Caſſinēſi Monaſterio jam probatos fuiſſe (nec enim erat, cur Romualdus Ravennam rediturus Caſſinum peteret, niſi ut illos Novitios, ut olim Olibanum Comitem, monaſticis priùs inſtitutis erudiendos curaret) aut in SS. Alexij, et Bonifacij Cænobio Romano [quod

non pauci de Bonifacio, Tammo, Joanne, ac Benedicto opinantut] anteà receptos, ibique rudimentis Benedictinæ Regulæ imbutos [præſertim cùm de Bonifacio loquens Damianus cap. 27. dicat: *Deinde quoque jam Monachus factus*] alioſque fratres ſimiliter ex alijs Monaſteriis potiùs aggregatos, quàm è ſæculo recens converſos.

XIV. Potiùs ex Eremi Camaldulenſis vetuſta conſuetudine, ab ipſis Romualdi temporibus ad Rodulphi ęvum uſque per 40. ſaltem annos obſervata, et adhucdum vigente, probari poſſet, converſos ex ſęculari habitu ſtatim in Eremum admitti potuiſſe, Pauli Juſtiniani teſtimonio ſuffragante, qui B. Petri Damiani authoritate hoc ipſum comprobat, ait enim Juſtinianus in Regula vitę Eremiticę cap. 47. *Suſcipi in Eremo ad Eremiticam converſationem poſſunt ex ſæculo venientes, ſive ſæculares omninò, et Laici, ſive Sacerdotes fuerint, et non minùs Religioſi omnes cujuſcunque Ordinis, etiam Mendicantes, et Carthuſienſes. De ſæcularibus enim antiquiſſima Eremi à B. Rodulpho edita monumenta, in quibus mores Eremi deſcribit, hæc inter cætera continent. Multi ſæculares homines noſtris temporibus, poſt tergum mundo projecto, ad hanc Eremum, velut ad tutiſſimum portum, confugerunt. Unde ſatis conſtat, antiquis illis temporibus ſæculares in Eremo fuiſſe receptos. Sed et gravis Auctor Petrus Damianus in ea, quam eloquenter ſcripſit, Eremitarum regula, Sæculares potiùs, quàm Cænobitas in Eremo recipiendos admonet, hujuſque ſententiæ rationes nonnullas adduxit valdè efficaces. Quod verò in recentibus Conſtitutionibus Gherardi Prioris dictum*

eſt

eſt, videlicet non ſuſcipiendos eſſe in Eremo, niſi eos, qui per triennium in Camaldulenſis Ordinis Cænobiis fuerint converſati, ſolùm ad Camaldulenſis Ordinis Monachos referebatur; Sic enim habent: Monachi (Camaldulenſis Ordinis intellige, ſequentia enim hoc indicant) volentes morari in Eremo, ibi nullo modo commorentur, niſi ad minùs ſteterint per triennium in noſtri Ordinis conventu; Hæc autem dicta ſunt ad tollendam omnem [ſiqua eſſet unquam] ambiguitatem, quæ rationabiliter eſſe non debet, ut antiquiſſima conſuetudo, quæ uſque ad hæc tempora perduravit, in futurum obſervetur, atque in Eremo Sæculares, ſive Sacerdotes, ſive penitus Laici, ſuſcipi poſſe intelligantur.

XV. Sed reſponderi poſſet, dubiam videri conſuetudinis hujus vetuſtatem, ex quo B. Rodulphus verbis à Juſtiniano compendioſè exhibitis, integrè verò per nos relatis ſupra num. 9. dicat *nonnullos ſeculares homines*, et quidem ſuo dumtaxat tempore (*noſtris*, inquit, *temporibus*) ad Eremiticam diſciplinam convolaſſe, cùm anteà retuliſſet quidem *multos* fama ſanctitatis quinque Diſcipulorum ab Romualdo in ſacra Eremo poſitorũ eò confluxiſſe, et eorum quoſdam *Monachale indumentum à Petro Dagnino Priore accepiſſe, non ſolùm de infimis, verùm etiam de nobilibus viris*, Sed an in Eremo, an in Fontebono initiati fuerint, aut in alio aliquo Congregationis Monaſterio, liquidò non determinat; undè ſuſpicari licet, tantùm prope B. Rodulphi tempora, adeòque multis poſt Romualdi obitum luſtris, recèns à ſæculari converſatione abſtractos in Eremum admitti cæpiſſe, ob receptam præſertim in ſacra Eremo Petri

Da-

Damiani Regulam (ut ex eodem Rodulpho demonſtramus in Diſſertatione IV.) in cujus cap. 29. quod ipſe Juſtinianus loco citato laudat, hæc animadverſio occurrit: *Si quando de ſæculari habitu quis ad Eremum converti voluerit, noli juxta priorum normam, rudimenta Monaſterii ſuadere, ſed ſi devotio vera, ac ſincera patuerit, in Eremo quam flagitat, converſationis aditum præbe; eo quippe, ut lugens loquar, pleraque devoluta ſunt Monaſteria, ut vitioſiores reperiantur ab eis egreſſi, quàm ij, qui nuper ſunt de mundani naufragij fluctibus eruti*. Tantæ ſiquidem authoritatis decreto potuit mos ille invaleſcere, ſæculares homines in Eremum, abſque Monaſticis rudimentis, admittendi, licèt contra *priorum normam*, quam ipſe fatebatur Damianus ſuæ ſententiæ contrariam; Quare an ab ipſa Romualdi ætate hoc uſu receptum fuerit, an à Damiano dumtaxat uſque ad Rodulphum per quinque, vel ſex ad ſummùm luſtra fuerit obſervatum, in ancipiti remanet, nec allata à Juſtiniano Rodulphi authoritas aliud ſuadere videtur, quàm inchoatam ſuo tempore, et non antea, hujuſmodi conſuetudinem, ab ipſomet tamen Rodulpho (quod Juſtinianus hìc diſſimulat) ſtatim abrogatam, cùm experientia docuiſſet, plurimos ad ſolitariæ vitæ apicem convolantes ante jacta Cænobiticæ vitæ ſolida fundamenta, regredi coactos, et ad ima deſcendere, cui malo ut Vir prudentiſſimus occurreret, omnes ad Eremiticam vitam aſpirantes in Monaſterio probari voluit, et ne Petri Damiani exceptioni locus relinqueretur, *Regularem ordinem, et diſtrictionē* apud Fontem

bo-

bonum reſtituit, rigidamque S. Benedicti regulæ obſervantiam *pluſquam in Monaſteriis* (in quibus illam deferbuiſſe Damianus conquerebatur) perfectiſſimè idcircò inſtaurandam decrevit; nec video dubitari poſſe, uſque ad Delphini ætatem id religioſiſſimè obſervatū fuiſſe, quidquid in Gherardi Conſtitutionum interpretatione Juſtinianus deſudet, ne ſuæ ſententiæ opponi videantur, cùm res ipſa clamet, neque veroſimile ſit Gherardum triennij Monaſtici probationem à Camaldulenſibus Monachis exigere voluiſſe, ſi ſtatim ſæcularibus Eremi aditum aperiri permiſiſſet, illos enim pejoris, quàm iſti ſint, conditionis feciſſet. Quamquàm hæc obiter dicta velim, ut quid facti dumtaxat, non ut quid juris eluceat, quippe in hac digreſſione hiſtorici partes agere me profiteor, prætenſæ conſuetudinis per tot ſæcula continuatæ, qualem Juſtinianus ſuppoſuit, quæque propoſitæ doctrinæ aliqua ex parte adverſabatur, fidem extenuare contentus, ejus rationem non attigi, neque quid præſtet, aut conveniat diſquirere volui; fortaſſe autem nunc temporis ſtatui præſens diſciplina magis, quàm antiqua congruit, quando ipſa Eremitica vita adeò temperata eſt, ut Cænobiticæ probationis commodum in ſe ipſa ſufficienter imbibat, nec ulli conditioni tam intolerabilis hodie videri queat, ut ejus aſperitati paulatim aſſueſcere, ac per Cænobiticæ converſationis gradum illuc demùm aſcendere neceſſariò debeant ſolitariæ diſciplinæ candidati. Nunc è diverticulo in viam.

XVI. *Secundò* itaque, ut in eundem finem, quem

ſupra

ſupra deſcripſimus, Cænobiticæ, et Eremiticæ vitæ copulandæ Romualdus aptiùs collimaret, in ipsamet Solitudinum ſuarum diſpoſitione talem formam elegit, quæ longè arctiùs coniunctam cum Cænobitica converſatione Eremiticam ſequeſtrationem referret; Nam modico ſpatio ab invicem ſejunctas cellas, ſive domũculas, cum interpoſitis hortulis, in una, eademque Eremi area collocandas juſſit, ut ſimul et Cænobiticam Eremum, et Eremiticum Cænobium conſtituerent, ubi ſinguli ſuam ſolitudinem invenirent, in commune tamen Oratorium ad Divina officia, coniunctis non minùs animis, quàm vocibus, peragenda noctu, diuque confluerent, ab omni aliorum conſortio cæterà ſegregati; Itaque rectè obſervavit Lucas Eremita hiſtoriæ Romualdinæ lib. 5. cap. 6., quòd *Eremus tota illis clauſtrum eſt, cujus ſepem, vel foſſas, quibus circumdata exiſtit, ſine licentia Superioris impunè egredi non licet, totuſque Eremi ambitus eſt ſolitudo, intra quam liberum eſt per vias, nemora, et ſilvas, horis, diebuſque ſtatutis obambulare*. Quam quidem ſolitudinum formam ab Eremitis noſtris ad hanc diem obſervatam videre licet, tum in Sacra Camaldulenſi Eremo Etruriæ, quæ omnium quodammodò exemplar eſt, tum in Coronenſi, alijſque paſſim per Italiam, Galliam, Poloniam, Germaniam, et Hũgariam ſparſis.

XVII. At etiam in alijs à S. P. Romualdo conſtructis Solitariorum habitaculis formam eandem fuiſſe prçſcriptam ante Camalduli ædificationem, haud obſcurè innuunt varij Damiani textus, quos longum eſſet expen-

expendere, ut cùm cap. 26. de Pereo dicitur: *Fratribus per cellas ſingulas conſtitutis, tanto fervore Eremiticæ converſationis rigorem et in ſe, et in aliis tenuit, ut illorum vita omnibus, ad quos fama eorundem pervenire poterat, mirabilis haberetur*. Nec diſparem fuiſſe cellarum diſpoſitionem in Caſimiritana Eremo, quam apud Polonos excitarunt SS. Joannes, et Benedictus Divi Romualdi Diſcipuli, et in qua cum SS. Matthęo, Iſaac, Chriſtino, et Barnaba religioſam Vitam duxere, colligitur ex ipſorum Martyrij hiſtoria apud Martinum Baronium in Vitis Sanctorum quinque Fratrum Polonorum pag. 11. narrantem, nefarios Sanctorum Eremitarum trucidatores *Sacellum, ac ſex Caſas* incendere conatos; Sed et Eremus ad Vivum propè Montis Amiati Cęnobium à D. Romualdo constructa *Cellis anguſtiſſimis diſtincta* fuiſſe à Fortunio Hiſtor. Camald. part. 2. l. 1. cap. 20. narratur, et ipſi Camaldulenſi Eremo (à qua tamen per illam ætatem prorſus independens fuerat) ita per omnia ſimilis fuiſſe deſcribitur, ut altera ejus imago videretur: *Memoratu*, inquit, *dignum eſt, qualiter nullus major parallelus ex omnibus locis à S. Romualdo erectis ullibi fieri poteſt, quàm inter hanc ad Vivum, et ſacram Camalduli Eremum*. Expreſſior tamen erat Camaldulenſis Eremi imago in Eremo *Aquæbellæ*, ſeu *Vallisumbroſę* per Romualdum constructæ, et per S. Joannem Gualbertum illuſtratę, ex Didaco Francho Abbate Vallumbroſano in ejus vita lib. 5. qui veterem ejus formam ære inciſam affert pag. 101. ubi diſiunctarum Cellularum congeries, Camaldulenſis Eremi faciem planè re-

ferens [niſi quod illa rotundo, hęc quadrato propemodum ambitu comprehenditur] circa ſuum Oratorium exſtructa exprimitur, ut vel ex hoc loco videas, prænobilem hunc Monaſtici Arboris ramum radices ſuas Romualdo debere.

XVIII. Neque enim (ut obiter innuam) Primus apud Vallem Umbroſam Joannes Gualbertus Religioſum ſeceſſum inſtituit (et ſi primus majori frequentia celebrem reddiderit, deinde ad Cænobiticam vitam, cujus amantiſſimus erat, cum bona Romualdi venia tranſtulerit, retenta nihilominùs ad hanc diem contigua Cellarum Eremo, complurium ſanctiſſimorum Anachoretarum ſolitudine illuſtri) ſed Romualdus, ut conſtat primò, quia *Vallisumbroſa* proculdubiò eadem eſt, quæ *Aquabella*, cujus meminit Damianus in vita S. Romualdi cap. 46. ubi narrat S. Patrem, dũ eo loci Eremum conderet, à gravi dentium dolore Presbiterum liberaſſe. Teſtatur utriuſque loci convenientiam Ughellus Italiæ Sacræ tom. 2. ubi de Epiſcopo Feſulano Jacobo inquit: *E' vivis exceſſit Jacobus, cujus fati memoria ad poſteros pervenit in nobili donationis monumento, quod Itta D. Hilari Abbatiſſa fecit Joanni Gualberto Vallumbroſanæ familiæ conditori de loco AQUÆBELLÆ, vulgò VALLISUMBROSÆ, Feſulanæ Diœceſis*. Verba verò Ittę Abbatiſſæ hęc ſunt apud Franchum in Vita S. Joannis Gualberti lib. 5. et apud Aſcanium Tamburinum de Jure Abbatum tom. 2. Diſp. 24. qu. 5. num. 20. *Quoſdam Viros in Eremo, quæ VALLISUMBROSA vocatur, ſuſcepimus in loco, qui dicitur AQUA BELLA.*

BELLA. Actum anno 1039. indictione 7. Loci etymologiam indicat Xantes Peruſinus, dum Cellas Eremitarum ibi degentium, cùm Joannes Gualbertus illò ſe contulit, ita deſcribit: *Tuguriola, quæ Paulus, et Gunthelinus habuere, duo erant, quorum alterum ab altero parùm diſtabat, inter quæ commodè ſcaturiunt fontes, qui loco nomen indidere AQUAMBELLAM.* Undè ſecundò idem aſſumptum patet, quia Joannes Gualbertus à S. P. Romualdo dimiſſus, Eremum jam extructam reperit, atque *in ea ſuſceptus eſt*, ut innuunt verba Ittæ Abbatiſſæ nuper laudata, ibique duos Solitarios, locum ab ipſo Romualdo, ut cap. 46. Vitæ dicitur, conſtructum incolentes invenit, qui utique (ut dudum obſervavit Eruditiſſimus Prçſul D. Germanus Botta, Vir integritate, et doctrina ſpectatiſſimus, qui ſupremi Viſitatoratus officium, quod invitus acceperat, nuper lubens depoſuit, privatæ vitæ quiete optimam ſenectutem coronaturus) non alij fuerint, quàm Diſcipuli à S. Romualdo in Sancta converſatione ibi relicti, eorumve ſucceſſores. Nec refert, quòd Andreas Januenſis vitæ S. Joannis Gualberti cap. 11. poſt quadringentos annos nos doceat, illos Eremicolas Guarini Abbatis Septimenſis Diſcipulos fuiſſe, ejuſque auxilijs in ſolitudine alitos; nec enim conſtat, an non et ipſe Guarinus è Romualdi Diſcipulis adlectus eſſet, cujus nominis plures habuiſſe liquet; deinde gratis effingitur, eũdem habuiſſe Magiſtrum, quem Suſtentatorem habebant, aut adhucdum ejus Abbatis imperio paruiſſe, cujus ſubſidijs fovebantur; poſtremò Eremiticam vi-

tam, cujus unicus, in Italia prȩſertim, Reſtitutor, Reſtaurator, ac Magiſter perfectiſſimus erat tùm Romualdus, atque in ipsa Eremo *Aquȩbellæ*, quam paulò ante idem Vir Sanctiſſimus conſtruxerat, exercebant, neque adeò fingi poteſt à diſciplina Romualdi alienos fuiſſe, etiamſi ex Guarini Monaſterio illuc ad Romualdum ſe recepiſſent, vitæ ſolitariȩ deſiderio ſuccenſi: Verùm hæc extra chorum: ad rem ipſam iterum redeamus.

XIX. *Tertiò*, nequid prorſus inſtituto ſuo deeſſet bonorum ad Eremiticam, et Cænobiticam vitam ſpectantium, quemadmodùm de Monachis Orientis Gregorius Nazianzenus orat. 21. in laudem Baſilii refert, quòd *Alij vitam prorſus ſolitariam, et ab hominum ſocietate remotam agunt, ſui ipſius tantùm, et Dei colloquio fruentes, atque hanc dumtaxat terræ partem pro mundo habentes, quam in ſolitudine cognitam habent; alij autem charitatis legem per communionem, et ſocietatem colentes, ſolitarij ſimul, et Cænobitæ ſunt:* ita Romualdus nonnullos ex ſuis Diſcipulis ad perfectiſſimum Anachoreſeos gradum aſpirare voluit, nonnullos verò ſola Monaſticæ formæ perfectione contentos eſſe permiſit, ut illis nullam ſocialis vita quietis perturbationem afferret, his nullum ſolitaria tædium, atque periculum conflaret. Puros igitur Eremitas, et puros Monachos complecti non dubitavit Pater Sanctiſſimus, nequa conditio, aut complexio tam latè patenti inſtituto repelleretur, ſed debiles æquè, ac fortes, et robuſtiſſimos comprehendere poſſet, *Ut putaretur*, inquit de ipſo cap. 37. vitæ Damianus, *totum*

Mun-

Mundum in Eremum velle convertere, et Monachicho Ordini omnem populi multitudinem ſociare.

XX. Primos, quos dixi perfectiſſimæ Anachoreſeos ſectatores ab Romualdo conſtitutos, nemini dubium eſſe puto, intelligendos illos, quos noſtri *Recluſos* appellant, qui videlicet, poſt diuturnam in Eremitarum conſortio probationem, ad altioris contemplationis, arctioriſque cum Deo unionis perfectionem aſpirantes, accepta Majoris venia, voluntario ſuæ cellæ carceri, vel ad certum tempus, vel ad mortem uſque mancipantur, qui tamen licèt in communem chorum ad peragenda cum alijs divina Officia non conveniant, privatum nihilominùs Oratorium ſuæ ſolitudini adnexum, ſtatim ac ſignum audierint, ijſdem horis ingreſſi, eadem pauſatione, ijsdem inclinationibus, ac pari religione, ſui officij penſum abſolvunt, privatim celebrant, reficiuntur, orant, pſallunt, manuumque operibus in hortulo ſuo exercentur, ſed maximam diei partem dulciſſimis contemplationibus impendentes, ab omnium conſpectu, et colloquio (niſi Prælati ſui præcepto aliud exigente) ſemper ſemoti, verè dicere poſſunt: *noſtra autem Converſatio in Cœlis eſt*; tantò perfectiùs, quàm priſci Ægypti, et Syriæ ſolitudinum cultores, quantò ab omni inſtituendæ, ac moderandæ vitæ ſollicitudine, omnique proprii corporis, ac rerum temporalium cura magis abſtracti, et ſub Prælati poteſtate, atque Eremiticarum Conſtitutionum jugo viventes, ad obedientiæ normam ſingulos actus ſuos immediatiùs exigere poſſunt, quibus commodis priſci antę

Ro-

Romualdum Anachoretæ fermè deſtituebantur. Audiatur in hoc argumento Paulus Juſtinianus in Regula Vitæ Eremiticę cap. 51 *Quamvis communis Camaldulenſium Eremitarum converſatio ita ſe habere videatur, &c. .... Non ſatis tamen Beatiſſimo Viro Eremiticę Vitæ Inſtitutori Romualdo viſum eſt, imò Spiritui Sancto, qui in eodem Viro perfectam Eremiticæ vitæ formam tradebat, non ſatis fuit, niſi perfectiorem aliam vivendi rationem oſtenderet, in qua et Cænobialis, et Solitariæ Vitæ incommodis, ac periculis pleniùs amotis, utriuſque converſationis commoda, ac bona omnia perfectiùs copularet &c.* et infrà: *Beatiſſimus autem Vir Romualdus in his Occidentalibus partibus, Spiritu utique Sancto illuſtrante, et communem adinvenit Camaldulenſium Eremitarum Inſtitutionem, in qua, ut dictum eſt, et Cænobialis vitæ, et Solitarię converſationis commoda, quæ antiquis temporibus ſimul haberi non poterant, mirabiliter ſunt conjuncta, et longè perfectiorem, ac ſublimem Religiosè, et Eremiticè vivendi formam inſtituit, nam admirabiliſſimam excogitavit RECLUSIONIS inſtitutionem, in qua perfectiori valdè modo et Cænobialis converſationis incommoda, et penitus Solitariæ vitæ pericula declinantur, nec non utriuſque inſtitutionis commoda pleniſſimè inveniuntur.*

XXI. Jam verò et hanc mirabilem inſtitutionem, quæ totius Romualdinę diſciplinæ apex quodammodò, et complementum jure, meritòque vocari poteſt, non Camalduli primùm excogitatam à Viro Sanctiſſimo fuiſſe, liquet ejus geſta percurrenti; nam et in Origario ipſe manſit incluſus, ex Vita cap. 20., et bienniò apud Parentium in cella à Monaſterio diſſita ean-

eandem Recluſionis diſciplinam ſervavit, cap. 31. et Diſcipulos apud Pereum Incluſos rexit cap. 26., et Joannes ejus Diſcipulus propè Caſſinum Recluſionis legi ſe ſubdidit cap. 15. et Venerius à Romualdo monitus eſt, ut cum obedientiæ condimento ſolitariam Recluſorum vitam in Tiburtinis Montibus continuaret, ut alia omittam exempla cuivis notiſſima. Poſt ædificatã verò Camaldulenſem Eremum, ubi aliquandiu manſit Romualdus incluſus, ut ex fagi miraculo in cap. 47. liquidò conſtat, alijs etiam in locis ab ipſa Camaldulenſi Eremo prorſus ſejunctis, ac penitus independentibus, ejuſdem inſtitutionis rigorem invexit, nam *in Sitria Vir Venerabilis per ſeptem ferè annos incluſus manſit, et ſilentium continuum inviolabiliter tenuit*, cap. 52. eumque præcipui ejus Diſcipuli ibidem hac in re ſunt imitati, nam *damnatis januis clauſi, ita mortui videbantur mundo, velut in ſepulcro jam poſiti*, cap. 64. Apud Vallē de Caſtro denique moriturus, ante omnia *Cellam ſibi cum Oratorio ædificari, in qua recluderetur, et ſilentium uſque ad mortem ſervaret, inſtituit*, cap. 69. Et tum propè ſacram Avellanæ domum, tum apud Sitriæ Monaſterium eandem diſciplinam apud Romualdi ſucceſſores diutiſſimè poſt S. Patris obitum obtinuiſſe, locupletiſſimus teſtis eſt Damianus pluribus in locis celebres ſanctitate Recluſos commemorans, Lupum, Martinum Storacem, Stephanum, Leonem Prezenſem, alioſque ejus homonymos, illum præſertim, ad quem Opuſculum undecimum, libri *Dominus vobiſcum* inſcripti, direxit.

XXII.

XXII. Quod attinet ad Monachos in ſua Cænobitica converſatione, ut innuebam, relictos, in quibus ut de Athanaſio Gregorius Nazianzenus expreſſit, etſi *Solitariam vitam cum Cęnobitica in gratiam reduxit*, nihilominus *ſic duo hæc, ideſt tranquillam actionem, et actuoſam tranquillitatem, conſociavit, ut perſuaſum omnibus redderet, Monaſticæ Vitæ profeſſionem morum potius gravitate, quàm corporis receſſione exprimi, atque inſigniri:* quò ad hos, inquam, haud ſcio aliud, quàm Sanctiſſimi P. Benedicti Regulam fuiſſe illis à Romualdo propoſitam, adeòut non tam nova Cænobitarum Congregatio, quàm veterum Benedictinorum in antiquo habitu, et vivendi forma perſeverantium Propagatio, Monaſtica hæc Romualdi Familia cenſeri queat; *Nam Monachis*, inquit lib. 1. Hiſtor. Romual. cap. 11. Lucas Hiſpanus, *Regula B. Benedicti profitenda, et obſervanda, perinde quò ad mores, quemadmodùm quò ad victum, et veſtitum, atque habitationem propoſita extitit, ita ſanè, ut regulari diſpoſitioni nihil addidiſſe*, Romualdus, *credatur, cùm ſolis debilibus hanc indulgere ſit ſolitus piiſſimus Inſtitutor, ſciens reverà prę̄fatæ Regulę obſervationem illis ſufficientiſſimam eſſe ad piè, ſanctèque vivendum, nec non ad perfectionem, ſalutemque ęternam conſequendam*. Sic Claſſenſi Monaſterio prę̄fectus Abbas Romualdus, ut cap. 22. narrat Damianus, *Regebat Monachos ſub diſtricta Regulæ diſciplina, neque alicui ab ea declinare impunè licebat, non denique nobilis, non litteris eruditus, per actus illicitos in dexteram, lævamque partem deflectere, vel à rectę converſationis audebat rectitudine deviare*. Sic conſtructo per Othonem IIJ. Imperatorem

Mona-

Monaſterio S. Adalberti in Pereo, narrat cap. 30. Damianus, quòd, *Abbate illic ex Romualdi Diſcipulis conſtituto, et fratribus aggregatis, cæpit eos Romualdus ſub magna tenere cuſtodia, et docebat eos ſub regulari vivere diſciplina.* Quæ tamen omnia ante Camalduli conſtructionem utique contigerant, ut patet ex Damiani textibus jam allegatis, nec non ex Monaſterio S. Michaelis apud Balneum, in vita cap. 18., ex Monaſterio Parentij conſtructo, cap. 31., ex Monaſterio Urbis Veteris in poſſeſſione Pharulphi Comitis excitato, cap. 37., ex tribus Monaſterijs ante profectionem Hungaricam ordinatis, ad Vallem de Caſtro, ad Ixinum fluvium, ad Oppidum Eſculanum, cap. 39. ex Monaſterio Caſtri Maſſiliani, cap. 41. ex Monaſterio S. Vincentij, de quo cap. 43. et 57. alijſque: Nec certè conſtat, è tot Cænobiis, vel ex integro erectis, vel ad regularem obſervantiam per Romualdum redactis, alia poſt Camaldulenſis Eremi, et Cænobij Fontisboni ædificationem, à Romualdo conſtructa, vel ordinata fuiſſe, præter Monaſterium Sitriæ, et Montis Amiati, quæ tamen à Camaldulo tum temporis independentia manſerunt.

XXIII. Patet inſuper (ne inter illa, quæ ad Romualdi Inſtituriones pertinent, hæc duo præterijſſe videamur) eundem Sanctiſſimum Patrem, ut omni prorſus conditioni utilem ſe præberet, tum *Canonicorum Regularium* vitam ordinare aggreſſum eſſe, tum etiam, habita ſequioris ſexus ratione, *Sanctimonialium* quoque religioni proſpexiſſe, Monaſteriis aliquot Puellarum incluſioni deputatis. Primum conſtat ex cap. 35. vitæ,

ubi Damianus de Romualdo ſic habet: *Conſtituit itaque Vir Sanctus plures Canonicos, et Clericos, qui Laicorum more ſæculariter habitabant, Præpoſitis obedire, et communiter in Congregatione vivere docuit*. Alterum verò jam à B. Paulo Juſtiniano obſervatum eſt in Procemio Conſtitutionum, ubi inquit: *Camaldulenſis enim ipſe Ordinis Auctor Romualdus, Apoſtolico more ſe omnium debitorem exiſtimans, non ſolùm Viris, ſed Puellis etiam, infirmiorem ſexum non ſpernens, Cœnobia quædam inſtituit*; et manifeſtum eſt ex cap. 36. Vitæ, ubi narratur, ante Camalduli ædificationem, apud Vallem de Caſtro *Monaſterium Puellarum* condidiſſe, et ex cap. 63. ubi refert pariter Damianus, *Monaſterium Ancillarum Dei, quod eſt in Valle Bona* à Romualdo conſtructum: præter quæ et aliud Monialium Cænobium S. Antonio dicatum in Tudertino territorio, et pariter S.Mariæ Vallis Gloriæ Monialium apud Hiſpellum, aliaque conſtruxiſſe refert Jacobillus de SS. Umbriæ tom. 3. de quorum ędificationis ętate nihil planè conſtat, niſi quòd illud Vallis Bonæ aliquandiù poſt Sacræ Eremi Camaldulenſis conſtructionem excitatum videtur, quamquàm ejuſdem Eremi capiti adeò non connexum fuerit, ut Fortunius, qui ex Camalduli origine totius Ordinis principium, et ſucceſſionem deducere maluit, coactus ſit Part. 1. Hiſt. Camal l. 1. cap. 55. primum Camaldulenſium Sanctimonialium Cænobium aſſerere prænobile Monaſterium S. Petri de Luco in Agro Mucellano à B. Rodulpho Priore anno 1086. conſtructum (utì et Ractius in B. Rodulphi Vita repetit) nec diu poſt in eundem errorem ſecum indu-

induxerit Hieronymum Fabrum in ſacra Ephemeride Ravennæ ad diem 10. Septembris, utpotè eodem prę-judicio laborantem, eàque propter Ordinis noſtri dignitati pluribus in locis detrahentem.

XXIV. Verùm hæc ſufficere puto (imò et longiùs, quàm par erat, ob frequentes interpoſitas diggreſſiones, progreſſi ſumus, eritque tanta prolixitas contractiori ſequentium capitum ſtylo compenſanda) ad univerſam Romualdi inſtitutionem intelligendam, indeque unum hoc in vulgarem hypotheſim argumentũ urgendum, hac nempe ratione: Quidquid in ſacra Camaldulenſi Eremo à D. Romualdo inſtitutum fuit, ſive ad auſteritatem vitæ, ſive ad contemplationis quietem, ſive ad cellarum ſequeſtrationem, ſive ad monaſticam diſciplinam pertinens, id totum anteà ab eodem Romualdo jam alibi in ſe, ſuiſque Diſcipulis fuerat ad praxim deductum, et in aliis locis poſt ipſam Camalduli ædificationem, vel recèns extructis, vel rurſus inhabitatis, atque ab ipſa Camaldulenſi Eremo independentibus, nullo prorsus diſcrimine, obſervatum fuit, ut fusè ſupra per partes demonſtravimus; Non ergo ex Camalduli ædificatione petenda eſt Ordinis Inſtitutio, ſed ex Eremi Gallicæ conſtructione, ubi prima ſuę diſciplinæ rudimenta Romualdum tradidiſse jam cap. 3. præcedenti ex ipſo Damiano ſatis, ni fallor, evicimus: Religionis enim primordia cum Inſtituti ſui, quod eſſentialiter reſpicit, origine connexa eſſe ratio evidens perſuadet, neque cum ſuæ [ut plurimùm arbitrariæ] denominationis loco plerũque convenire, cap. 2. abundè eſt demonſtratũ. M 2 CAP.

CAPUT V.

Romualdus omnium Eremitarum Pater ab ipſis ſuæ Converſionis initijs inſtitutus.

SYNOPSIS.

Cænobitas, ut Benedicti prolem, Eremitas ut proprios filios aluit Romualdus. num. 1. *Idem S.P. in Occidente omnium Eremitarum Parens, ut Benedictus omnium Monachorum.* ibid. *Oſtenditur ex Paulo Juſtiniano.* 2. *Item ex Luca Eremita, Hymnis Eccleſiaſticis, aliiſque Auctoribus.* 3. *Card. Baronij, Joannis Bollandi, Martyrologij Romani, et Clementis VIII. Romani Pontificis authoritate confirmatur.* 4. *Romualdus Benedictinam Regulam Monaſticam, additis Eremiticè vivendi regulis, perficit.* 5. *Viciſſim Eremiticæ Vitæ formam perficit, additis obedientiæ Monaſticæ inſtitutis.* 6. *Primus omnium Romualdus Eremitas in ordinem redegit.* 7. *S. Venerii exemplum.* 8. *Hinc quàm latè pateat Camaldulenſe Inſtitutum.* 9. *S. Benedictus ſolos Monachos, non Eremitas inſtruxerat.* ibid. *Omnes Eremitæ Benedictini, præſertim in Italia, ob ſolitudinem cum obedientię bono conjunctam, ad D. Romualdi inſtitutum pertinent, ſolis Camaldulenſibus proprium.* 10. *Hæc ipſa Eremitarum Inſtitutio pro Fundatione Romualdini Ordinis meritò habenda.* 11.

Si

I. SI mediocri ſaltem attentione quę præcedenti capite retulimus expendantur, patebit, ex omnibus Romualdi inſtitutis, *Eremiticæ vitæ cultum ad Benedictinę Regulæ canones exactum*, præcipuum denique locum tenere, huic maximè allaboraſſe, in hunc potiſſimas ſuæ ſollicitudinis curas impendiſſe, quippe tametſi Monaſticæ diſciplinæ alumnos minimè negligeret, dum ſolitariæ ſectatores inſtrueret, illos tamen, quaſi Benedicti ſobolem, ad tanti Patris dogmatum exactam obſervantiam incitare ſtudebat, hos quaſi proprios filios doctrinæ ſuæ lacte nutriens, exemplisque corroborans educabat, ut meritiſſimè Thedaldus Aretinus Epiſcopus *Romualdum Pium Eremitarum Patrem* in privilegio anno 1027. Camaldulenſibus dato nuncupaverit: imò abſolutè, ob ſingulare ſtudium in dirigendis ad ſolitudinem animis collocatum, et *cunctis ſingularis vitę ſectatoribus* [ut ait Damianus cap. 9.] relictam vivendi normam, generatim *Omnium Eremitarum Pater Romualdus in Occidentali Eccleſia*, et maximè *per Italiam*, meruit appellari, quemadmodùm S. Pater Benedictus *omnium Cænobitarum Occidentalium Inſtitutor* communi ſuffragio ab omnibus ſalutatur.

II. Utroque hoc titulo, et Elogio condecoratos in fronte libri ſuæ Regulæ Eremiticæ Sanctos Patres Benedictum, et Romualdum pingi juſſit B. Paulus Juſtinianus, nec uno in loco teſtimonijs luculentiſſimis idē confirmavit. Tota penè in hoc argumento Præfatio verſatur, ubi poſtquàm Eremiticæ, ac Cænobiticæ vitæ in Oriente Magiſtros Paulum, atque Antonium fuiſſe

aſſeruit, ſic proſequitur: *In Occidentali autem plaga, ſicut alia multa, quæ ad Chriſti fidem pertinent, ita utriuſque Monaſticæ converſationis Inſtitutio tardiùs locum invenit, duos tamen, ſicut in Oriente, non diſſimili inter ſe invicem portione, Benedictum altera, altera Romualdum, illuſtres, ac Sanctiſſimos Principes, atque Inſtitutores habuerunt;* Et infra, cùm de S. P. Benedicto pronunciaſſet: *minimè omnium Cænobitarum Occidentalium Patrem appellari, quòd neminem ante ſe habuerit hujus vitæ ſectatorem, ſed quia primus omnium in Occidentali Eccleſia Cænobiticæ vitæ Regulas tradidit*; de S. P. Romualdo ſubdit: *Vita verò Eremitica in Occidentali Eccleſia ſectatorem fortè aliquem, Inſtitutorem autem nullum habebat, Primus autem in ea Auctor, et Inſtitutor fuit Vir omni Sanctitate conſpicuus, atque per omnia admirabiliſſimus, Beatiſſimus Romualdus, qui ante omnes, Eremiticè vivendi Regulas, et Inſtitutiones, non ſcriptis, ſed ſuo vivendi exemplo, ſuiſque documentis, et admonitionibus, coætaneis ſuis tradidit, et poſteris omnibus dereliquit, Chriſtum fortaſſe Dominum imitatus, qui, quod ipſe faciendo, ac docendo inſtituit, non ſcriptis tradidit, ſed aliis poſt ſe ſcribenda reliquit*. Quod ipſum infra perſæpè repetit, et in eadem Regula Eremitica cap. 1. et 51. pluribus diſertiſſimè comprobat.

III. Succinit Paulo ſuo Lucas Eremita Hiſtoriæ Romualdinę lib. 1. cap. 7. dum de Romualdo ſic loquitur: *Hic igitur primus Orientalium Anachoretarum perfectiſſimæ Inſtitutionis in Occiduis regionibus Fundator fuit*. et cap. 11. pariter aſſerit, quòd *ab initio Romualdus ad antiquam Sanctorum Patrum Anachoretarum Religionem ſuſcitandam*

tandam contendit; quò etiam reſpexit Hymnorum, quos in Eccleſiaſtico officio, utrique S. P. Romualdi ſollemnitati dicato, canimus, Auctor elegantiſſimus, dum ad Matutinum ſtrophe 4. ſic habet:

Incolas format nemorum, docetque
Nos viam tuto pede inire Patrum,
Qui Palæſtinos coluere ſaltus,
Quique Canopi.

undè meritò à compluribus Scriptoribus S. Romualdus Eremitarum Magiſter, Anachoritarum Pater, Solitariæ Vitę Inſtitutor abſolutè invocatur, quos inter Ægidius Rambek in Vitis Ordinis Benedictini Sanctorum ad diem 19. Junij ſic habet: *Ut natum è Ducibus Romualdum reverenter ſuſcipimus, ita Anteſignanum Eremitarum Ordinis, et Ducem cernui veneramur.*

IV. Imò et Illuſtriſſimus Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ Parens Cardinalis Baronius tom. 10. ad annum 974. et in ipſo indice, S. Romualdum *Occidentalium Eremitarum Patrem* expreſſè deſignat, et in ipſo Annalium textu pulcherrimo elogio eandem ſententiam confirmat, inter alia ſic ſcribens: *Vir Sanctiſſimus Romualdus prodiens, ut alter Joannes Baptiſta, ex Eremo, lucerna ardens, et lucens, qui claras Ægypti Nitrias, atque Thebaidas Anachoretis fertiles, tranſtulit in Italiam, inter quos ipſe, ut alter Antonius, forma factus eſt omnibus, ejuſmodi vitæ arduum inſtitutum arripientibus*; Et paulò poſt inquit: *Ex Cenobio ad Vitam tranſiens Anachoreticam, ita fęcundus in prole Sanctorum extitit, ut Occidentalem Eccleſiam ſanctis repleverit Anachoretis, quorum aliqui Apoſtolatum ad Gentes meruere,*

et

et inſigni corona Martyrij decorari. Ubi notare potes obiter, Doctiſſimum Cardinalem de clariſſimis S. Romualdi Diſcipulis, Bonifacio, Joanne, ac Benedicto potiſſimùm hic loqui, quos ante Camalduli ædificationē Romualdus Eremiticæ vitę præceptis imbutos, jam Apoſtolatui, et Martyrio maturos in Gentes tranſmiſit, de Diſcipulis verò, quos Camalduli erudierit, et de novo inſtituto illic excogitato, quemadmodum et de cæleſtis Scalæ auſpiciis, ubique ſilere, adeòque jam poſita per Romualdum Ordinis ſui fundamenta ſupponere, cùm primis Diſcipulis ſuis diſciplinę ſolitariæ Canones tradidit tantò ante Camalduli ædificationem, quam, ut minùs præcipuam S. Patris actionem, Pius Cardinalis notare neglexit. Neque omittendus hoc loco eſt Eruditiſſimus Scriptor Joannes Bollandus, in Actis Sanctorum Februarij ad diem 7. ubi Romualdū hoc encomio illuſtrat ſub initium ſui prævij Commentarij: *Eremiticę Vitę in Italia Reſtitutor, ac Propagator celeberrimus ſæculo Chriſti decimo* (adeòque ante Camalduli ædificationem, quę undecimo ſæculo contigit) *S. Romualdus extitit*. Ipſaque Romana Eccleſia in Martyrologio ſimilem titulum Romualdo confirmat, nam quemadmodùm de S. P. Benedicto die 21. Martii canit, quòd *Monachorum diſciplinam in Occidente penè collapſam reſtituit, ac mirificè propagavit*, ita de S. P. Romualdo die 19. Junii pariformi elogio pronunciat, quòd abſolutè *Collapſam in Italia Eremiticam diſciplinam reſtituit, ac mirificè propagavit*; quibus ijſdem verbis et ſummus Eccleſiæ Princeps Clemens VIII. in Bulla indictionis ejus
Officii

Officii, inter alia, quę commemorat Glorioſiſsimi Patris merita, hoc ſignatim extollit, quòd *Collapſam in Italia Eremiticam diſciplinam reſtituerit, ac mirificè propagaverit*. Datum Romæ apud S.Marcum ſub Annulo Piſcatoris die 9. Julii 1595. Pontificatus ſui anno 4.

V. Jure igitur, meritòque hanc Romualdo eximiam laudem, *Communis Eremitarum Patris, et Magiſtri*, Graviſſimi Auctores decernunt, ſimulque obſervant, ſupremam veluti manum Benedictinæ Regulę inſtitutis S. Romualdum mirabili hac Eremiticę Vitæ inſtauratione quodammodò impoſuiſſe; nam, ut habet Petrus Damiani lib. 6. Epiſt. 12. exploratiſsimum eſt, quòd *Sanctus Benedictus, dum hominem in Monaſterio ponit, ad Eremum dirigit, et diſpenſativè conſtituit priùs Monaſterialis Vitæ plantiem, ut jam faciles Eremi conſcendamus ad arcem*. Quod ipſemet S. P. Benedictus in Regula cap. ult. expreſsè fatetur, dicens: *Regulam hanc deſcripſimus, ut eam obſervantes in Monaſteriis, aliquatenus vel honeſtatem morum, aut initium converſationis nos demonſtremus habere. Cæterùm ad perfectionem converſationis qui feſtinant, ſunt doctrinæ SS. Patrum, quarum obſervatio perducit hominem ad celſitudinem perfectionis*: qualem videlicet à Romualdo fuiſſe ad praxim deductam luculenter oſtẽdit Stephanus Demalevicius vitę S. Bogumili cap. 29. cui titulus: *Vita Eremitica inſtauratur à S. P. Romualdo*, ubi poſtquam verba Damiani ex cap. 5. Vitæ S. Patris retulit, quæ nos ſupra cap. III. num. 2. recitavimus, et ex quibus Romualdum Ordinis ſui fundamenta jam tùm in Gallia jeciſſe deduximus, prout et ipſe nobiſ-

cum agnoſcit, dicens: *Atque hæc ſunt Romualdinę ſolitudinis, ad quam S. Pater flagranti mentis æſtu ſemper anhelabat, primordia*; his, inquam, relatis, paucisque interiectis, ſic ad propoſitum noſtrum proſequitur: *Ita quos S. Benedictus in via purgativa, et illuminativa perficiebat, hos ad culmen perfectionis, et intimæ cum Deo, quantùm fragilitati humanę in terris licet, unionis arcem Sanctus Romualdus evocabat.... Atque ſic ligna in odorem holocauſti ſuavitatis arſura S. Patriarcha Benedictus compoſuit, et pręparavit, quę S. Romualdus, tamquàm igniti Elię flammea progenies, ſeraphico ignis ardore, benè jam collocata, et diſpoſita ſuccendit, à Chriſto Domino, maximo ſalutis noſtrę zelatore, flammas mutuatus, qui ignem venit mittere in terram, ut accendatur*; *Tantus enim* (ex Petro Damiani vitę S. Romualdi cap. 37.) *in ſancto Viri pectore faciendi fructus ardor incanduerat, ut effectis numquam contentus, dum alia faceret, ad facienda mox alia properaret; adeòut putaretur totum Mundum in Eremum velle convertere, et Monachicho Ordini omnem populi multitudinem ſociare.*

VI. Neque minùs ejuſdem Benedictinæ Regulæ cum Eremiticę Vitæ inſtitutis conjunctione, ipſiuſmet Anachoreſeos complemento, et depurationi proſpexit, cui viciſſim ſupremam pariter manum, fortiſſimis obedientię armis ſolitarios inſtruens, Romualdus impoſuit; manca ſiquidem, et imperfecta eatenus fuerat Eremitica diſciplina, de qua, ut alios omittam, Polydorus Vergilius de Inventoribus rerum l. 7. cap. 1. aſſeruit, quòd *Hujuſce vitæ genus ſimplex, ac liberum erat, nullo votorum vinculo adſtrictum, itaut integrum cuique foret*

mane-

manere, aut proficiſci quò terrarum vellet, vel ſiquem ejuſmodi ſui inſtituti pęnituiſſet, etiam poteſtas eſſet ad priſtinam redeundi vitam, non abſque tamen inconſtantiæ nota. Sibi ipſis videlicet vitę ſuæ rationem dumtaxat priſci ſolitudinũ cultores reddere, ſuo ſe arbitrio regere, nec alieno ſubeſſe conſilio conſueverant; Hinc nullum obedientiæ meritum, nullum perſeverantiæ pignus, nullum ſolidiorum virtutum exercitium; Præclariſſimè igitur cũ Eremicolis actum eſt per Romualdi induſtriam, qui illos Obedientię, ac Regulæ monaſticæ jugo ſuppoſuit, ad perfectum, conſtantemque Religionis ſtatum evexit, omnibuſque tam Cęnobij, quàm Solitudinis commodis, boniſque, citra diſcrimen ullum, frui conceſſit, *tuto pede*, ut ejus Hymnus ſupra num. 3. adductus canit, ideſt abſque ullo deinceps periculo, Syriæ, et Ægypti Patrum veſtigiis tritas ſemitas recalcare docens, viaſque non præruptas, non lubricas, nullique ſuſpicioni obnoxias ſectatoribus ſuis commonſtrans.

VII. Itaque, ut loco nuper citato obſervat laudatus Demalevicius, *Primus S. Romualdus ex directione Regulæ S. Benedicti Eremitas, tamquam Locuſtas ſine Rege viventes, ſalutaris Obedientiæ legi ſubactos, in Apes mellificas Eccleſiæ ſanctæ commutavit, et veluti ſtella matutina denſas Eremi tenebras Vitę ſanctitate, ac Eremiticę ſolitudinis cum exercitiis Monaſticis coniunctione ſerenavit, ut nulli Eremitę ante illum Religioſi, ſive Regulares ſtricta ſignificatione [hoc eſt ex vi votorum ſubſtantialium Religionis] potuiſſent cenſeri:* cùm illis videlicet perpetui ſtatus obedientiæ firmitas, ac ſtabilitas ante Romualdum deeſſet, quam

Vir Beatiſſimus ſuis legibus attulit, in quem propterea illud S. Eucherij elogium quadrare meritò poteſt: *Deſertum petentibus patefecit aditum, ſed, quod majus eſt, reditum clauſit*, Religionis, et Obedientiæ ſepto concludens. Similia his, quæ ex Demalevicio retulimus, longè antea notaverat in ſua hiſtoria S. Joannis Gualberti lib. 4. Didacus Franchus Abbas Vallumbroſanus, dicens: *Per quello, che della ſoſtanza del Monaco mancava a i Romiti, introduſſe S. Romualdo l'Obedienza, e di Locuſte, che erano ſenza Rè, li fece Api del Giardino di Santa Chieſa: Regola non più veduta nelli eremi &c.*

VIII. Vel in uno S. Venerij exemplo, per Petrum Damiani in vita S. Romualdi cap. 24. deſcripto, ſingularis hic Romualdi zelus, et præcipua ſollicitudo, circa Solitariorum vitam religioſę obedientiæ fręno temperandam, ſpeciatim elucet. Inter Tiburtinos montes Venerius, confratrum ſuorum iniurias pertæſus, è Monaſterio ſe proripiens, ſolitudinis ſuę ſtationem fixerat, *Ubi per ſex annos* (verba Damiani deinceps ſunt) *abſque vino, omnique pulmento ſub nimiæ diſtrictionis ariditate permanſit. Hunc itaque Romualdus, audita ejus fama, viſitare curavit. Quem interrogans ſub cujus regimine degeret, cujuſve arbitrio ſuæ converſationis obedientiam exhiberet; reſpondit: ſe alieno ſolutum imperio, hoc ſequi, quod ſibi utilius videretur. Cui Romualdus ait: Si crucem Chriſti portas, ſupereſt, ut Chriſti obedientiam non relinquas; Vade igitur, et conſenſu à proprio Abbate ſuſcepto, revertere, et ſub ejus dominio humiliter vive; quatenus ſacri operis ædificium, quod bona voluntas ędificat, Humilitas erigit, Obedientiæ virtus*

extol-

extollat. Hęc, et multa alia ędificationis monita proferens, docuit eum qualiter cogitationibus ſuis reſiſtere, qualiter poſſet iniquorum ſpirituum infeſtationibus repugnare, et ita confirmatum, et inſtructum in multa eum alacritate reliquit. Ille igitur Sancti Viri documenta gratanter amplectens, Abbatem ſuum protinus adiit, conſenſum accepit, et ad dilectam ſolitudinem quantòcyus remeavit. Hæc Damianus, qui indicatis Venerij virtutibus, ac miraculis poſt mortem patratis, demùm narrationem ſuam his verbis concludit: *Sic denique, ſic bona terra uberes fructus reddidit, quæ verbi ſemen ex ore Romualdi multiplicatum ſuſcepit.*

IX. Verùm in his longiùs nos progredi, aut moroſiùs verſari quid attinet? ſatis hactenus adducta demonſtrant, quàm latè pateat Romualdi inſtitutum, atque ut ad omnes Eremiticæ Vitæ ſub Obedientiæ regularis jugum redactæ cultores ſuapte natura extendatur, quippe quos unus ipſe Sanctiſſimus Pater idoneis monitis, et exemplis erudierit, atque in ſolida religioſæ obſervantiæ petra fundaverit, necnon eximijs legibus communierit; ſimulque hinc eluceſcit, quidquid uſpiam per Romualdum, ejuſque diſcipulos, et horum ſucceſſores in Aquitania, Æmilia, Umbria, Etruria, Polonia, Hungaria allaboratum eſt ad Anachoreſim amplificandam, et ſub Monaſticæ converſationis forma redigendam, id totum *inſtitutæ à S. Romualdo Religioni*, quam nunc communi nomine *Camaldulenſem* dicimus, meritò eſſe aſcribendum: eoſque de Sanctiſſimi hujus Patriarchę Gloria peſſimè profectò mereri, qui ejus inſtitutionem Camalduli dumtaxat in Etruria

natam

natam ſomniant, et ad loca illi ſubinde adnexa reſtringunt, ſicque inter eos dividunt, qui ejuſdem Magiſtri, ejuſdemque Diſciplinę ſequela gloriantur, ut à Fratribus Fratres avellere, imò ejuſdem Corporis quodammodò membra diſcerpere videantur, dum ipſius Romualdi ſequacium, alios quidem Camaldulenſibus concedunt, alios verò ſimplicibus (quos vocant) Benedictinis aſtruunt, quaſi verò aut Cænobiticam vitam dumtaxat [quæ horum propria eſt, et ad quam ſolam ordinandam D. Benedictus reſpexit in Regula cap. 1. unde Petrus Damiani lib. 6. ep. 12. de ipſo ait: *Monaſteria quidem doctrinę ſuæ mandatis inſtituit, ſuper Eremitas verò nullum ſibi Magiſterium arrogavit*] et non Eremiticam egerint, aut ſi Cænobiticam tantùm, non illam cum ſolitudinum ſeceſſu conjunctam, et ad ſolitudinem ex Romualdi pręſcripto [perinde ac Monachis Camaldulenſibus contigit] ordinatam!

X. Quàm digniùs ſimul, æquiùs; et veriùs de B. Romualdi Inſtitutione ſentiunt, qui ne à poſſeſsione pręclariſsimi elogij *Communis Eremitarum Patris* ſibi ab Eccleſia decreti, à Pontifice confirmati, à Graviſsimis Auctoribus cum plauſu recepti, illum deturbent, ad ejus Ordinem pertinere facilè agnoſcunt, nedum quotquot in Eremitica, aut Monaſtica Diſciplina eundem Virum Beatiſsimum audierunt, ipſorumque hæredes, ac ſucceſſores, ſed et omnes illos, qui poſt ipſum Eremiticam Vitam ſub Regulæ Benedictinę obſervantia coluere, in Italia pręſertim, ubi per ſe ipſum ejuſmodi diſciplinam ſolus reſtituit, ac mirificè propagavit,

cùm

cùm imò *Omnium Occidentalium Eremitarum Dux, et Magiſter*, ut ſupra oſtendimus, meritò ſalutetur? Nam et nulla Regularis Domus, ante Romualdum, Benedicti legibus adſtricta, ſub *Eremi* nomine legitur, ſed *Monaſterij* dumtaxat vocabulum per Italiæ regiones frequentabatur, et demum, omnibus ritè penſatis, id genus Solitariæ vitę ſub Monaſtica Regula exercentes ad nullum Ordinem aptiùs, quàm ad Camaldulenſem ſpectare dici poſſunt, cùm Magni omnium Anachoretarum in noſtris regionibus Anteſignani Romualdi exemplũ, et inſtitutum reipſa ſequi, in ſcopum ab ipſo pręfixũ collimare, et metam ab illo omnibus ſingularis vitę ſectatoribus propoſitã attingere deprehendantur. Qua quidem vel una ratione [etſi cęterę, quę nec leves, nec paucę occurrunt, ut Diſſert. IV. videbimus, ad id specialiùs convincendum, deeſſent] perſuaderi quis poſſet, Petrum Damiani, omneſque Avellanitas, Camaldulenſium inſtituto, cum cęteris Romualdi aſſeclis, eſſe aſcribendos, eò quòd Eremiticam utique diſciplinam ſub Benedictinę Regulę jugo profiterentur, adeò ut, mea quidem ſententia, idem reipſa ſignificent Auctores, qui Damianum, alioſve ſimiles, *Eremitam Benedictinum* vocant, ac qui *Camaldulenſem* expreſsè appellant; Nam, ut loco ſupra citato idem Stephanus Demalevicius Canonicus Regularis aſſeverat: *Camaldulenſes SOLI Monachi, cum his, qui ab ijs, tamquam rami promanant, perficiuntur ad Eremum, ut ibi tamquam in faſtigio perfectionis, ceu aquilæ in arduis nidum ponentes, conquieſcant, jam in via incipientium, et proficientium ſufficienter diſpoſiti,*

et

et exercitati, ut tandem dulces fructus ſuorum exercitiorum in via unitiva ſuaviſſimè deguſtent, et ab ubertate Domus Dei in Solitudine, tamquam in cella vinaria inebrientur. Et ante ipſum B.Paulus Juſtinianus in Regula Vitæ Eremiticæ cap. 11. dixerat: *Ex omni Eremitarum genere, Camaldulenſes Eremitæ, aut ſiqui ſint ejuſdem Converſationis æmulatores, SOLI eſſe videntur, qui et Solitudinis dulcedine perfruuntur, et Obedientiæ bonum non amittunt*.

XI. Jure igitur, meritòque ipſamet Inſtitutio Eremitarum, quos jam tùm in Aquitania (ut ſupra cap. III. num. 2. et 3. ex Damiano oſtendimus) ſanctiſſimis legibus Romualdus inſtruxit, et ad perfectionis apicem, optimo Solitarię, et Cęnobiticę Vitę nexu, promovit: ipſa, inquam, aut ſola, aut pręcipua ſui Ordinis, quem nunc Camaldulenſem dicimus, Inſtitutio cenſenda eſt. Undè vix aliam, quàm hanc Eremiticæ Vitæ informationem, plerique Hiſtorici in Romualdi Vita commendare ſolent, Camaldulenſis Eremi fundationem aut omninò prætermittentes, aut velut puram appellationis, in omnes Romualdi aſſeclas derivatę, originem afferentes. Exemplo ſint (præter Auctores cap. I. num.3. laudatos, alioſque hìc ſupra nũ.4. adductos, nec non Paulum Morigiam, et Petrum Calzolarium Diſſert. III. cap. V. num. 14. et 15. recenſẽdos) Gabriel Bucellinus in Annalibus Benedictinis ad annum 978. ubi hæc habet: *Grandibus incrementis ſubitò effloreſcit ſanctiſſima illa Camaldulenſium Anachoretarum Congregatio, et primis ſtatim initijs angulares, et verè fundamentales præter lapides Guarinum, et Romualdum, de quibus ſupe-*

ſuperiùs, coaptat, cooptatque ſibi Petrum Urſeolum Venetorum Ducem &c. Nec non Adrianus Baylet, qui noviſſimè præcipuorum Sanctorum Vitas Gallico idiomate editas 4. tomis complexus eſt, qui ad diem 7. Februarij hanc unam deſcribit Romualdini Ordinis Fundationem. *Marin conſiderant avec reſpect les dons celeſtes, dont Dieu favoriſoit ſon Diſciple, comença pour lors a ſe regarder comme ſon inferieur en lumieres, et en ſageſſe: de ſorte que pluſieurs peſonnes s'etant venu joindre à eux pour ſervir Dieu dans la ſolitude, il fallut, que Romuald ſe chargeaſt de leur conduitte malgrè qu' il en euſt, et qu' il devint leur Oracle, auſſi bien, que leur Modele &c.* Hæc ille, qui et ad diem 19. Junij S. Bonifacium D. Romualdi Diſcipulum *Camaldulenſis Ordinis* expreſſè appellat, licèt ante Eremi Camaldulenſis Originem Martyrio fuerit coronatus; nimirùm animadvertens ex ipſo Camaldulo, non tanquam ex primo, ſed præcipuo omnium loco, toti deinceps Ordini nomen impoſitum, ut ex alijs etiam Authoribus paſſim liquet, ac nos toties ſupra monuimus.

CAPUT VI.
Obiectiones adverſæ Opinionis refelluntur.

SYNOPSIS.

Habitus mutatio ex Scalæ Viſione Camalduli facta opponitur. num. 1. *Colorem veſtium ad inſtituti eſſentiam non pertinere.* 2. *A varijs Religionibus habitus color mutatus.* 3.

Ad ſummùm novæ Congregationis, non Ordinis novi inſtitutionem hęc mutatio evinceret. 4. *Ipſa tamen habitus prætenſa mutatio falſa indicatur*. 5. *Picturæ veteres Romualdum, et ſocios ſemper, et ante Camalduli ædificationem, albis indutos oſtendunt*. 6. *Ipſamet Scalę Viſio fortaſſe Romualdo ſuppoſita*. 7. *Cur id non ampliùs diſſimulandum?* ibid. *Alia obiectio ex ratione Capitis refellitur*. 8. *Quot modis caput accipiatur, et quo ſenſu Camaldulenſi Eremo conveniat*. ibid. *Ut Capitis vocabulo Ractius etiam alibi abutatur*. 9. *Concluſio prę ſentis Diſsertationis*. 10.

I. HActenus in veteri, circa Ordinis noſtri primam Inſtitutionèm, ſententia illuſtranda, confirmandaque ita verſati ſumus, ac ſi præcipuum nuperę alterius vulgaris opinionis fundamentum, aut penitus ignoraremus, aut certè diſſimulare velle, et Lectorum mentibus, oculiſque conſultò ſubducere videremur; Nihil enī de Scalę Viſione, nihil de nigri habitus in candidum Mutatione, Camalduli, ut præfertur, facta huc-uſque attigimus, quæ tamen potiſſima ſunt Fortunij, et aliorum prę ſidia ad ſuam hypotheſim aſtruendam de Religione à S. Romualdo Camalduli primùm inaugurata, et deinceps novo ſub ſchemmate propagata. Ad hunc itaque nodum, vel abrumpendum, vel diſſolvendum, tandem aliquandò reſpiciamus oportet: dum enim cauſamur, nihil novi ab Romualdo in Sacræ Eremi Etruriæ Fundatione pręſtitum, quod non in aliis pariter locis, ab eodem Sanctiſſimo Patre conſtructis, longè anteà inſtitutum fuiſſet, eodemque te-

nore

nore ubilibet obſervatum; Reponent adverſę doctrinæ Patroni, novum ſaltem habitum à Romualdo Camalduli aſſumptum, ſuiſque deinceps Diſcipulis commendatum, ob admirabilis Scalæ ſibi eò loci divinitus oſtēſæ myſterium, per quam albeſcentium Monachorum videbatur aſcendere multitudo, cùm anteà nigro potiſſimùm habitu, qualem in Claſſenſi Monaſterio aſſumpſiſſe creditur, tam ipſe Romualdus, quàm ejus Diſcipuli paſſim uterentur, neque adeò diſtinctam à Benedictina Familia Religionem conſtituerent. Hic nimirum, hic maximus [poſt nominis æquivoci præjudicium à nobis ſupra Cap. II. iam præoccupatum] ſcopulus eſt, in quem impingimus, dum noſtram veterem ſententiam reſtituere, ac vulgo perſuadere conamur.

II. Primò tamen, etſi liberaliter concederetur prætenſa, ob Scalę Viſionem, coloris habitus Mutatio, quid hoc quęsò ad novę Religionis originem apud Camaldulum aſtruendam conferret? an non vulgari adagio circumfertur, *Habitum non facere Monachum*, quemadmodùm *nec Barba Philoſophum*? Nempe ſola Inſtituti ratio ſpectanda eſt, ac forma vivendi, quę alia per Romualdum Camalduli tradita non fuit, ab ea, quam paſſim alibi, in alijs ſuis Diſcipulis ad Eremiticę diſciplinę canones componendis ad praxim jam demandaverat, ut ſupra oſtendimus. Quid? quòd in ipſamet Sanctiſſimi Patris Noſtri Benedicti Regula cap. 55. pręſcriptum legimus: *De colore, aut groſſitudine* [veſtium] *non cauſentur Monachi, ſed quales inveniri poſſunt in provin-*

cia, qua degunt: Cur igitur in Camaldulenſis habitus candore ſuperſtitioſiùs obſervando tot turbas excitamus, quaſi ad eſſentiam Ordinis ita pertineat, ut communem cum illo habuiſſe originem ſit cenſendus?

IIJ. Novumne eſt, Religioſas Reſpublicas priùs inſtitui, deinde ſucceſſu temporis certum habitum illis decerni, quo ſinguli ipsarum alumni diſtinguantur; imò et ſemel electum veſtimenti genus, rerum viciſſitudinibus ita exigentibus, quò ad coloré, formam, qualitatemve ſubinde mutari? Certè Silveſter Maurolycus in Mari Occeano Religionum lib. 2. cap. 6. refert, ſuos Ciſtercienſes Roſeam cucullam primò detuliſſe, quæ nunc temporis alba, vel nigra eſſe ſolet. Arnoldus Vvion ligni vitæ lib. 1. cap. 64. narrat, Cæleſtinos in habitu viliſſimi coloris camellini panni inceſſiſſe, *qui poſteà in album commutatus eſt*. Vallumbroſanos etiam à S. Joanne Gualberto, teſte S. Athone in ejus Vita cap. 20. aliiſque, *facto de ſuarum ovium varia lana promiſcuo panno* olim indutos ſcimus, hinc griſeo in album vergente, ob Camaldulenſium, quibus originem debent, ſympathiam (ut ait Didacus Franchus Abbas Vallumbroſanus in vita S. Joannis Gualberti lib. 7. pag. 188.) et usque ad annum 1445. album ſcapulare deferentes, imò et Cingulo ſub Michaele Generali prçcinctos [ut idem Auctor tradit] quos hodie pariformi nigro colore amiciri, diſcincto jam Scapulari, videmus. Putamusne ſemper fuiſſe Silveſtrinorum Tunicas iantino, aut ſubcæruleo colore pallentes, Olivetanorum Cucullos in manticæ criſpatę morem diffusos, Caſſinenſium

Floc-

Floccos confertiſſimis ſtrijs ab humero ad talum uſque corrugatos? Quod ſi igitur in alijs Monaſticis familijs (exterorum quippe exempla conſultò omiſimus, ut celebre illud de clathratis, ſeu variegatis Carmelitarum Cappis, Martini Papę juſſu, in albas commutatis, teſte Thoma Valſingenſi in Eduardo I. ad annum 1282.) nemo in animum inducere auſus eſt, Religionis ipſius mutationem cum habitus mutatione eſſe conjungendā; cur in ſolis Camaldulenſibus id eveniſſe præſumamus?

IV. Secundò, etſi daremus, prætenſam novi habitus aſſumptionem ad eſſentiam, ut vocant, Religionis quadantenus immutandam conferre potuiſſe, quid ampliùs hinc concludere liceret, quàm novam Congregationem à S. Patre Camalduli tùm excitatam, à reliquis ſui Ordinis alibi jam inſtitutis ſolo habitus candore diſtinctam? Quomodo non conficitur, *Univerſum Ordinem* à Romualdo inſtitutum, quatenus generali Camaldulenſis nomine ſic appellatur, tunc apud Sacram Etruriæ Eremum initium ſuum habuiſſe, ſed *ſpecialem Congregationem* ad ſummùm, quæ Camaldulenſis Eremi Etruriæ nuncupatur; De qua utraque Nominis Camaldulenſis generali, et ſpeciali acceptione, vide ſuperiùs à nobis dicta cap. 2. num. 21. Negari enim non poteſt, ante Camalduli ædificationem, Romualdum ſpecialibus Diſcipulis ſtipatum fuiſſe, eoſque non Benedictinæ Regulæ obſervantia dumtaxat, ſed Eremiticis ſuis inſtitutis, quæ cunctis ſingularis vitæ ſectatoribus (ut Damianus narrat in ſępe laudato cap. 9. Vitæ S. Romualdi) ipſe pręfixerat, imbuere curaſſe, quos ad eundem

Romu-

Romualdi Ordinem (etſi alio fortaſſe habitu uterentur) cur non pertinere contendamus, cùm paſſim cernere liceat, diverſa quamvis religioſarum veſtium forma utantur, hinc Cappuccinos, Obſervantes, et Conventuales ad eundem Ordinem Minorum S. Franciſci pertinere, hinc Fulienſes, et Ciſtercienſes Monachos, atque Abbatiæ Trappenſis Solitarios in eundem Ciſtercienſem Ordinem confluere [idem eſto de Calceatis, atque Excalceatis tum Auguſtinienſibus, tum Carmelitis judicium] et nihil uſpiam vulgarius occurrere, quàm quòd variæ Congregationes diverſo habitu diſtinctæ, in ejuſdem nominis, et Inſtituti Ordinē ſub eodem communi Patriarcha conveniant. Ipſemet Ordo Monaſticus unus eſt, Benedictinus ſaltem (imò antiquitus omnes prorſus Monachi, quamcunque Regulam ſequerentur, unius tamen Ordinis cenſebantur, *cui Regularum diverſitas nullo modo præſcribebat*, ut ait Joannes Mabillon in Præfatione ad Hiſtoriam Monaſticam num. 26. et ante ipſum eandem Monaſtici Ordinis unitatem probaverat Thomaſinus de Veteri, et Nova Eccleſiæ diſciplina circa Beneficia parte 1. lib., ni fallor, 3.) cujus tamen variæ Congregationes, Cluniacenſium, Camaldulenſium, Vallisumbroſanorum, Ciſtercienſium, Montis Virginis, Cæleſtinorum, Montis Oliveti &c. diverſo habitu diſcerni ſolent; Cur igitur et ipſa Camaldulenſium S. Romualdi Familia, quæ, habito ad Ordinem Monaſticum S. Benedicti, cujus utique Ramus eſt, reſpectu, *Congregatio* tantùm cenſetur, verùm ſi ad membra, in quæ diſciſſa fuit, comparari debeat, *Ordinis* ra-

tionem

tionem induit, varias Congregationes ſub ſe complectentis [fermè ut apud Logicos ſubalterna, quæ vocant, genera, ſuperiori comparata, ſunt ſpecies, inferiorũ reſpectu generis obtinent dignitatem] cur, inquam, et ipſa non poſſet diverſi coloris Eremitas, ac Monachos diverſis Congregationibus diſtinctos reſpicere? ſingula porrò Monaſteria tum temporis totidem Congregationes ex ſe conficere conſueviſſe, jam ſuperiùs Cap. II. num. 11. obſervavimus.

V. Tertiò, Quid ſi (adhuc ſuppoſita Scalę Viſione) ullam habitus mutationem propterea interceſſiſſe negaverim? Nonne tota, quanta eſt, huic Metamorphoſi ſuperſtructa machina corruet? Non levibus autem indicijs fictitiam eſſe hujuſmodi mutationem, et poſt quingentos ab ipſius Camalduli fundatione annos primùm excogitatam, et ſimplicioribus gratis obtruſam fuiſſe contendo, et, quantæ res hæc evidentię poteſt capax eſſe, demonſtro, tum quia quotquot ante id tempus de Romualdo, de Eremi Fundatione, de ipſamet Scalę Viſione, nec non de habitus noſtri Candore ſcripſerunt, de hujusmodi mutatione nuſquam meminere; tum quia poſt ejuſmodi fabulam à Fortunio præſertim vulgatam, quum illam nonnemo irriſioni, ac ludibrio haberet, in eumque Apologiam ipſe Fortunius adornaſſet, ubi aſſertionis ſuæ fundamenta, ſiquæ ipſi ſuppetijſſent, fuerant producenda, nil niſi frivolum, et inſubſiſtens in medium adduxit; tum denique, quia longè alię aſſignatæ ſunt à pleriſque Candoris noſtri habitus cauſæ, atque idem color ab antiquo potiùs

Mona-

Monachorum more fuiſſe per noſtros retentus deprehenditur, quàm à Romualdo Scalę cęleſtis, quę ſibi apparuiſſe traditur, occaſione immutatus; quę omnia fuſiùs, et acuratiùs expensa videre licet in peculiari Diſſertatione III. quam *De Viſione Scalæ*, *et Habitus mutatione prętenſa* mox in lucem exire dabimus, nos hactenus ad id renitentes cogente communi Eruditorum ſuffragio, qui noſtram ſententiam pręfata Diatriba expreſſam, adeò non levibus coniecturis ſuffultam credidere [quemadmodùm Vir Amiciſſimus exaggerabat, et blateronibus adhuc nonnullis perſuaſum eſſe audio] ut plauſu potiùs exceperint, ſuumque calculum perlibenter addiderint.

VI. Nec me movent Picturæ Divum Romualdum nigro habitu indutum in actu Viſionis Monachorum candido Schemmate aſcendentium vulgò repræsentantes, quaſi tunc demum de innovando veſtium Colore S. Pater deliberaverit: nam illæ omninò recentiſſimæ ſunt, neque Fortunij ætate ſuperiores; ſed vetuſtæ omnes, quotquot hoc myſterium repręſentant, omnes, inquam, ad unam omnes D. Romualdum etiam in dicta Viſione alba cuculla cum ſuis indutum referunt, atque adeò non ea dumtaxat occaſione de habitu albo aſſumendo cogitaſſe Virum Sanctiſſimum ſupponunt, cùm imò et ab initio Converſionis ſuę candido Monaſtico Schemmate ornatum exprimant. Videat qui volet antiquiſſimam Iconem ad Sacellum D. Romualdi in Venerabili Capitulo Monaſterij noſtri Angelorum Florentię anno 1365. depictam, necnon effigies auro, minio-

minioque elaboratas in celeberrimis Libris choralibus ejuſdem Cænobij, quę paulò inferioris ætatis ſunt, itēque vetuſtiſſimam Iconem, quæ ad altare majus Eccleſiæ S. Michaelis in Burgo Piſarum in Choro viſitur, ex qua Daniel Papebrochius S. Gherardeſchæ [ut ſupponit] imaginem nobis exprimendam curavit ad diem 29. Maij; ut alia prætercam ejuſdem rei certiſſima documenta.

VII. Sed quartò demum reſpondeo, ipſammet Scalæ Viſionem, æquè ac illi innixam Habitus mutationem, falſam, et commentitiam eſſe, ut in citata Diſſertatione III. probabo, oſtendens, quotquot de Viſione hujuſmodi, vel ex profeſſo, vel ex incidenti, mentionem fecerunt, nempè B. Rodulphum Priorem, Gherardum Generalem, B. Hieronymum Alberti de Praga, et Bernardinum Gadolum, conſtanter hanc Viſionem Maldulo ſoli, non autem Romualdo tribuere, cùm maximè debuiſſent, nec niſi ex unius clauſulæ relatione perperam intellecta contigiſſe, ut primùm ſoli Romualdo, non Maldulo aſcriberetur hæc Viſio, mox utrique contra expreſſam prælaudati Rodulphi auctoritatem tribui cæperit, ut qualemcunque veterum Scriptorum cum vulgari perſuaſione conciliationem tentarent: Unde in litteris hac de re ex ſacra Eremo ad me datis pridie Kal. Maij 1698. ingenuè faſſus eſt Vir Eruditiſſimus, et Antiquitatum noſtrarum ſollertiſſimus indagator D. Eduardus Maria Baroncinus, nunc Eremo Cortonenſi Præfectus, poſt excuſſa omnia monumenta, negocium hoc concernentia, *De habitus quidem mutatio-*

ne, inquit, *nihil certi uſpiam repperi : patet verò, Scalam minimè viſam fuiſſe à Sanctiſſimo Patre N. Romualdo , cùm Domno Maldulo tantùm tribuatur* ; Quamquam ipſe Baroncinus conſulebat, ne proderem, vel in lucem exhiberem quidquid receptæ hujuſmodi credulitati repugnat, *Ne modernis Criticohiſtoricis præbeatur occaſio , Ordini noſtro detrahendi* . Quibus Viri circumſpectiſſimi monitis, aliorumque Amicorum, quos alius tamen reſpectus agebat, conſiliis prudentiſſimis, cùm ultra ſolidos octo annos obtemperando detulerim, juxtà Vatis præceptum, Lucubrationem illam *Nonum premens in annum* (Horatius de Arte poetica) optimum factu duxi, ut ipſi etiam Veritati aliquid tandem deferrem, cujus dignitas à cordatis quibuſque viris meritò vindicanda, et privato cuilibet diſcrimini præferenda eſt , etenim, ut ait Tertullianus adversùs Valentinianos: *Nihil Veritas erubeſcit , niſi ſolummodò abſcondi* ; Nec quidpiam à modernis Criticis propterea timendum videtur, quibus ædificationi potiùs eſſe poterit figmenti hujus ſincera, et candida refutatio; Romualdus autem tot ſignis, et virtutibus, alijſque Viſionibus per certiſſimam Petri Damiani hiſtoriam celeberrimus, tantillo honore è falſitatis penu emendicato non indiget: *Neque Oſtentationi, ſed Fidei, Veritatique componitur hiſtoria* , ut ait Plinius l. 7. Ep. 17. Plurimùm verò intereſt Ordinis noſtri Camaldulenſis Gloriæ, ac Dignitatis, ut Romualdus non in ultima ſenectute dumtaxat illius Inſtitutioni animum applicuerit, ut ſuppoſitæ Viſionis hujus magnificatores deprædicant, ſed ex quò primùm apud Aquitanos

tanos

tanos clareſcere cæpit, omnem ſuam ſollicitudinem ad ejus formationem converterit, ac diuturnos longævæ ſuæ vitæ labores educationi ejuſdem impenderit, præcipuoſque Diſcipulos ſuos ſanctitate clariſſimos, non ante illius inſtitutionem, ſed ſub ejus jam adulti diſciplina Beatiſſimus Pater aluerit, et in maximum Eccleſiæ bonum Cœlo tranſmiſerit; Quamquàm enim, ob alias reſponſiones ſuperiùs indicatas, noſtrum hoc aſſertum integrum perſiſteret, adhuc intacta Romualdi Viſione, nihilominùs negari nequit, multò fortiùs Recentiorum ſyſtema convelli, præcipuo hoc ipſorum fundamento penitus everſo: numquam enim prorſus adæquata, et peremptoria reſponſio Adverſariorum cavillis opponi poteſt, quamdiù quid veri, quid falſi in eorum hypotheſi contineatur, aliqua ex parte diſſimulare placuerit.

VIII. Aliud obiectionis genus nonnullis faceſſere negocium ſolet, ex eo petitum, quòd paſſim Camaldulenſis Eremus totius Ordinis noſtri *Caput, et Princeps* conſueverit appellari: cui tamen obvia reſponſio eſt, tum ex dictis Capite II. ubi oſtendimus non ſemper, et ab initio talem habitam fuiſſe, ſed temporis ſucceſſu id prærogativę illi delatum ex plerorumque locorum conſenſione, et Apoſtolicæ ſedis privilegio, quod loco citato num. 13. retulimus; tum ex quò oſtendi poteſt, non ſtatim ac locus aliquis Caput religionis alicujus nuncupatur, Fontem propterea illum, et Radicem credi oportere, unde cætera domicilia initium duxerint. Aliud eſt nimirum Caput *Origine*, aliud *Denomi-*

natione; aliud *Dignitate*, aliud *Juriſdictione*. Primo ſenſu numquam totius Ordinis Caput haberi poterat ſacra illa Etruriæ ſolitudo, quia ante illam tot alias ejuſdem inſtituti Divus Romualdus erexerat; Secundo ſenſu, et nunc fateor univerſi noſtri Ordinis Principem dici poſſe, nam ſingulis ejus locis, ac perſonis titulum confert, quo paſſim hodie condecorantur: qua eadem ratione peculiaris noſtræ Congregationis Monaſticę Caput dici meretur Inſigne Monaſterium S. Michaelis Murani, cujus titulum præfert, ac tale de facto nuncupatur à Ventura Atheſtino in Dialogis de Balneis Calderij, eodemque ſenſu Mons Coronę Caput eſt Coronenſium Eremitarum &c. Tertio ſenſu pariter eidem ſacræ Eremo Camaldulenſi primas deberi non inficior, cujus excellentiam, decorem, ſanctitatem ſumma veneratione complector, *Quia ubi arctior eſt vita*, inquit B. Rodulphus in Conſtitutionibus cap. 54. ad hoc ipſum propoſitum, *major debet eſſe reverentia, locus Eremi quaſi, imò revera Caput ab his, qui in Fonte bono, vel per obedientias, cateraque loca Congregationis commorantur, veneretur*. Quarto demùm ſenſu Capitis rationem olim certè, diuque retinuit eadem Camaldulenſis Eremus reſpectu omnium Ordinis Monaſteriorum, quando ejus Prior, ipſo jure, Generalis omnium Pater cenſebatur, ibique ſuam ſedem, tamquam in proprio ſolio figebat, unde cæteris jura dabat, quemadmodum et nunc reſpectu ſaltem Eremitarum Etruſcæ Congregationis, hoc ipſo, et omnibus reliquis ſupra recenſitis modis Caput haberi debet; At poſtquàm in tot membra

bra diſciſſus eſt Ordo, ac Generalis Abbatis titulus ad ſupremum Monachorum Pręfectum in S. Hyppoliti Faventiæ reſidentem tranſiit, hoc potiùs S. Hyppoliti Monaſterium, quàm ſacra Camaldulenſis Eremus, Caput eſſe, et dici (in hoc, inquam, juriſdictionis ſenſu) meretur, ut certè à Sixto V. in Bulla, quæ incipit: *Uſus quandoque docet &c.* Data apud S. Petrum die 21. Decembris 1585. Pontificatus anno 1. hac appellatione inſignitur, ibi: *Et S. Hyppoliti Faventinen. prædicti, quod Caput totius Congregationis exiſtit, et per dictum Stephanum, et pro tempore exiſtentem univerſę Congregationis Generalem Abbatem obtineri conſuevit.* Et tamen Monachi ſimul, atque Eremitæ Camaldulenſis Eremi tunc temporis ab eodem Stephano regebantur, qui ex ipſiſmet Eremitis ad eam dignitatem aſſumptus fuerat.

IX. Cæterùm quàm valida ſit in noſtram sententiã machina, quę ex hac *Capitis* attributione Camaldulenſi Eremo promiſcuè facta deducitur, vel hinc intelligi poteſt, quòd Sylvanus Ractius in Deſcriptione Sacrę Eremi cap. 1. eandem *Capitis* appellationem Monti Alvernię pro Franciſcana Religione aſſignat, uſque adeò verum eſt, non ita multas conditiones ab ejuſmodi Auctoribus reſpici conſueviſſe, ut Capitis, et Principis prærogativam alicui Monaſterio tribuant, nec omnium prioritatem, aut juriſdictionem requiri, ſed quamlibet excellentiam ſufficere. En Ractij verba, ubi oſtenſurus, omnes fermè Religiones ex Etruria oriundas, inter alia hęc habet: *Similmente Franceſco d' Aſceſi dopo molti, e molti anni, avendo avute nel monte della Vernia le ſante Stimmate,*

te, fece CATO, e luogo principale de' ſuoi futuri figliuoli, e della ſua famoſiſſima Religione quel ſacro Monte, &c. Cùm tamen in Umbria, non in Etruria ſui Ordinis fundamenta jeciſſe Franciſcum, notius ſit, quàm hic indigeat cum Lectorum tędio commemorari.

X. Conſtare interim arbitror, nihil Veteri Opinioni, quam pręſenti Diſſertatione reſtituere ſum aggreſſus, obſtare poſſe quęcumque circa ędificationem Camalduli circumferuntur, et Recentiores in adverſam ſententiam nullo, aut debili certè fundamento delapſos. Undè quotquot Ordinis noſtri gloriam eo prætextu imminuere, ac pręcipuos ex illuſtribus S. Romualdi Diſcipulis, eorumque Succeſſoribus, ex albo Camaldulenſium abradere niſi ſunt, falſo laboraſſe ſuppoſito convincuntur: ideòque non eſt cur Arnoldus Vvion Ligni Vitæ parte 1. lib. 1. cap. 27. cui titulum fecit: *Alij Sancti, ac Viri Illuſtres, qui putantur Ordinis Camaldulenſis*, uſque adeò exaggeret, tot SS. Martyres, et Confeſſores, Bonifacium, Joannem, Benedictum, Adalbertum, Matthæum, Iſaac, Chriſtinum, Barnabam, Petrum Urſeolum, Joannem Gradenicum, Petrum Damiàni, alioſque hujuſmodi, Camaldulenſibus non eſſe accenſendos, ea dumtaxat ratione, quòd: *Ex pluribus*, inquit, *Auctoribus certo certius appareat, antedictos omnes numquam albo, ſed nigro amictos colore fuiſſe, quòdque eorum plures diem ſuum obierint, priusquàm S. Romualdus de mutatione habitus cogitaret*. Enimverò ex ijs, quæ in hac Diſſertatione diſputata ſunt, abundè liquet, eundem eſſe D. Romualdi Ordinem, sub cujus

diſci-

diſciplina, tum illi ante Camalduli ædificationem, aut independenter ab ipſa poſtmodùm alibi floruerunt, tum alij in eadem Sacra Camaldulenſi Eremo, ipſive adiunctis Cęnobijs vota ſua Domino reddidere: nihilque referre, nigrone, an albo in ſuis tunicis colore uterentur, dummodo ijſdem Romualdini Inſtituti legibus ſubeſſent. Quamquàm adeò falſum eſt, *Ex pluribus Auctoribus certo certius apparere, antedictos omnes numquam albo, ſed nigro amictos colore fuiſſe*, ut reſpondere auſim, ne unum quidem idoneum Auctorem reperiri poſſe, qui hoc vel probabiliter afferat, quod præſidenter *Certo certius* jactat Arnoldus: Cùm imò conſtet, aut nullum determinatum colorem ab ijs obſervatum, aut pleramque [quod de Petro Damiano, et Avellanitis certum eſt ex Differt. III. cap. 2. num. 9. et 10.] album colorem potiùſquàm nigrum illis in uſu fuiſſe, ut eadem Diſſert. III. Cap. 7. oſtendo; Romualdum autem, nequidem poſt Sanctorum ejuſmodi obitum, de Mutatione habitus cogitaſſe liquet, adeò non iſta expectanda erat, quæ ejus Ordini initium tribueret, et limitem veluti figeret, inter Benedictinos ſimplices, et Camaldulenſes noſtros dividentem, quemadmodum ſibi fingit Arnoldus, et qui illi in hoc propoſito ſuccinit, Hieronymus Fabri in Sacris Ravennæ monumentis. Supereſſet, ut annum ipſum, quo noſtræ Religionis auſpicia in Aquitania Romualdus poſuerit, determinarem; verùm hoc à graviori etiam Controverſia, ipſius Romualdi Ætatem concernente dependet, de qua in II. Diſſertatione ſequenti agendum erit. Pro nunc indicare

dicare ſufficiat, juxta Bollandi hypotheſim, hæc ad annum 978. referenda; ex noſtro autem calculo eadem incidiſſe in annum Dominicæ Incarnationis 962. Joanne XII. Romano Pontifice, Othone I. in Germania Imperante, et quidem circa diem 8. Septembris, ut in noſtro Agiologio, ubi Electio Romualdi in Magiſtrum, Præfectumque Aquitanicæ Eremi hac die recolitur, demonſtramus.

F I N I S.

ET NE AUFERAS DE ORE MEO VERBUM VERITATIS USQUEQUAQUE. Pſal. 118.

Digitized by Google

DISSERTATIO II.
DE ÆTATE
S. P. ROMUALDI

Digitized by Google

Digitized by Google

DE ÆTATE S. P. ROMUALDI

CAPUT I.

Quæſtionis ſtatus, et variæ Auctorum ſententiæ.

SYNOPSIS.

Obſcurum Chronologię Camaldulenſis initium ob Ætatem S. Romualdi. Num. 1. *Ejus illuſtratio fruſtra ab aliis expectata, noſtris tandem conjecturis utcunque ſupplenda.* 2. *Vulgaris calculus annorum S. Romualdi.* 3. *Honeſti Archiepiſcopi tempus illi non correſpondet, neque ſecundùm Tabulas, et Hiſtorias Ravennates, neque juxtà ipſummet Petrum Damiani.* 4. *Carrarius à Fortunio conſultus quomodo rem componendam cenſuerit.* 5. *Ejus ſententiæ confutatio.* 6. *Non potuiſſe in ea hypotheſi Damianum Vitam S. Romualdi de-*

Digitized by Google

ſcribere. 7. Cæſaris Cardinalis Baronij animadverſio. 8. Nec tamen ipſe in Martyrologio, et Lectionibus Breviarii, Ætatem S. Patris idcircò minuendam duxit, ſed 120. annos vixiſſe aſſeruit, ejuſque longævitatem Clemens VIII. æquè approbavit. 9. Thomas Minius ex SS. Caſimiro Poloniæ Rege, ac Joanne Gualberto, Romualdi Ætatem uſque ad annum 1057. protrahendam contendit. 10. Idem ex diſciplina Romualdi in Sergium Patrem perſuadere nititur. 11. Tantam dilationem hiſce capitibus non neceſſariò perſuaderi. 12. Perſiſtere adhuc in Minii hypotheſi difficultates ex Honeſti, et Damiani tempore deductas. 13. Joannes Bollandus veterem difficultatem promovet, nec ultra annum 1027. Romualdi mortem differri poſſe arbitratur. 14. Vulgare ſyſtema cum tempore converſionis Petri Urſeoli non convenire putat. 15. Amanuenſium culpa C pro L acceptum fuiſſe, unde numerus CXX. pro LXX. annorum in Vitam S. Romualdi à Damiano deſcriptam irrepſerit, eamque veram nodi ſolutionem eſſe concludit. 16.

I. QVæ ad noſtram, veteremque de Ordinis Camaldulenſis Inſtitutione ſẽtentiam reſtituendam, illuſtrandam, confirmandamque ſpectabant, præcedenti Diſſertatione abundè, ut arbitror, in medium produximus: nunc longè difficiliorem de Ordinis ejuſdem Epocha ritè ſtatuenda quæſtionem breviter attingemus; Quàm clarè ſiquidem ex Petri Damiani narratione patuit, Romualdum in Aquitania ubi primos Diſcipulos Eremiticæ vitę legibus imbuit, Ordinis

dinis

Digitized by Google

dinis ſui primordia collocaſſe, tam in obſcuro deinde latet anni ipſius, quo hæc contigerint, verior determinatio, et æquè in incerto poſitum fluctuat totius Chronologiæ Camaldulenſis initium, ob inſignem de Romualdi Ætate controverſiam, cui (tot rebus geſtis nulla temporum nota diſtinctis) tenebras potiùs, quàm lucem eadem Damiani Hiſtoria videtur offundere, quibus diſijciendis me quidem longè imparem ſentio; aliorumque in hoc nodo diſſolvendo conatus attendere maluiſſem, quàm ſimplices coniecturas meas depromere, quas pluribus ab hinc annis, dum non aliis ſtudijs diſtractus in unius Camaldulenſis Hiſtoriȩ cognitionem incumberet animus, mente conceptas ſchedulis commendaveram, avidiſſimè expectans, an certius quidpiam occurreret, atque felicioribus aliorum curis hęc quæſtio interim illuſtraretur.

II. Verùm ex quò nuper lucem aſpexit ſextum Sęculum Benedictinum ab Eruditiſſimis S. Mauri Monachis adornatum, cujus deſiderium ſpem in animo meo nonnullam alebat, fili alicujus hinc derivandi ad labyrinti hujus ambages aliquando evolvendas: ubi intellexi (nec enim coram videre licuit) à Clariſſimis, et Diligentiſſimis Viris nihil demùm allatum eſſe ad Romualdi Ætatem pleniùs illuſtrandam, ſed rem in ancipiti, ut priùs, relictam; deſperare cœpi, novas huic propoſito ſuppetias aliunde acceſſuras, deque cogitatis meis, qualiacunque ſint, proferendis deliberavi. Neque me propoſiti pęnitet, licèt non omnibus probandas eſſe conjecturas ejuſmodi, ſatis prævideam; illas enim

enim non quaſi exploratas ænigmatis hujus ſolutiones propono, ſed [quo loco illas ſemper habui] ut ſimplices dumtaxat conatus, aliquam conciliationem difficultatum in hac materia occurrentium interim attentantis, dum melior lux affulgeat Veritati, quam ab alijs poſtmodum uberiùs illuſtrari, etiam levibus his conjecturis noſtris ex integro refutatis, adeò gravatè non feram, ut cum grati etiam animi ſignificatione ſim excepturus quæcumque in hoc propoſitum ab eruditioribus conferentur: ſatis laudis, et gloriæ ab his ſcriptis nimirum reportaturus, ſi aliis controverſiam hanc pleniùs agitandi, et apertiùs reſolvendi anſam dediſſe judicabuntur.

III. Totus autem quęſtionis cardo in hoc verſatur. Narrat Petrus Damiani de Romualdo in ejus Vita cap. 68. quòd *Vixit Vir Beatiſſimus centum viginti annis, ex quibus viginti expendit in ſęculo, tres duxit in Monaſterio, nonagintaſeptem in Eremitico tranſegit propoſito*. Cùm itaque ex vetuſtiſſimis Camalduli monumentis, perpetuaque Ordinis traditione conſtet, eundem anno 1027. ſuum diem obijſſe, quod et Lectiones tum Romani, tum Monaſtici Breviarij die 7. Februarii confirmant, conſequens eſt, ante 120. annos natum fuiſſe anno 907. et viginti poſt annos ſęculo valedixiſſe anno 927. ut vulgaris calculus pręferre ſolet.

IV. Verùm ſi attendamus, cujus authoritate apud Claſſenſes Monachos Romualdi converſio promota fuerit, Honeſti nimirum Archiepiſcopi Ravennatis, qui ejuſdem Claſſenſis Monaſterii Abbas olim extiterat, ut idem

idem Damianus in Romualdi vita cap. 2. his verbis teſtatur: *Monachi verò dum Patris ejus* [Romualdi nempe monaſticum habitum flagitantis] *duritiam metuunt, converſioni illius aditum pandere non præſumunt. Honeſtus autem, qui tunc Ravennæ Archiepiſcopalem Cathedram obtinebat, olim Claſſenſis Cænobii Abbas extiterat. Hunc ergo Romualdus impiger adiit, eique omne ſui cordis deſiderium patefecit. Qui alacer factus, caſtæ concupiſcentiæ exhortationis ſtimulos addidit, fratribusque, ut eum ſuo collegio incunctanter adsciſcerent, imperavit. Hujus itaque patrocinio Cœnobitæ ſuffulti, Romualdum intrepida ſecuritate ſuſcipiunt, eique ſanctæ converſationis habitum tradunt*. Si, inquam, hæc attendamus, calculus omnis turbabitur, anno ſiquidem 927. non Honeſtus, ſed Petrus ejus anteceſſor Ravennatem Eccleſiam adminiſtrabat, ut nedum ex Ravennatibus Tabulis, et Hiſtoricis omnibus colligitur, ſed ex ipſomet Petro Damiano apertè liquet, dum tomo 1. Ep. 9. libri 1. ſcribit: *Petrus etiam Archiepiſcopus Ravennalem dimiſit Eccleſiam, cui mox adhuc ſuperſtiti Honeſtus, primo videlicet Othone habenas imperij gubernante, ſucceſſit*. Primi autem Othonis imperium non ante annũ 936. ab omnibus Chronologis conſignatur, quarè ipſo anno 927. non Honeſtus, ſed Petrus Ravennæ Archiepiſcopalem Cathedram obtinebat,quam anno 923. conſcenderat, adeòque Romualdi converſio, quæ Honeſti ipſius ſuffragio perfici debuit, longè poſt annum 927. contigerit, unde et ipſa Romualdi Ætas, et tota ejus Vitæ chronologica diſtributio, nutare prorſus, et in ambiguo fluctuare convincitur.

V. Pri-

V. Primus difficultatem hanc ſenſit Hiſtoriæ Camaldulenſis Scriptor Auguſtinus noſter Fortunius, eaque de re Vincentium Carrarium I.C. Ravennatem Virum Eruditiſſimum conſuluit, ut parte 2. Hiſtoriarum Camaldulenſium l. 1. cap. 7. legitur; qui reſcripſit: *Cùm Honeſtus non fuerit Archiepiſcopus, niſi poſt annum 963. ſuccedens Petro, qui ſedebat anno 927. arbitrari ſe, quòd S.P. Romualdus natus ſit anno 946 et mortuus anno 1066. ut hiſtoriæ invicem cohęreant;* Quam ſententiam hinc etiam confirmari poſſe indicat, quòd idem Petrus Damiani ſub initium capitis quinti loquens de primordijs converſionis S. Romualdi apud Marinum, teſtatur *eodem tempore* factam Ducis Urſeoli converſionem, quę ex Venetorum Hiſtorijs poſt annum 970. reponi conſuevit, aut ſaltem, ſi Hieronymo Bardo Monacho noſtro inſigni Chronologo auſcultemus, circa annum 959. ad ſummùm contingere potuit.

VI. Sedenim huic opinioni obſtare animadvertit Fortunius, tum ſeriem Priorum Sacrę Eremi, tum Privilegium Theodaldi Aretini Epiſcopi, tum Paginā fundationis Abbatię Feſulanę, in quibus S. P. anno 1027. mortuus ſupponitur; tum denique, quòd non ſit veroſimile S. Romualdum Imperatoribus Othoni III. et Henrico II. notiſſimum, et gratiſſimum, ab ipſorum ſucceſſoribus ignorari potuiſſe, nec aliquid memoria dignum ſub eorum imperio patraſſe, ut ab anno 1027. ad 1066. ejus memoria ubique ſilere debeat, quaſi otioſus ipſe manſerit, *Qui uſque ad extremum vitæ ſpiritum Operarius vigilantiſſimus in vinea Eccleſię*

Chri-

Chriſti fuit. Argumentum porrò ex Petri Urſeoli converſione ductum ſic eludere, aut declinare videtur, ut in Amanuenſis negligentiam culpa ſit referenda; ait enim: *Quòd ex verbis Damiani Petrus Urſeolus converſus eſſe videatur primis annis, quibus S. P. Romualdus Venetijs agebat, id Scriptoris errore factum eſſe credimus, cùm non ſit veriſimile, ut tantus Princeps fugam cum Eremita novitio inierit, quòdque Guarinus Abbas Monaſterium ſuum eidem tradiderit, abdicans ſe Principatu factus unà cum Duce, et cum B. Marino, illi devotus Diſcipulus.*

VII. Addere poterat in ejus ſententiæ refutationē, quòd, cùm Petrus Damiani 15. annis poſt Romualdi obitum ejus geſta litteris conſignaverit [*Ecce enim*, inquit Damianus, in Prologo Vitæ S. Romualdi, *tria jam ferè luſtra tranſacta ſunt, ex quo Beatus Romualdus depoſito carnis onere ad æetherea regna migravit*] Si Romualdus anno 1066. mortuus aſſeratur, debuiſſet anno 1081. ejus Vita à Petro Damiano deſcribi: quo tempore in vivis eſſe jam deſierat, nam anno 1072. obiiſſe vulgò creditur, et ſi ad 1080. nonnulli ejus ętatē extendant, quod adhuc non ſufficit, ut Romualdi Vitam deſcribere potuerit; pręſertim quia antequàm ad Cardinalitiæ Dignitatis apicem per Stephanum IX. eveheretur, et fortè in primis ejus converſionis initijs, Vitam hanc Romualdi deſcripſiſſe videtur Damianus, cùm in eodem Vitæ hujus Prologo ita loquatur, quaſi è ſęculo recens avulſus: *Nobis autem*, inquit, *in anguſto cellulæ angulo reſidentibus ūtilius erat, ſicut propoſuimus, propria peccata ad mentis oculos aſſiduè revocare, quàm aliena*

virtutis hiſtoriam texere, magis expedire commiſſi reatus tenebras plangere, quàm ſplendida ſanctitatis inſignia imperitis ſermonibus offuſcare.

VIII. Secundus eundem nodum verſavit celeberrimus Eccleſiaſticæ hiſtoriæ Parens Cæſar Cardinalis Baronius, ſed intento potius digito ad intricatiſſimi glomi caput, quàm manu ad ejus extricationem, et evolutionem admota; poſtquàm enim tomo XI. ad annũ Chriſti 1027. num.13. difficultatis ſummam expoſuit, unum hoc demum concludere ſatis habuit: *Igitur ad certiores calculos anni Romualdi ſunt revocandi*. Quod quidem ultrò fatemur, at viam ipſam evadendi requirimus, quam certè aut aſperam, aut obſcuram, aut interclusam fuiſſe maximo huic Veritatis hiſtoricę Indagatori, colligere licet ex hac ipſa perfunctoria tantæ difficultatis recenſione, quò faciliùs et ipſi ſperemus, qualeſcunque circa hanc controverſiam conjecturas noſtras, veniæ alicujus dignatione ab æquis rerum æſtimatoribus fore excipiendas.

IX. Notandum eſt tamen, non ideò Doctiſſimum Cardinalem senſiſſe, quod Romualdi Ætas eſſet diminuenda, ſed tantùm *Ad certiores calculos revocanda*; Nam et in Notis ad Martyrologium Romanum ad diem 19. Junij, eandem integram 120 annorum Romualdi Ætatem ex Damiano ſimpliciter referre ſatis habuit, nullam dubitandi occaſionem prætendẽs; Et in Reformatione Breviarij Romani juſſu Clementis VIII.unà cum Cardinali Bellarmino [ejuſdem difficultatis conſcio] legi permiſit ultima lectione ſecundi Nocturni pro die

7.

7. Februarij, verba illa: *Denique cùm annos centum, et viginti ageret, et centum ipſos in ſumma vitę aſperitate Deo ſerviſſet, ad eum migravit;* quemadmodùm et in poſterioribus omnibus Breviarij emendationibus eadem intacta remanſerunt, et poſt editas Bollandianas conjecturas, Sacra Rit. Congregatio die 18. Maij 1675. pro toto Camaldulenſi Ordine approbavit lectiones S. Romualdi in Feria III. inter quas ad finem ſecundæ lectionis pro Menſe Decembri legimus incorrupta Damiani verba: *Vixit Vir Beatiſſimus centum viginti annis, ex quibus viginti in Sæculo, tres in Monaſterio, nonagintaſeptem tranſegit in Eremo*. Sed et ipſe Clemens VIII. Pontifex Max. cùm Romualdi venerationem ad publicum Divinorum Officiorum cultum, univerſo Clero ſub Ritu Duplici imperatum, extenderet in ſua Conſtitutione data apud S.Marcum ſub Annulo Piſcatoris die 9. Julii 1595. Pontif. ſui anno 4. Romualdum *à Deo exaltari meruiſſe longitudine dierum in terris*, conſtantiſſimè teſtatus eſt, non obſtante difficultate, quam Cęſar Card. Baronius jam adverterat, et propoſuerat.

X. Tertius controverſię huic ventilandæ acceſſit Vir noſtrarum rerum conſultiſſimus, deque Camaldulenſis Nominis dignitate optimè meritus D. Thomas Minius Monachus Angelorum Florentię, qui in Vita B. Caſimiri Poloniæ Regis, Diſcipuli S. Romualdi, anno 1620. Venetijs edita, obſervat, Caſimirum non ante annum 1036. ad Romualdum in Italia commorantem acceſſiſſe, vel etiam accedere potuiſſe, ut ex Matthęo Miechovita, Martino Chromero, aliiſque Re-

rum Polonicarum Scriptoribus, in aperto eſſe contendit: unde S. Patrem Romualdum poſt annum 1027. ſuperſtitem fuiſſe colligit; idemque ex adventu S. Joannis Gualberti ad Camaldulenſem Eremum confirmat, hic enim non ante annum 1034. Romualdum convenire potuit; itaque Honeſti Ravennatis Archiepiſcopi Sedem, quę longè poſt annum 927. indubiè ponenda eſt, Ætati S. Romualdi nullum prejudicium afferre, differendam enim eſſe, alijs etiam indiciis, ultra quàm vulgò ſtatuitur, ejus Mortem, quæ anno 1057. reponenda Minio videtur, uti Nativitas ad annum 937. trahenda, Converſio ad annum 957. revocanda.

XI. Pręſertim verò compelli ſe Minius aſſerit ad prorogandam Romualdi Ætatem potiſſimo Sergij Patris ejusdem Romualdi argumento; Hunc enim poſt Petri Urseoli obitum, adeòque poſt annum 997. de ſęcularis vitę ſtatu reaſſumendo cogitantem corripuiſſe, et compedibus, ac vinculis, et verberibus, pia ſeveritate, caſtigaſſe legitur Romualdus è Galliis redux, uſquedum ad meliorem frugem incautum reduceret, atque in Sancto Religionis propoſito confirmaret, ut ex Vitæ cap. 12. et 13. colligitur: quod à veroſimili abhorrere obſervat, ſi Romualdus anno 907. natus cum vulgari opinione cenſeatur, nam tunc filius nonageſimum annum obtineret, quare Patrem longè ultra quã centenarium fateri neceſſe foret, quem ætate illa adeò decrepita [licet ſæcularis jam libertatis rurſus pręcupidum fingeremus] tam rigidę tamen diſciplinæ, ſeveritati

tati à Filio ſubiectum eſſe, illæſo humanitatis ſenſu, vix eſt ut ſuſpicemur.

XII. Quanquàm non video tantæ dilationis neceſſitatem hinc oriri, ut propterea ad annum 1057. Romualdi Mors protrahi debeat, cùm argumenta à Minio adducta ex Caſimiri, et Gualberti diſcipulatu non ultra annum 1037. Romualdum ſuperſtitem demonſtrent; Sergij verò Patris correptio æquè mirabilis videatur circa ſenem octogenarium (qualis eſſe debuit, etiam Minij ſententia, Sergius anno 997. ſi Romualdus anno 937. illi natus aſſeratur, quippe vigeſimo ſaltem ætatis ſuę anno illum genuiſſe dicendus eſt) ac circà centenario majorem, nec minùs fortaſſe in hac, quàm in illa ætate locum habere potuit religioſę vitæ ſemel ſuſceptæ inconſtantia, ſi tantò majores libertatis in ſęculo prægustatæ blanditias, ad illum à propoſito revocandum, eſſe debuiſſe animadvertamus, et eò validiori efficacia, ac graviori remedio expugnandas, quò diuturniori uſu Sergij animum infecerant, quippe qui (Vitæ S. Romualdi cap. 1.) *Mundo vehementer intentus, et omnino ſæcularibus negociis implicatus* tantò anteà fuiſſe deſcribitur.

XIII. Ad hæc, ipſius Honeſti Archiepiſcopi tempus, quale vulgò ſtatuitur, Minij ſententiæ, perinde ac communi opinioni, repugnat: nam ex Carrario, quem num. 5. ſuperiùs adduximus, nonniſi poſt annum 963. ex aliis verò aliquantò etiam ſeriùs, ſedere cœpit Honeſtus, quarè anno 957. quo Minius reponendam Romualdi Converſionem judicat, non potuit

aucto-

auctoritate ſua Claſſenſes Monachos confirmare, ut *intrepidè Romualdum ſuſciperent*, *illique ſanctæ converſationis habitum traderent*: ut nihil addam de Petri Damiani ætate, quæ Minij æquè ac Carrarij ſententiæ adverſatur, debuiſſet enim juxta Minium anno 1072. Romualdi vitam Damianus deſcribere, utpotè tribus ab obitu S. Patris luſtris collectam, quo anno Damiani ipſius mors contigit Februario menſe, cùm circa initium ſuę converſionis, certè antequàm cum Cardinalitia, et Epiſcopali Dignitate tot Chriſtianę Reipublicę negocijs diſtineretur, illam exaraſſe Damianus videatur, ut ſupra num. 7. expendimus.

XIV. Quartus denique Scopulum hunc ſibi ſuperandum propoſuit eximij Operis, Chriſtianæ Reipublicę utiliſſimi, et Eccleſiaſticam Antiquitatem maximè illuſtrantis Aggreſſor Joannes Bollandus, dum inter alia, quæ colligit, et illuſtrat Sanctorum Acta, S. Romualdi vitam ad diem 7. Februarij prævio commentario recenſens, §. 3. contendit, longævam S. Patris Ætatem cum ejus hiſtoria nō poſſe omninò conſiſtere, tum primario, et potiſſimo argumento Honeſti Archiepiſcopi Ravennatis, ipſiſmet Baronij verbis relato, oſtendens longè poſt annum 927. converſioni S. Romualdi aditum patefieri potuiſſe; tum varijs conjecturis, ultra annum 1027. ejus vitam prorogari non poſſe definiens, nam ad 1071. perveniſſe oporteret, ſi centeſimo poſt ſuam converſionem anno Romualdus morti ceſſiſſet, nec Petrus Damiani tribus ab ejus obitu luſtris Vitam S. Patris poterat litteris conſignare,

nec Romualdi memoria poſt Henricum II. ubique ſileret. *Nam ſi tandiù* (inquit Bollandus num. 17.) *ſuperſtes fuit, vegetus tamen ſemper, et ad labores pro Dei gloria impiger, quid cauſæ eſt, cur nuſquam ejus, poſt S. Henrici Imperatoris obitum, mentio fiat? cur difficillimis Eccleſię temporibus non implorata ejus opera à Pontificibus, qui anteà illum tanti fecerant, ut ultrò Parentio revocarent? Cur non ipſe ſponte ſua Imperatores, alioſque Theutonicos Principes, apud quos tanta ſub Othone III. et Henrico fuerat in veneratione, admonuit, ne Eccleſiam Dei perturbarent? an auctoritatem ei, an zelum potius dicemus defuiſſe? utrumvis injurioſum ſit vel ſuſpicari de eo, qui etiam Barbaros Religionis diſſeminandę cauſa adijt, et quaſi unus de Seraphim, homines, quocunque pergeret, ſanctæ prędicationis facibus accendebat.*

XV. Nec poſſe cum vulgari ſyſtemate conciliari Petri Urſeoli ætatem contendit, nam hic quarto circiter à Romualdi Cõverſione anno Monachus factus eſt, idque circa annum 977. ex Venetis Hiſtoricis, nec multò citiùs id contingere potuiſſe arbitratur, ex quo Petrus Candianus, Urſeoli Deceſſor, Hugonis Etruriæ Marchionis ſororius extiterit, qui anno 1001. è vivis exceſſit, unde neceſſariò Romualdus anno 973. ſæculo valedixerit, aut etiam anno 975. quandoquidem Hieronymus Pragenſis cap. 2. num. 6. ſui Sermonis de S. Romualdo, ſcribit, viginti annis poſt Converſionem Claſſenſi Abbatię Præfectum, id quod contigit Othonis III. nutu ad annum circiter 995. vel 996. uti Baronius ad hunc annum adnotavit.

XVI. Hinc num. 19. rem ſic componendam decernit

nit Bollandus, ut in Amanuenſis incuriam erroris cauſa referatur; ait enim: *Quid ergo de B. Petri Damiani calculo dicemus? vitiatos facillimo errore numeros, nam cùm ſcripſiſſet (vixiſſe Virum Beatiſſimum LXX. annis, XX. expendiſſe in Sæculo, III. in Monaſterio duxiſſe, XLVII. in eremitico tranſegiſſe propoſito) ſcriba quiſpiam pro L. littera, minùs fortaſſe accuratè expreſſa, C. legit, ſcripſitque CXX. pro LXX. et XCVII. pro XLVII. ac conſequenter quòd num. 77. erat (ultra quàm quinquagenario) fortè ſimili compendio formatum [L.^{rio}] vel legit [C.^{rio}] vel conſultò, ut cum ſequentibus congrueret, ita reſtituit; et verò quis ita loquatur, ut (ultra quàm centenario vergere jam in ſenectutem) ut num. 80. habetur, ſive (in ſenium declinare jam ætatem) dicat?* Hæc Bollandus.

CAPUT II.

Supra relatæ Bollandianæ Sententiæ Confutatio.

SYNOPSIS.

Authographum Petri Damiani, olim Faventiæ, nunc in Vaticana Bibliotheca ſervatum. 1. *Dubij cujuſdam ſolutio.* 2. *Non arithmeticis notis, ſed verbis per extenſum exprimitur S. Romualdi Ætas in laudato codice* 3. *Damiani ſenſu eadem conjectura refellitur.* 4. *Senilis ætas à Veneris ſtimulis*

mulis non immunis. 5. Romualdi Ætatem in ſenectutem vergere non ſcripſit Damianus, ſed ſenectutem vergere. 6. Ante Sitrienſem calumniam S.P. jam ſenex deſcribitur. 7. Evidenti calculo Bollandus rejicitur. 8. et 9. An Damianus falli, vel fallere potuerit? 10. Vivum Romualdum Damianus agnovit. 11. Ejus Vitæ feriem ab egregijs ejuſdem Diſcipulis hauſit. 12. Qua cura ſibi à mendacijs caverit Damianus. 13. et 14. Concluditur inſubſiſtens Bollandi conjectura. 15.

I. PLuribus figmentum illud Bollandianum, quod ad calcem ſuperioris capitis retuli, placuiſſe,

Non equidem invideo, miror magis:

at in denſiſſima rerum caligine ambulantes, obvia quæquæ arripere ſolent; mihi verò etſi nullus alius ab his tenebris occurreret exitus, hic certè, quò nos Bollandus adducit, nunquam probari poſſet, cùm facti ipſius oppoſita Veritate, velut inſuperabili quodam repagulo, obſtructus videatur; Si enim Damiani ipſius Authographum in conſpectum veniat, nonne ejus teſtimonio litem dirimi oportebit? Ubi illud gentium inveniri queat, requiris? ſtatim indicabo. Doctiſſimus, et Eruditiſſimus Camaldulenſium Generalis Ambroſius in Hodæporico ſcribit: *Monaſterium quoque inſigne S. Mariæ* [Faventiæ nimirum] *viſitare perreximus, ſepulcrumque Petri Damiani in antiqua, et ornata, atque ab illo (ut ferebatur) conſtructa baſilica venerati ſumus. Codicem illic vetuſtum, ipſius* [*ut ferebatur*] *manu ſcriptum, in quo omnia Opuſcula ejus haberentur, in conſpectum dedere: eum nos ad*

C   *noſtrum*

noſtrum hoſpitium tulimus, diligentiùs inſpecturi. Sed et Fortunius Hiſt. Camal. par. 2. lib. 1. cap. 7. idem Authographum adhuc ætate ſua ibidem ſervatum teſtatur, ait enim: *Miſit nobis verba ipſa originalia Romulus Monachus Ciſtercienſis ibi Quæſtor, tranſcripta ex Originalibus B. Petri Damiani, quę ad Cænobium S. Marię de Angelo Faventię, ubi quieſcit, aſſeruantur*. Hinc Clementis VIII. Romani Pontificis juſſu Codex idem Cæſari Baronio conſignatus eſt, ex quo, velut ex ſincero, ac genuino fonte, quæ ad Annales ſuos pertinere viderentur, erueret: tum in Vaticana Bibliotheca locatus eſt, ubi hodiedum viſitur ſub num. 3797. ejus ſæculi antiquitatem adhuc ſpirans, non paucas apicibus interceptas lituras oſtentans, quę Auctoris, non Exſcriptoris manū referunt, et hymni cujuſdam cantilenam, rudi notarum interpunctione, circa unius lineę ductum, priſco ritu, deſignatam exhibens, quæ vetuſtatem illius ęvi apertiſſimè comprobat.

II. Neque opponas additam in calce Voluminis inſcriptionem *Monaſterij S. Mariæ de Angelis Faventię &c. anno* 1113. additumque Divi Bernardi Sermonem in Natali Domini; Cùm enim Epigraphes illa diverſo, et recentiùs ſcripto charactere expreſſa ſit, indicat non ſcriptionis annum, ſed recenſionis librorum, aut adeptę poſſeſſionis tempus ibidem deſignari, cùm longè antea ab Auctore proprio Codex ille exaratus eſſet, qui ante 40. fermè annos vivere deſierat. Divi pariter Bernardi Sermo recentiori adhuc, et longioris notæ charactere deſcriptus eſt, atque ultimi quaternionis lo-

co.

eo poſtmodum aſſutus ab aliquo è Ciſtercienſibus Monachis in illud Cœnobium deinceps introductis, ne videlicet Mellifluì Doctoris Opella ſeorſim relicta periret; Quod quidem longè poſt prælaudatam inſcriptionem factum oportuit, anno ſiquidem 1113. ibi notato, vix religioſum ſchemma induerat S. Bernardus, adeò non Sermonem illum ediderat.

III. Quod ſi igitur Authographum Damiani ipſius manu exaratum Codicem tenemus, ut perpetua ſuadet traditio, atque inſperſæ lituræ demonſtrant, aliæque antiquitatis notę confirmant; ecquid opus eſt, ut Bollandianas coniecturas ſectemur? Cedat Præſumptio Veritati, et controverſum textum pag. 204. laudati Codicis inſpiciamus. Nullæ hìc numericę notæ cõparent, nulla characterum compendia, ſed per extenſum disertè legitur: *Vixit autem Vir Beatiſſimus centum viginti annis, ex quibus viginti expendit in ſæculo, tres duxit in Monaſterio, nonagintaſeptem in eremitico tranſegit propoſito*. Itaque coniecturę de L. in C. commutato penitus evaneſcunt, quaſi data opera Beatiſſimus Scriptor, ſuſcitandæ olim difficultatis pręſcius, illamque prævenire ſtudens, huic ipſi effugio locum præcludere voluerit, citra ullam ambagem ijs verbis Ætatem Romualdi exprimens, quæ dubium omne prorſus auferrent, nec ulli æquivocationi ſubeſſe poſſent: id quod et alibi ſemper, quoties numerus quiſpiam notandus occurrit, in Epiſtolis alijſque Opuſculis ſuis obſervaſſe Damianũ animadverto, vocibus ipſis expreſſis, non arithmeticis notis uſpiam uſurpatis; unde et ſupra cap. 49. ejuſdẽ

Hiſtoriæ S. Romualdi per extenſum habet: *De ſene pluſquam centenario*, non compendio illo gratis confiĉto, nec ad ejus præſertim ſæculi uſum accomodato C.^rio, ſive, ut prætenditur, L.^rio quod Amanuenſis quiſpiam, anguli recti normam ab arcu ſemicirculi non diſtinguens, in C.^rio converterit, vel (utor Bollandi verbis) *Conſultò, ut cum ſequentibus congrueret, ita reſtituerit*. Quaſi verò non poſſet Romualdi Ætas infra deſcripta conſiſtere cum Sitrienſi calumnia, ſive hæc in ultra quinquagenarium dumtaxat (quod etiam veroſimilius fuiſſet) ſive in ultra centenarium caderet, unde providè duplicanda eſſet S. Viri longævitas, ut cum ijs, quę poſt viginti capita ex Damiano fuerat deſcripturus, conſenſum aliquem affectaret!

IV. Verùm eſto nullus ſit Damiani authographus Codex, quo commentum hoc, numeralium notarum perperam conſignatarum, revincatur; ex ipſo tamen Damiani ſenſu, diſertis verbis, quæ nullas technas, corrupti per Amanuenſem characteris, patiuntur, apertiſſimè expreſſo, hæc Romualdi pluſquàm centenaria Ætas elicitur: nam laudato cap. 49. nedum miratur, impuræ notæ calumniam Viro Sanctiſſimo impactam, utpotè *Seni ultra quàm centenario* (sive, ut Bollandus legendum arbitratur, *ultra quàm quinquagenario*) ſed expreſſè *Decrepitum ſenem* eo loci appellat, qui ſtatus à quinquagenaria ætate longiſſimè diſtat; Deinde, ut rem extra dubium, imò extra dubitationis somnium ponat, hoc addit: *Cui etiamſi voluntas adeſſet, natura tamen, et frigidus ſanguis, et ariditas attenuati corporis hoc penitus denegaret*.

V. Ama-

V. Amabo te igitur, mi Bollande, an hæc quinquageſimum dumtaxat annum excedenti convenire bona fide arbitraris? an ita vigore exhauſta eſt quinquagenaria ętas, ut Veneris ſtimulos neſciat, et voluntatis etiam vitio irritatos, frigidi ſanguinis impotentia retundat? Quot habemus, non quinquagenarijs tantùm, ſed ſexagenariis, ac ſeptuagenarijs majores, conjugij fructum non inquirentes modò, ſed obtinentes, nec Maritos dumtaxat, ſed Patres factos? Teſtor hanc ipſam lucem, quę mihi ſuprema ſit, ſiquid fingo, ſiquid addo, ſiquid exaggero. Ante duos circiter menſes {ad VIII. kal. Maij currentis anni 1705. hæc ſcribo} coram Illuſtriſſimo Viro, pręclaris dignitatum muneribus conſpicuo, qui me convivio humaniſſimè exceperat, plorabundus ſenex apparuit, ſecundam conjugem, quam ſibi paucos ante menſes copulaverat, ſibi tùm morte pręreptam, querulus nunciavit, atquè ut de alia ſibi quàmprimùm deſtinanda cogitaret, eundem Illuſtriſſimum Virum, me præſente, et audiente, ſeriò, et enixè rogavit: cauſam adiiciens, quòd ultra tres dies ſibi continentiam imperare non poſſet, quin natura ipſa Veneri litandum vectigal vel ab invito extorqueret. De Ætate interrogatus, octuageſimum quintum annum excedere ſe fatebatur, quod ipſum et alij ejus familiares comprobabant. Notiſſimus Piſis eſt, vel certè paucis ignotus; rugoſa facies, ſed rubicunda ſemper; lippi oculi, ſed ignem ſpirantes; calva frons, ſed erecta; comę quod ſupereſt canities inficit, rigiditas ad humeros uſque ſine flexione diſtendit: omnia

deni-

denique Ætatem, et Venerem ſimul accuſant, reique ipſius fidem, ſine diſſimulatione, confirmant. I nunc, et ſeni pluſquàm quinquagenario Damiani notam accomoda: *Cui etiamſi voluntas adeſſet, natura tamen, et frigidus ſanguis, et ariditas attenuati corporis, hoc penitus denegaret!*

VI. Neque negotium ullum faceſſere poteſt Bollādi peracuta obſervatio, qua una ſuam conjecturam ſuccollare nititur, videlicet, Romualdum mox cap. 52. *In ſenectutem vergere*, ſive *in ſenium declinare* à Damiano aſſeri, quę locutio pluſquàm centenario non conveniret; nam ſi verba ipſa, et ſenſum Damiani expendere placeat, nihil inveniemus, quod Bollandianæ argutiæ vel minimùm faveat: ait quippe eo loci Graviſſimus Scriptor: *Vivebat autem, vergente jam ſenectute, nimis diſtrictè, videlicet cùm jam et ipſi perfecti viri ſolent remiſſiùs vivere, et aliquid ſibi de ſui propoſiti rigore laxare.* Audin? non *vergente in ſenium Ætate*, ut tu Bollande interpretaris, ſed ipſamet *ſenectute vergente*, ſive declinante in decrepitatem, aut etiam decrepito ſenio in mortem vergente; niſi aliorum Codicum lectionem præferre libeat, in quibus habetur, *urgente*, ideſt aggravante illum, *ſenectute:* quorum utrumvis cum quinquagenaria dumtaxat ætate minimè cohęret. Nec certè veroſimile eſt, Damianum aſſerere voluiſſe, *perfectos viros* in ſenectutis limine, ſeu vergente in ſenectutem ætate, atque ubi demum quinquageſimum dumtaxat annum attigerint, *remiſſiùs vivere, et aliquid ſibi de ſui propoſiti rigore laxare*, quos alibi, opuſc. 13. de perfect.

ſect. Monachor. cap. 23. diligentiſſimè admonuit, *tantò neceſſe eſſe fieri cautiores ad prælium, quantò conſpiciunt ipſum præliandi terminum jam propinquum;* unde ſubdit: *nunc igitur ad fortiter agendum fervens animus incaleſcat, et ſenilis ætas ad debellandam vitiorum barbariem robur iuvenile concipiat, &c.*

VII. Quid, quod longè ante Sitrienſem illam calumniam, nempe dum Eremi Aquębellę, ſeu Vallis Umbroſę cellas conſtrueret, Romualdus velut ſenex ad labores impotens, nobis deſcribitur cap. 46. *Romualdus autem quia jam pr ſenectute laborare non poterat?* Hoccine præjudicij robuſto, ac vegeto Viro, atque ad labores impigro, quinquagenariam dumtaxat ętatem attuliſſe dicemus? Verùm eſto: Quid ad cap. 69. denique reponendum erit, ubi poſtremam S. Romualdi ægritudinem descripturus Damianus hæc habet: *Cępit corpus ejus magis magiſque moleſtiis ingraveſcere, et deorſum jam velut non tam languore, quàm DECREPITI LONGÆVITATE SENII declinare?* Hic profectò vides Bollande, nedum *Senij decrepitatem*, ſed *Decrepitatis longævitatem* Romualdo tributam, qualem in ſeptuagenario, qui decrepitatis fines vix attingeret, ne affectatiſſimus quidem exaggerator fingere poterat. Firmum igitur, ratumque ſit, Damianum verè et ſenſiſſe, et ſcripſiſſe quod vulgata ejus exemplaria præferunt, quod vetuſtiſſimi Codices omnes Mſſ. oſtendunt, Vitam ſcilicet B. Romualdi ad centum et viginti annos protractam fuiſſe, nec Amanuenſis vitio tribui poſſe calculi huius conſignationem ex ſola unius litterulæ mutatione:

ne:

ne Bollandiano artificio confictam.

VIII. Imò ut hanc calculi reſtitutionem, ex characterum C, et L ſimilitudine deductam, rigidiſsimo calculo revincamus: attende mecum chronologicam inconſequentiam Bollandi. *Vixit*, inquit, *Vir Beatiſſimus* (non CXX. ſed) *LXX. annis, quorum XX. expendit in ſæculo, III. duxit in Monaſterio, reliquos* [non jam XCVII. ſed] *XLVII. in Eremitico tranſegit propoſito*: Ergo qui anno 1027. Mortuus dicitur, nec diutiùs ſuperſtes eſſe potuiſſe à Bollando creditur, converſus erit anno 977. ita quidem, inquit tunc enimverò Ravennatem Eccleſiam regebat Honeſtus: hactenus nil moror; qui tres igitur annos duxit in Monaſterio Claſſenſi, anno dumtaxat 980. ad Marinum divertit, Eremiticum tyrocinium ſub ejus diſciplina poſiturus; neque hìc ad examen revocare vacat quàm longo tempore Marinum Romualdus audierit, jam enim Petri Urſeoli converſio annùm hunc 980. præceſsiſſe, juxta omnes Venetorum Hiſtoricos deprehenditur, illam quippe in annũ 977. vel huic proximum regerunt, fatente ipſo Bollando, qui eodem Commentarij ſui §. 3. num. 18. hęc habet: *Quid quòd Petrum Urſeolum, qui quarto circiter à converſione Romualdi anno Monachus factus eſt, omnes Hiſtorici tradunt circiter annum 977. vel 978. Ducis ſeſe munere abdicaſſe?*

IX. Et verò non poſſe ad annum 981. [in quem caderet Urſeoli converſio, ſi quarto dumtaxat anno à Monachatu Romualdi, qui in annum 977. ex Bollandi ſententia referendus eſt, contigiſſe dicatur, utì

ad

ad minimùm dici debet] eximij hujus Ducis fugam differri, hinc breviter collige. Romualdus in Galliis viginti ad minùs annos expendit, unum in pugillo ciceris, et tres in agriculturæ exercitio, ut cap. 6. Vitæ conſtat, alios quindecim in alio vitæ genere, ut cap. 8. narratur, et unum ſaltem in poſtremo vivendi modo, qui cap. 9. deſcribitur, et Legis loco ſolitarijs omnibus tandem ab Romualdo præfixus aſſeritur: itaque anno tantùm 1001. in Italiam Sanctiſſimus Pater reverſus eſſet. Conſidera jam quæ ante milleſimum Romualdus cum Othone III. Imperatore egit: Expende Claſſenſem præfecturam ab illo ſibi delatam, et ante quinquennium, cùm apud Catriam moraretur, cælitus prænunciatam [cap. 22. et 19.] Conſidera Tiburtinam obſidionem, Romualdi apud Othonem precibus dimiſſam [cap. 23.] Attende tot Nobilium ex aula Imperatoris converſionem, ipſique Regi iniunctam pœnitentiam, ob adulterium, homicidium, et periurium [licèt *Humano* Francolini *Iudicio culpandus non videretur Otho* part. 1. Cler. Rom. diſp. 9. num. 53. pag. 257. In hæc quippe Sæcula devenimus, probroſa ſæcula, quibus et magna ſcelera ſuos inveniunt Patronos] nec non prænunciatam, ob dilatum Monaſtici voti propoſitum, mortem (cap. 25. 26 30.) Animadverte ejuſdem Othonis precibus factam Diſcipulorum Perei expeditionem in Gentes (cap. 28.) ut alia omittam benè multa, quæ ante annum milleſimum in Italia S. Pater exhibuit, ut certè præmiſſa omnia vel ab Illuſtriſſimo Baronio intra ſæculum decimum meritò cõ-

D ſignan-

ſignantur, nec ulla ratione ad undecimum trahi queunt; et palmares anachroniſmos ex hac Bollandiana hypotheſi reſultare videbis. Non ergo rectus angulus in ſemicircularem arcum ab Amanuenſi commutatus difficultates has, Romualdi Ætatem comitantes, tam expedito, ac laudabili invento pleniſſimè abſolvit, ut de hac Bollandi conjectura prędicat Hieronymus Fabri in Sacris Ravennæ Monumentis, ejus ſententiam tanto plauſu excipiens, nec amplectens modò, ſed fermè deoſculans.

X. Quod ſi igitur evidentiſſimum eſt, Damianum LXX. ſolos annos Romualdo tribuere non potuiſſe, compertiſſimum erit, omninò CXX. abſque ulla tergiverſatione ipſum ſcripſiſſe, cùm eatenus prætendat Bollandus non eſſe legendum CXX., quatenus potuerit ſcribere LXX. et ab imperito quodam exſcriptore L. in C. commutari. Supereſt itaque, ut vel oſcitantię, vel fraudis ſuſpicio in Damianum cadat, ſi reipſa Romualdus Ætatem illam CXX. annorum non attigit, ita ut vel ipse falli potuerit, vel fallere totam poſteritatem hoc inſigni commento tentaverit; quorum primum qua veri ſpecie, ſecundum qua frontis præſidentia quis afferat?

XI. Romualdum certè in vivis degentem de facie agnoſcere potuit Damianus, qui tribus dumtaxat ab ejus morte luſtris, ut in Procemio teſtatur, Vitam S. Patris deſcripſit: reipſa agnoviſſe contendit Lancellottus in hiſtoria Olivet. ubi de Monaſt. Ariminen. ait enim, *Petrum Damiani in re Monaſtica Romualdum audiſſe*; nec

nec abludunt conjecturæ ex Vita S. Romualdi cap. 4. 16. 40. 53. 67. deductæ in Commentarijs ejuſdem Vitę à nobis deſcriptis, quibus ſtantibus dubitandum non eſt, ex ipſo Viri Sanctiſſimi aſpectu Ætatem longævam, non minùs quàm obductam ab impactu feneſtræ in veneranda ejus fronte cicatricem, et peccatoribus, maximè verò potentibus hujus ſęculi, tremendā vultus majeſtatem, hilarem è contrario, ac ſerenam ſemper erga Diſcipulos faciem potuiſſe Damianum cognoſcere, ac ſeptuagenarium ab eo, qui centenariæ ætati vicennium ſuperadderet, probè diſtinguere.

XII. Verùm hoc, ceu minùs exploratum, dimittamus. Certum eſt, ab ipſis Romualdi Diſcipulis [ijsque primariæ fidei, utpotè quos in Proœmio Vitę appellat *Egregios*, ibi: *Quod de prædicto mirabili Viro ab Egregiis ejus Diſcipulis didici, aggrediar, Deo auctore, deſcribere*] ſive in Eremo, aut Monaſterio Sitriæ, quòd frequenter ipſe Damianus incoluit, ut ex ejus Epiſtolis patet, ſive in S. Vincentij Cænobio, ubi hanc hiſtoriam contexuit, ut ex initio capitis 57. colligitur, commorantibus, quęcunque de Romualdo tradidit, Damianum accepiſſe; hos autem egregios Viros circa S.Patris Ætatem tam turpiter hallucinatos, ut totis quinquaginta annis ſeniorem Romualdum ſint arbitrati, fidem prorſus omnem ſuperare videtur; at verò data opera cunctos in hoc conveniſſe, ut Damiano imponerent, ac tam putido mendacio (quod vel exteri, apud quos Romualdus notiſſimus, et celeberrimus habebatur, facillimè revincere potuiſſent) æternam ſibi ignominiam

pararent, nullam pariter veritatis ſpeciem præſefert.

XIII. Quod ipſum de Damiano intellectum volo, ſiquis illum, exaggerata Romualdi Ætate, nobis fucũ facere voluiſſe præſumeret, adeòut, cùm omnibus palam compertum eſſet, ſeptuaginta dumtaxat annis Sanctiſſimum Virum vixiſſe, ipſe prudens, ſcienſque ad centum viginti ejus vitam extendere voluerit, neque ſe aperti mendacij ubique redarguendum formidaverit, poſtquàm ab ejuſmodi commentis ſe maximè alienum vel in ipſo Hiſtoriæ ſuæ præludio oſtentaverat, illorum ſenſum, et morem inſugillans, *Qui Deo ſe deferre exiſtimant, ſi in extollendis Sanctorum virtutibus mendacium fingant: hi nimirum ignorantes, Deum noſtro non egere mendacio, relicta Veritate, quæ ipſe eſt, falſitatis ei putant ſe placere poſſe commento; Quos benè Jeremias redarguit dicens: docuerunt linguas ſuas loqui mendacium, ut iniquè agerent laboraverunt. Qui enim ultrò oblatam ſimplicem Veritatem referre facilè poterant, in componendis quæ neſciunt caſſo labore deſudant; et quo ſe pro Deo ſtare quaſi adiutores autbumant, eo ut reverà falſi teſtes contra Deum pertinaciter pugnant, Apoſtolo Corinthijs atteſtante, qui ait: Si Chriſtus non reſurrexit, inanis eſt prædicatio noſtra, inanis eſt et fides veſtra: deinde ſubiungit: invenimur falſi teſtes Dei, quoniam diximus teſtimonium adverſùs Deum, qui ſuſcitavit Chriſtum, quem non ſuſcitavit*. Similibus proluſit etiam in Vitam S. Mauri Epiſcopi Cæſenatis, ubi pariter ſic habet: *Temerarius narrator eſt, qui dum laudum præconiis alios extollere nititur, ipſe mergi in falſitatis barathrum non veretur*. Et Ep. 19. libri 1. Acta S. Dominici Loricati

col-

collecturus: *Abſit*, inquit, *à me mendacium ſcribere, nam qui Veritatem pro viribus veraciter colo, commentum fallaciæ non admitto.*

XIV. Unde tanta ſollicitudine vel umbram mendacij ſibi fugiendam propoſuit integerrimus Doctor, ut quæ, vel dubiæ auctoritatis deprehenderet, vel oblivione intercepta timeret, vel infidæ relationis fraude corrupta ſuſpicaretur, eadem vel in ancipiti relinqueret, vel à narratione ſejungeret, vel à ſe non pertinaciter aſſeri continuò declararet, ut ſequentibus exemplis licet evincere. Tom. 1. lib. 1. Epiſt. 9. *Sed cùm hæc de aviculis, et corvo inter aquas nigras aliquando apparentibus, aliquando ſe abſcondentibus, in pagina digeſſiſſem, Religioſus Caſſinenſis Monaſterij Abbas Deſiderius advenit, ſeſeque rem ſic habere funditus abnegavit; cùmque illum, et Humbertum, meum videlicet relatorem, in mutua colloquia deduxiſſem, Humbertus ait: ego quidem hujus allegationis teſtimonium non defendo, veruntamen hoc ſimplicitèr retuli quod ab Accolis loci illius audivi. Sed quoniam perſonæ iſtæ, Deſiderius videlicet, et Humbertus, tantæ auctoritatis ſunt, ut neutri eorum fides debeat denegari, ego quoque quod ſcripſi procaciter non affirmo, ſed utrum verum ſit, necne, legentium inquiſitioni relinquendum eſſe decerno.* (Hinc obiter patet, non fuiſſe cur Bellarminus in libro de Scriptoribus Eccleſiaſticis nimiæ credulitatis ob hanc ipſam aviculaarum narrationem S. Doctorem argueret) tum Epiſt. 10. ejuſdē libri: *Idcirco autem nomina hominum non appono, quoniam ordo peractæ rei faciliùs hæſit animo, nomina verò, curis aliis intervenientibus, fateor intercepit oblivio; Nec*

magno-

magnoperè curamus videri aucupes nominum, dummodo non excidat ſeries, et ordo geſtorum; quanquàm et hæc eadem geſta, quæ ſcribimus, quia in tranſitu audire nos contigit, utrũ inoffenſam fidei lineam teneant, certum per omnia non habemus. [Poteratne quis circumſpectiùs loqui, vel ſi maximè laudem hanc affectare voluiſſet?] mox lib. 2. Ep. 14. *Hæc omnia, Venerabilis Pater, non ſine magno timore deſcribimus, ne vel per oblivionem propriam, vel per infidæ relationis audaciam, à Veritatis linea quantumlibet declinemus; quamobrem hæc nos non conſtanter aſtruimus, ſed quia velut ſub hoc relationis ordine ad noſtram fuerint perlata notitiam, opinamur.* [An non ad ſcrupulum uſque ſibi ab omni mendacij vel apparentis nævo cavere videtur?] Similiter Epiſt. 15. ejuſd. libri: *Hæc ego, Venerabilis Pater, et alia quàmplurima, non ſine magnæ formidinis angore conſcribo, ne videlicet, vel relatores mei meræ veritatis ſemitam non tenuerint, vel ipſe quoque, relationum in quolibet immemor, oblivione deliquerim. Veruntamen, teſte conſcientia, non hæc mentiendi voto, ſed ædificationis affectu, prout meliùs poſſum narrata recolere, ſatago ſchedulis adnotare*; Et in Epiſtola 29. lib. 6. *Quæ autem ſibi verba B. Virgo protulerit, quamvis mihi utcunque dicantur, quia certus non ſum, non adhibeo fidem, quoniam in veritatis lineam vel leviter impingere pertimeſco*; Ut alia omittam paris cautionis indicia, quę S. Virum, ubi quid conſtanter aſſerit, non falsò, non temerè non leviter id tradere, nihil per dolum, aut fraudem comminiſci declarant.

XV. Quod ſi igitur his momentis illud omnino conficitur, nullam rationabilem mendacij ſuſpicionem

in

in Sanctiſſimum, et Sinceriſſimum noſtrum Egregium Doctorem cadere poſſe, quemadmodùm nec in Egregios Romualdi Diſcipulos, à quibus, quæ ad S. Patris hiſtoriam pertinebant, ſe accepiſſe fatetur Damianus, qui nec falli propterea, nec fallere potuit in Ætate D. Romualdi, paulò anteà defuncti, determinanda: ac præterea ſuperiùs num. 3. et 4. oſtenſum eſt, reipsà centum viginti annos Damianum Romualdo conſtanter, et citra ullam hęſitationem aſcripſiſſe, neque Bollandi conjecturam de Amanuenſis oſcitantia, C. pro L. deſcribentis, poſſe ullo ex capite ſubſiſtere: concludendum prorſus videtur, tamdiù reverà vixiſſe Romualdum, ut *Dies annorum ipſius fuerint centum viginti anni*, neque, ob Archiepiſcopi Honeſti ſedem, eſſe ullatenus contrahendam Romualdi Ætatem, ſed potiùs ob Romualdi Ætatem, quę invictiſſimè probata eſt, aliquo tandem modo Honeſti tempus cum Romualdi annis conciliandum eſſe; *Neque continuò* (ut cum Auguſtino loquar lib. de quant. animæ) *nos ita conturbari oportere, ut tam multa, quæ ſuperiùs luce clariora nobis viſa ſunt, falſa eſſe arbitremur: fieri enim poteſt, ut hujus rei cauſa nos lateat, &c. Quam ſi reperire non poſſumus, nonne quærenda eſt potius vera, quàm falſa* (à Bollando adducta) *credenda?*

CA-

CAPUT III.

Probabilis Conciliatio juxtà noſtram ſententiam proponitur, et Honeſtus Petri Coepiſcopus fuiſſe ſuadetur.

SYNOPSIS.

Romualdus non ante annum 937. *converti potuit*. Num. 1. *Annus mortis S. P. fortaſſe ex* 1037. *in* 1027. *per errorem commutatus*. 2. *Honeſtus ante annum* 971. *Ravennati Eccleſiæ præfuit ſaltem ut Coepiſcopus*. 3. *Romualdus poſt annum* 1027. *ſuperſtes*. ibid. *Non uſque adeò perfecta Ravennatum Præſulum ſeries, variæque de tempore Honeſti ſententiæ*. 4. *Magna in Archiepiſcopis Ravennatibus ejus temporis confuſio*. 5. *Coepiſcoporum uſus illo Sæculo*. 6. *et* 7. *Honeſtus Petri Coepiſcopus Acta nomine Petri edidit*. 8. *Petrus non abdicavit morti proximus, ut ſequeretur ex Adverſariorum hypotheſi*. 9. *Dominicus Abbas Claſſis, Honeſti ſucceſſor, anno* 954. *Ravennati Concilio ſubſcribit*. 10. *Honeſtus, et Petrus ex omnibus Ravennæ Archiepiſcopis* Coangelici *appellati*. ibid.

I. SEd noſtras hac de re conjecturas, ut polliciti ſumus, in medium proferamus. In primis fateor, anno 927. qui converſioni S. Romualdi vulgò aſſignatur, Honeſtum nullo pacto Ravennatem Antiſtitē

Digitized by Google

dici potuiſſe, ex loco Damiani ſuperius citato Cap. 1. num. 4. ubi diſertè narrat, quòd *Petrus Archiepiſcopus Ravennatem dimiſit Eccleſiam, cui mox adbuc ſuperſtiti Honeſtus, Primo videlicet Othone habenas Imperij gubernante, ſucceſſit.* Quippè anno dumtaxat 936. Primus Otho Imperator legitur inauguratus; quarè ſi Honeſtus, Damiano teſte, Ravennæ Archiepiſcopalem Cathedram obtinebat, dum Claſſenſes Monachos confirmavit, ut authoritate ſua Romualdum intrepida ſecuritate ſuſciperent, eique ſanctæ converſationis habitum traderent, non potuit ante annum 936. vel 937. id contingere: nec Romualdus, qui vicennium in ſæculari vita expēdiſſe legitur, potuit ante annum 916. vel reſpectivè 917. naſci, neque ante annum 1036. aut 1037. è vivis excedere, ſi centum viginti annorum vitam reipſa tranſegit, uti ex Damiano ſupra demonſtravimus.

II. Expendebam ergo, an non ſtatui poſſet, communem opinionem, de Morte S. Romualdi ad annum MXXVII. relata, invaluiſſe ex prava intelligentia characterum, quibus conſignata fuerat ad annum MXXXVII. itaut firmiori fortaſſe conjectura, quàm ſit mutatio L. in C. à Bollando excogitata, per unius X. omiſſionem decennio anterior credita fuerit, quàm reipſa contigerit. Si enim ad annum 1037. Romualdi Mors differretur, et conſequenter Converſio ad annum 937. Nativitas ad 917. reduci poſſet, res omnis bellè ſuccedere videretur, nullaque deinceps difficultas emergeret, quam probabili ratione evadere, aut eludere non liceret, ſi modò præcipuis, atque obvijs occurre-

rem ex Honeſti ſede ad annum 971. à Ravennatibus Hiſtoricis conſignata, atque ex S. Romualdi memoria poſt annum 1027. juxta Adverſarios ubique ſilente, deductis Obiectis, quibus quaſi duobus ſcopulis ſententia hęc intercluditur, ac ne liberiùs, et confidentiùs efferre ſe valeat coercetur.

III. At non deeſſe coniecturas, quibus perſuadeamur tum longè ante annum 971. Ravennati Eccleſiæ præfuiſſe Honeſtum, Petro ſponte abdicanti ſuccedentem, licèt, dum hic viveret, ſe ut Coepiſcopum dumtaxat gereret, ac Petri nomine quælibet Acta ſignari mandaret, vel potiora officia illi expedienda reipſa deferret, ut nonniſi poſt Petri mortem Honeſti memoria in Ravennatibus Tabulis ſuperfuerit, licèt conſtet ex Damiano, et alijs, quòd Petro adhuc viventi ſucceſſerit: tum Romualdum adhuc poſt annum 1027. in vivis fuiſſe, nedum uſque ad 1030. quod pridem D. Antoninus, et Caniſius ſtatuerunt, ſed ad 1037. argumentis ex B. Caſimiro Poloniæ Rege, et ex S. Joanne Gualberto, ſupra per Thomam Minium indicatis Cap. 1. num. 10. aliiſque inferiùs adducendis ex ipſa Camalduli ędificatione, quę ſeriùs fortaſſe quàm vulgò creditur, ſtatuenda videtur; non deeſſe, inquam, conjecturas, quæ nobis id perſuadeant ex ijs, quæ partim hoc, partim ſequentibus Capitulis, latiùs expendenda ſunt, ſatis patebit.

IV. Primùm itaque obſervo, non ita certam, et exploratam è Ravennatis Eccleſiæ monumentis haberi Chronologicam ejus temporis Antiſtitum ſucceſſionem, ut

ut non ingens Scriptorum variatio, et confuſio, etiam independenter ab hac quæſtione, quam S. Romualdi Hiſtoria, et Longævitas excitavit, paſſim deprehendatur. Sanè Cardinalis Baronius ad diem 1. Februarij notat Hieronymi Rubei errorem circa annos,et ſucceſſionem S. Severi Ravennatis Archiepiſcopi, et ad diem 28. Aprilis omiſſum queritur in ſerie Antiſtitum Ravennatum Vitalem Archiepiſcopum. Antonius item Maſinius in ſua Bononia perluſtrata par. 1. ad diem 11. Septembris, et par. 2. ad annum 470. notat S. Fulcum Archiepiſcopum Ravennatem, de quo alij Hiſtorici ſilent. Sed ne à propoſito noſtro divertamus: Carrarius Vir Eruditiſſimus loco apud Fortunium ſupra citato Cap. 1. num. 5. arbitratur, Honeſtum anno 963. Petro ſucceſſiſſe: Rubeus verò in Hiſtor. Ravennatibus idem ſtatuit anno 971. Alij ad annum 957. id reponunt, cui ſententiæ Minius noſter ſupra relatus Cap. I. num. 10. adhæſiſſe videtur, dum hoc ipſo anno Converſionem S. Romualdi reponi poſſe, ad controverſiam componendam, opinatur.

V. Juvabit ad hoc propoſitum verba Danielis Papebrochij in Propylæo SS. Maij, Notis ad Landonem Pontificem num. 73. afferre, ubi ſic habet: *Apud Ferdinandum Ughellum mirabilis hoc loco in Epiſcopis tam Bononienſibus, quàm Ravennatibus, eſt confuſio, nam in Bononienſi Sede ait floruiſſe Petrum anno 909. indeque translatum ad Ravennatem Eccleſiam anno 927. in Ravennatibus autem ait Petrum [eum ſcilicet, de quo tacito nomine Luitprandus] electum anno 904. annum ferè integrum ſediſſe, eique*

 ſuffe-

ſuffectum Joannem antea Bononienſem Epiſcopum (quem et confundens cum Joanne XI. Maurozix, ac Sergij filium facit) cui ſucceſſerit anno 913. *Conſtantinus , et huic Petrus Bononienſis item Epiſcopus anno* 923. Mox ibidem num. 4. ſic Papebrochius ſubjungit: *Dixerim ego, Alambertum anno* 891. *creatum Bononienſem Epiſcopum uſque ad Anaſtaſij III. Pontificatum ſuperfuiſſe : cui decedenti ſuffectus ſit Joannes Theodoræ Amaſius, qui dum Ravennæ expectat Ordinationis ſuæ diem, obierit is , à quo ordinari debebat , Archiepiſcopus, nomine Petrus, non Bononia advectus, ſed ex ipſo Ravennate Clero ſub annum* 904. *ſuffectus Joanni Traverſario. Tum verò Joannes nondum Bononienſi Eccleſię conſecratus, ambiverit in Ravennatem Archiepiſcopum eligi , et Romam conſecrandus diſceſſerit: dum autem ibi moras apud Amicam trahit, etiam poſt conſecrationem acceptam, mortuus ſit Lando, eique ſubſtitutus Joannes, curaverit loco ſuo Bononienſibus quidem Petrum alium ſubſtituendum , Ravennatibus verò Conſtantinum, quo mortuo circa annum* 923. *vel* 27. *accerſitus ſit à Bononienſi Eccleſia prædictus Petrus. Hic verò, ſi adhuc in vivis fuit, ſeque Epiſcopatu ultrò abdicavit poſt annum* 970. *et Synodum Ferrariæ celebratam; oportebit dicere, eum in Epiſcopali gradu perſeveraſſe pluſquàm annos* 56. *priusquàm ei ſuccederet Honeſtus, celebratus in Vita S. Romualdi.* Hæc Papebrochius.

VI. Ex quibus, iudicet prudens Lector, an ob Antiſtitum Ravennatum ſucceſſionem adeò nutantem, et in ancipiti poſitam, æquum ſit de Romualdi Ætate, cujus tam gravia argumenta nobis Petri Damiani auctoritas ſubminiſtrat, vel leviter dubitare; an verò

præ-

præſtet, veriſimili aliqua ratione illorum Præſulum ſedem cum Romualdi Hiſtoria conciliare, quę non video cur illa ipſa eſſe nequeat, ſuperiùs num. 2. et 3. inſinuata, et quam in ſimili nodo diſſolvendo uſurpat Vir Eruditiſſimus Jacobus Burallius in Vitis Aretinorum Pontificum, ubi de Joanne XXXVII. Epiſcopo, qui anno 901. ſediſſe legitur in Hiſtoria SS. Florę, et Lucillę, quę Petro Damiano tribuitur (quanquàm ejus ſtylum ſapere nemo perſuaſerit) cùm tamen ex privilegio Ludovici Regis eodem anno floruiſſe videatur Petrus Epiſcopus ejus nominis ſecundus, cui Sanctarum earumdem translationem Baronius etiam referendam ſtatuit, non Joanni prędicto: conciliare nimirum hoc diſſidium Burallius adnititur, aſſerens alterum alterius Coepiscopum, ſeu Coadiutorem eſſe potuiſſe, Joannem videlicet Petri II. utì mox Petrus III. Coepiſcopus, ſeu Coadiutor fuit pręfati Joannis, et non diù poſt, nempe anno 1006. (referente Ughello in Italia Sacra tom. 1. ubi de Epiſcopis Aretinis) *Elimpertus adhuc ſuperſtes ſubſequentem Theodaldum Coadiutorem, et Coepiſcopum habuit cum futura ſucceſſione, ut inde videre Lector poſſit, jam tum illum morem apud Eccleſiaſticos inolevіſſe, atque uſque ad hæc tempora perduraſſe*; et infra de Theodaldo loquens idem Ughellus ſic habet: *Elimperti fuit Coadiutor, ut reperitur anno 1006. eidemque defuncto ſucceſſit*; Cùm tamen innumera, imò pleraque Acta Elimperti nomine conſignarentur, ut ex Privilegiis in Canonicos ſuos, et in Abbatiam Pratagliæ, anno 1009. ab ipſo inſtitutam, collatis, aliјſque monumentis apertè conſtat.

VII.

VII. Conſuetudinis hujus originem illi propemodùm ſæculo *X.* reipſa deberi confirmat Elias Du Pin tom. 8. Bibliothecæ novæ Eccleſiaſticæ parte 1. de ſæculo X. Eccleſiæ cap. 6. §. 4. Ejus praxeos exempla nonnulla adducens his verbis: *Les traslations des Evèques devinrent aſſez frequentes, et l'on comença à donner des Coadiuteurs aux Evèques, avec aſſurance de leur ſucceder. Ainſi Uthon Evèque de Strasbourg eut pour Coadiuteur Archembaud; mais cette pratique fut condamnèe par les Evèques d'Allemagne à l'egard d'Adalberon, que Saint Ulric ſon Oncle avoit choiſi* (anno 972.) *pour ſon Coadiuteur: et par Gregoire V. à l'egard de l'Evèque du Puy en Vellay, qui avoit auſſi fait ordonner ſon Neveu*: Quamquàm poſtremum hoc factum quod attinet, obſervo cum Thomaſino in Vet. et Nova Eccleſię Diſciplina de Beneficijs, non quidem improbatam à Gregorio V. Pontifice Coadiutorum aſſumendorum praxim, ſed illegitimam contra Cleri jùs electionem, et minùs exactè ſervatum ſacræ Ordinationis ritum: *In Concilio*, inquit, *Romano ſub Gregorio V. anno* 938. *exauthoratus eſt Stephanus Anicienſis Epiſcopus in agro Velano, quòd eum ſibi cooptaſſet Guido Avunculus ſuus, inconſulto Clero, et Populo, et à duobus tantùm Epiſcopis ordinatus eſſet.*

VIII. Nil mirum itaque, quòd et Honeſtus, tamquàm Petri Coadiutorem, ſeu Coepiſcopum ſe geſſerit ab anno 937. ad uſque Petri mortem, adeò ut, licèt Petrus Epiſcopali munere ſe abdicaſſet, auſus tamen non ſit Honeſtus, illo vivente, ſemet abſolutè Archiepiſcopum ſubſcribere, ſed Petri nomine cuncta

admi-

adminiſtraret, ob Prædeceſſoris ſui reverentiam, cujus onera videlicet ſupplere, et laborem minuere mallet, quàm honorem, et dignitatem ſibi arrogare: eo ferè modo, quo circa annum 1109. tradit Fortunius, Martinum Priorem Camaldulenſem, ſolitariæ quietis amore, ſe magiſtratu abdicaſſe, cui cùm Patres Guidonem ſuffeciſſent, *Is præ humilitate*, inquit Fortunius par. 1. lib. 2. cap. 4. *nec non pro reverentia Martini, Magiſtratus inſignia numquam recipere voluit; quapropter Joannes I. utrique ſubrogatus eſt, qui ſimiliter numquam ſe Priorem ſubſcribere auſus eſt, Martino, et Guidone ſuperſtitibus, nec niſi tantùm nomine Cathedram S. P. Romualdi tenere; Quo factum eſt, ut multæ oblationes modò ſub hujus, modò ſub illius nomine Sacræ Eremo factæ ſint.*

IX. Et ſanè, cùm conſtet ex ſæpe laudata Epiſtola 9. libri 1. Petri Damiani, atque id in confeſſo apud omnes ſit, Honeſtum Petro adhuc ſuperſtiti, ſeque Epiſcopalibus munijs ſponte abdicanti, ſucceſſiſſe, quid eſt, quod prima fermè Acta, quæ ipſius Honeſti nomen expreſsè referant, Petrum mortuum ſupponunt, ut apud Rubeum ad annum 974. ubi mandat Honeſtus, ut unuſquiſque ex Canonicis *Unam miſſam pro Anima Petri ſui Prædeceſſoris caneret in ejus anniverſario die?* Quàm parùm credibile eſt, ſi humilitatis ſtudio Epiſcopatui ceſſit Petrus, id demùm feciſſe, poſtquàm et compluribus annis Bononienſi Eccleſiæ, et Ravennati ab anno 923. ad 971. præfuiſſet, ideſt *poſt annos* (ut Papebrochius num. 5. citatus advertit) *pluſquàm* 56. (imò 62. nam anno 909. jam Bononienſibus præfuiſſe

Petrum

Petrum hunc Ughellus obſervat) *in ea dignitate exactos*, et non potius circa annum 937. dum adhuc vegetus eſſet, ne magis ob impotentiam Epiſcopale miniſterium neceſſariò deſerere, quàm ob humilitatem ſponte dimittere diceretur!

X. Sed quid opus conjecturis? Duo mihi argumenta occurrunt, quæ rem planè conficere videntur: alterum, quòd Actis Concilij Ravennatis anno 954. ſubſcriptus legitur, qui ex Claſſenſis Archivi monumentis Honeſto in Abbatiæ regimine ſucceſſit, Dominicus Abbas, his verbis: *Dominicus Religioſus Presbiter, et Abbas regularis S. Apollinaris, qui vocatur in Claſſe*; Unde jam tùm Honeſtus ad Epiſcopalis oneris partem vocatus ſupponitur, licèt ex ſæpe dicta ratione Petri nomine hæc ipſa Concilij Acta celebrarentur. Alterum eſt, quòd inter Ravennates Archiepiſcopos, Honeſtus dumtaxat, et Petrus *Coangelici* titulo decorati leguntur, ut in Actis anno 954. à Rubeo relatis. *D. Petrus Sanctiſſimus, et Coangelicus Archiepiſcopus*; et in Actis anni 973. *Honeſtus Coangelicus Sanctiſſimus Archiepiſcopus*; Quomodò autem alteruter *Coangelicus* vocaretur, niſi ex comparatione alterius Præſulis, quocum commune miniſterium Epiſcopale ſuſtineret? Sic enim dicitur *Coangelicus*, quomodo *Coævus*, *Coæternus* &c. quæ niſi ad aliū referantur, minimè intelligi poſſunt, atque explicari, ſed duorum ſaltem conſortium neceſſariò requirunt.

CA-

CAPUT IV.

Ex S. Ioannis Gualberti Hiſtoria Romualdus poſt annum 1027. vivus evincitur.

SYNOPSIS.

Joannem Gualbertum ſub Romualdo Camaldulum veniſſe qui tradant. Num. 1. *Prioris Camaldulenſis, tacito Romualdi nomine, nonnulli mentionem faciunt.* 2. *Id eveniſſe Athonis Epiſcopi Florentini tempore, qui ab anno* 1032. *ſedit.* 3. *Corrupta facti hujus apud Franchum Chronologia, et conficta duplicis Athonis diſtinctio refellitur.* 4. *Ildebrandus Epiſcopus ædificando S. Miniatis Monaſterio, quod anno* 1013. *deſertum jacebat, dat operam.* 5. *Idem ex Lamberto Epiſcopo oſtenditur.* 6. *Nec non ex ipſo Athone Epiſcopo.* 7. *Nullum Athonem Guidoni, et Ildebrando Epiſcopis inſerendum.* 8. *Ubertus Abbas S. Miniatis ſimoniacus circa annum* 1035. *ſuccedit Leoni, ſub quo Joannes Monaſticen induerat.* 9. *Itę Abbatiſſæ inſtrumentum ſententiam noſtram confirmat.* 10. *Prima Oratorij Vallis Umbroſæ conſecratio anno* 1037. *contigit.* 11. *Alia huic anterior fictitia oſtenditur.* 12. *B. Theuzonis Eremitæ Ætas adverſam hypotheſim refellit.* 13. *Ex S. Jo. Gualberti Ætate veritas eadem ſtabilitur.* 14.

I. POſtquàm verò innotuit, potuiſſe Honeſtum ab anno 936. Archiepiſcopalem Ravennæ Cathedram tenere, et conſequenter in eundem annum, vel in ſequentem 937. Romualdi Converſionem commodè differri, ſupereſt ut oſtendamus, ejuſdem pretioſam Mortem ad annum 1037. poſſe reduci, ut centum ipſos in Monaſtico habitu tranſegiſſe annos, cum Damiano, poſſimus aſſerere. Id itaque jam perſuadere conabimur ex D. Joannis Gualberti ad Camaldulenſem Eremum adventu, qui non ante annum 1034. vel 1036. contingere certiſſimè potuit, cùm tamen ibi ſub Romualdo vixiſſe Joannem expreſsè tradant Scriptores probatiſſimi Vallis Umbroſæ (ut de noſtris Fortunio, Ractio, Minio, deque exteris quàm plurimis ſileam) Andreas Januenſis, qui circa annum 1419. floruit, in vita S. Jo. Gualberti cap. 11. Hieronymus Radiolenſis, qui anno circiter 1480. eandem vitam patrio ſermone expreſſit. Xantes Peruſinus, qui circa annum 1500. eadem Gualberti acta collegit, pag. 24. Joannes Joannalius, qui ſub Clemente VIII. lectiones S. Joannis Gualberti Breviario inſerendas compoſuit, ut reipſa demùm inſertæ ſunt, atque à S. R. C. approbatæ; ac demum noviſſimè Aſcanius Tamburinus de Iur. Abb. tom. 2. diſp. 24. qu. 5 num. 20. et Didacus Franchus in ejuſdem S. Joannis Gualberti Hiſtoria lib. 4. noſtriſque diebus Venantius Simius in ſuo Cathalogo litt. L. num. 9.

II. Alios prætereo antiquiores, nempe Theuzum ipſius S. Joannis Diſcipulum in vita ejuſdem cap. 5.

et

et S. Athonem Piſtorienſem Epiſcopum in vita S. Joannis cap. 12. qui de eodem Joannis ad Camaldulenſem Eremum adventu, deque Prioris loci in illum humanitate (à quo poſt aliquod tempus ad Aquæbellæ, ſeu Vallisumbroſę ſolitudinem, accepto etiam Ordinis inſtituendi vaticinio, et Amicitiæ inter utriuſque Poſteros ſervandæ fœdere inito, cum benedictione, Joannes dimiſſus ibidem legitur) eadem referunt, licèt *Romualdi* nomen proprium non exprimant, ſed *Prioris* dumtaxat *Camaldulenſis*: ut incertum maneat, Petro Dagnino, an Romualdo hæc aſcribi debeant, ideòque non evidens, ſed probabile dumtaxat indicium, Vitæ S. Romualdi ultra annum 1027. producendæ, hinc reluceat, tantæ nimirum probabilitatis, quantæ cenſeri poteſt aſſertio, quòd ſub Romualdo Joannes Camaldulum incoluerit; de tempore ſiquidem res eſt exploratiſſima, et nulli prorſus obnoxia dubitationi, quòd non ante annum 1034. vel 1036, id præſtare potuerit, ut mox oſtendam.

III. Fugiebat nempe Joannes Gualbertus Ubertum, ſive Obertum, Monaſterij S. Miniatis Abbatem, fœdiſſimi ſimoniaci commercij cum Athone Florentino Epiſcopo convictum [nam Ubertus prędictus *Epiſcopo Athoni nomine, multam pecuniam pro dicta Abbatia promiſerat*, inquit Andreas Januenſis in vita S. Jo. Gualberti cap. 8. et 9.] ſedit verò Atho in S Zenobij Cathedra ab anno 1032. ad 1038. ſi Vincentio Borghinio credimus, ſive uſque ad 1046. ut Ferdinandus Ughellus tradit, atque ex ejus ætatis monimentis confirmat;

Nam poſt relatum Lamberti Florentini Epiſcopi privilegium anno 1028. Monaſterio S. Miniatis conceſſum, ſic concludit laudatus Ughellus tom. 2. pag. 70. *Piè, ſanctèque Florentinam Eccleſiam rexit Lambertus uſque ad annum* 1032. *in quo ipſo anno rerum humanarum pertæſus, cùm ſe paſtorali munere abdicaſſet, vitam Monaſticam inſtituit profiteri*. Et pag. ſeq. num. 21. *Poſt Lambertum Atho Florentinam ſedem obtinuit:* Ac pag. 83. *Exceſſit Atho circiter annum Domini* 1046. *ſepultus jacet in Cathedrali*. Eoque ipſo anno Succeſſorem habuit Gerardum [qui et mox Nicolaus II. Pontifex] quem Petrus Papienſis excepit, quocum de Simoniaca labe gravius certamen habuit poſtmodùm S. Joannes Gualbertus, incendij experimento deciſum. Longè igitur poſt annum 1027. putà circa annum 1036. ſuperſtitem in Camaldulenſi Eremo Romualdum invenire debuit Joannes Gualbertus, ſi poſt publicam ſimoniacorum Athonis Epiſcopi, et Uberti Abbatis proclamationem, ad Sacrã illam Solitudinem ſe Vir Sanctus recepit, ipſiuſque Romualdi diſciplina aliquandiù uſus, cum benedictione, ad Vallem Umbroſam dimiſſus eſt.

IV. Quod autem Didacus Franchus, et cum eo nonnulli ex Vallumbroſanis Scriptoribus, negocium Uberti Abbatis, et Athonis Epiſcopi ad annum 1007. referant [et conſequenter Joannis converſionem quadriennio ante., nempe anno 1003.] ejuſdemque Joannis Gualberti ad Camaldulenſem Eremum adventũ anno 1008. ſtatuant, et in Aquæbellæ, ſeu Vallisumbroſæ Eremum ingreſſum circa annum 1010. Id omninò

ninò commentitium eſt, æquè ac fictitius ille neſcio quis Atho Primus, ante illum, qui ab anno 1032. Florentinam Cathedram tenuit, arbitrariè poſitus, ad ejuſmodi hypotheſim tuendam, majoremque vetuſtatem ſuæ Familiæ initijs fruſtrà conciliandam: Nam is alter Atho, qui anno 1007. Eccleſiæ Florentinæ præſideret, aliunde prorſus ignotus eſt, atque nullis monumentis celebratur, ſed attentis ſequentibus momentis omninò expungendus eſſe convincitur; totumque illud Chronologicum Syſtema vel ex eo refellitur, quòd annis prædictis 1003. et 1007. ne quidem ullũ Monachorum Collegium, nec Abbas ullus apud S. Miniatis Eccleſiam reſidebat, ſed anno dumtaxat 1013. cura Lamberti Florentini Epiſcopi reſtaurata fuit Venerabilis illa Baſilica, et Monachi, à quibus pridem deſerta fuerat, illuc revocati.

V. Paginam reſtaurationis dictæ Eccleſię, et inſtitutionis Monaſterij S. Miniatis refert Doctiſſimus Ughellus pag. 62. *In nomine Domini Amen. Anno ab Incarnatione ejus tertiodecimo poſt mille, Imperiique Henrici Romanorum Auguſti XII. quinto Kal. Maij, Indictione XI. Dum ego Ildebrandus, nulla meritorum prærogativa ſanctę Florentinę Eccleſiæ Antiſtes, Oratoria noſtræ Sedis propria circuirem, atque quæ neglecta invenirem, meliorare ſatagerem, inveni Eccleſiam non longè ab Urbe ſitam in honorem S. Miniatis Martyris dedicatam, antiquituſque vocabulo Monaſterij inſignitam, quam quia nimia vetuſtate neglectam, atque penè deſtructam inveni, qualiter renovare potuiſſem, anxiè cogitare cæpi. Hæc autem ad agenda ideò maximè deſiderio ardebam,*

bam, quia venerabile corpus dicti Martyris ibi repoſitum audieram. Quapropter meum ſeniorem ſcilicet Imperatorem adire ſtudui, quatenus illius conſilio, juvamineque animatus, perficere valerem quod deſideravi. Qui meo deſiderio, divina inſpirante clementia, non modicè congaudens, MONASTERIUM in prenominata Eccleſia, ſicut antiquitus fuerat, me CONSTITUERE admonuit, ſeque mihi favere promiſit &c. Hęc Ildebrandus, qui *non contentus* (verba ſunt Ughelli pag. 64.) *Miniatenſe templum, cenobiumque conſtruxiſſe, magnam etiam eidem dotem cenſuſque addixit, ut ſarto tecto, conſervando templo ſatis forent, eiſdemque Monachi, qui D. Benedicti Regulam profitebantur* [non determinatè Cluniacenſes, ut alij Scriptores paulò confidentiùs aſſeruere] *alerentur*. Tum aliam donationis paginam anno 1024. eidem Monaſterio conceſſam ſubdit, ubi ſe Ildebrandus Monaſterij ejuſdem Fundatorem nominat, et Monaſtici ejus Ordinis Confirmatorem.

VI. Idque multò luculentiùs inſuper liquet ex alio privilegio, quod ipſimet S. Miniatis Monaſterio largitus eſt Lambertus Ildebrandi ſucceſſor anno 1028. et incipit *Opportunum valde eſt &c.* apud Ughellum pag. 68. ubi præfatus Præſul aſſerit, quod S. Miniatis, et Sociorum Martyrum locus, licet omni honore dignus, *Uſque tamen ad noſtri Prædeceſſoris felicis memoriæ Ildebrandi tempora INCULTUS jacuit, et INORDINATUS permanſit. Prælibatus igitur Antiſtes MONASTERIUM IBI FIERI decrevit, ORDINATISQUE in eodem loco FRATRIBUS, et ABBATE ibi PRÆPOSITO, vita neceſſaria, in quantùm valuit, decenter miniſtrare curavit &c.*

ubi

ubi patet, Monaſterium, ante Ildebrandum, cum Monachis, et Abbate apud S. Miniatem non extitiſſe, licèt olim locus ille à Monachis incoleretur, antequàm ſcilicet in eas ruinas Eccleſia S. Martyris collapſa eſſet, quas Ildebrandus ſuo tempore ibidem ſe reperiſſe conqueſtus eſt; ideòque nec ante annum 1014. contingere potuit in dicto Monaſterio S. Joannis Gualberti Converſio, ſed fortè multo ſeriùs, et circa annum 1030. ut Baronio placet, qui ad annum 1051. teſtatur ante decennium dumtaxat clarere cæpiſſe Gualberti Sanctitatem, tantum abeſt, ut ad 1003. cum Francho, et Simio ſtatui debeat.

VII. Sed et ipſe Atho hanc veritatem fatetur, ſuæque ſedis tempus deſignat in paginis, quibus anno 1036. et 1037. idem S. Miniatis Monaſterium ditavit, in priori apud Ughellum pag. 75. dicens de pręfato Monaſterio, quòd *Ildebrandi Epiſcopi labore et ſtudio ad Cænobij uſum ſublimatus eſt locus ille*; in poſteriori verò *Monaſterium S. Miniatis Martyris à Prædeceſſoribus ſuis ordinatum, et exſtructum* vocat, additque: *Quamvis enim præcipuorum Martyrum locus extitiſſet ſacris meritis eximius, et Miraculorum laude conſpicuus, tamen uſque ad tempora Ildebrandi fel. mem. Epiſcopi, cui ego tertius ſucceſſor in Pontificali Cathedra exiſto, non ut decebat tales, tantoſque Martyres, ordinationis laude pollebat. Prælibatus igitur Antiſtes MONASTERIUM IBI FACIENDUM decrevit, ORDINATISQUE in eodem loco FRATRIBUS SUB ABBATIS CUSTODIA, ad laudem Dei, et Sanctorum Martyrum ibi quieſcentium, vitę neceſſaria, prout valuit,* decen-

decenter adhibuit. Qui, quouſque vixit, prædijs, pluribuſque muneribus PAUPEREM, ET SURGENTEM LOCUM ampliavit. Quare etiamſi alius Atho ſub annum 1007. floruiſſe concederetur, qualem Auctores hi ſibi imaginantur, non tamen ille ipſe eſſe poſſet, qui ſimoniaci pacti cum Uberto S. Miniatis Abbate ab Joanne Gualberto notatus eſt, antequàm Camaldulum ſe conferret, ſed hic ipſe, qui *Tertium ſe Succeſſorem* nominat *Ildebrandi*, à quo Cœnobium illud reſtitutum fuerat, pridem derelictum, ac Monachis deſtitutum, adeòque ille ipſe Atho, qui anno 1032. Florentinam Cathedram aſcendit.

VIII. Cæterùm omnino falſum eſt, ullum prædicto anno 1007. Epiſcopum Athonem Florentinis pręfuiſſe, tunc enim verò aut ſuperſtes erat Guido, qui S. Podio, ex Ughello, anno 1002. ſucceſſerat, aut ipſe jam ſedebat Ildebrandus, cujus memoriam haberi anno 1008. idem Epiſcoporũ Italiæ Chroniſta Ughellus teſtatur pag.60. Qui verò Anonymus Guidoni, et Ildebrando interponitur num. 18. inter Præſules Florentinos à prȩlaudato Scriptore recenſitos, neque ſine fundamento debet *Athonis* vocabulo nominari (præſertim cùm Atho, qui verè prȩfuit ab anno 1032. nuſpiam ſe nominis illius Secundum appellet) neque neceſſitate ulla Præſul ejuſmodi, nemini aliàs cognitus, inducitur; unicum enim fundamentum ab Ughello indicatum, ex quo nempe *Lambertus Epiſcopus Podiũ ſuum Quartum prædeceſſorem appellet, unde poſt Podium, vel Guidonem, alterum Epiſcopum ante Ildebrandum neceſſe ſit inter-*

interceſſiſſe : Hoc, inquam, fundamentum nullius eſſe videtur roboris; quemadmodùm enim Atho Epiſcopus in privilegio, de quo num. præcedenti actum eſt, vocat ſe *Tertium Ildebrandi ſucceſſorem*, licèt unus dumtaxat Lambertus inter utrumque ſederit, quia videlicet Atho erat tertius ab Ildebrando, non quidem illum excludendo, ſed includendo tamquam numerationis principium: ita et Lambertus in privilegio anni 1028. dum ait *Tempore Podonis quarti Prædeceſſoris noſtri*, non innuit pluſquàm duos Præſules Guidonem, et Ildebrandum inter ſe, et Podium ſediſſe, nam quartus cùm ſit Lambertus à Podio, poterat hunc Quartum prædeceſſorem dicere; ut cùm ſit tertius Atho ab Ildebrando, potuit ſe huius Tertium ſucceſſorem appellare, nec enim magis abſonum eſt, ſi ſe Lambertus cum Prædeceſſoribus computet, quàm ſi ab Athone Ildebrandus ipſe cum ejus Succeſſoribus numeretur.

IX. Denique cum ſolo Athone illo, qui ab anno 1032. floruit, vivebat Ubertus Simoniacus Abbas, cui anno 1044. Athone ſedente, privilegium quoddam largitus eſt Benedictus IX. Papa apud Ughellum pag. 82. cujus initium eſt: *Dilecto filio Oberto Venerabili Abbati Monaſterij S. Miniatis Florentini, ſuiſque Succeſſoribus, perpetuam in Domino Salutem. Valde bonum videtur &c.* Itaque non modò Epiſcopi Athonis, ſed Abbatis etiam Uberti tempus conſpirat, ut hanc Joannis Gualberti ad Camaldulenſem Eremum profectionem poſt annum 1027. imò circa 1036. factam putemus, et conſequenter Joannis ejuſdem converſionem circa

annum 1030. ſub Leone Abbate Monaſterij S. Miniatis, qui paginæ Lamberti Epiſcopi, anno 1025. in favorem ejus Cænobij conceſſæ ſubſcribit apud Ughellum pag. 67. quique in pagina ejuſdem Lamberti anni 1028. *Leopardus ejuſdem S. Miniatis Abbas* appellatur, poſt cujus obitum circa annum 1035. ipſe Joannes Gualbertus dicti Cænobij Abbas electus eſt, at cùm præ humilitate munus hoc ſuſcipere detrectaſſet, Ubertus, Epiſcopi Athonis favore per pecuniam impetrato, regimen illius Abbatiæ adeptus eſt, Joannes autē, nefaria conventione cognita, utriuſque conſortium ſibi fugiendum ratus, Camaldulum venire diſpoſuit.

X. Idem confirmat vetuſtiſſima pagina donationis, quam die 3. Julij anno 1039. Venerabilis Itta Monaſterij S. Hilarij Abbatiſſa largita eſt Joanni Gualberto, ejuſque Diſcipulis, quos paulò ante exceperat in Eremo Aquæbellæ, ſeu Vallisumbroſæ, ad jus, et proprietatem prædicti ſui Monaſterij pertinente. Incipit hæc pagina: *In nomine Sanctæ, et Individuæ Trinitatis. Quamvis ſacer divinitatis cultus exigat &c.* Et per extenſum adducitur, tum ab Aſcanio Tamburino de Jure Abb. tom. 2. diſp. 24. qu. 5. num. 20 tum ab Ughello tom. 2. Italiæ Sacræ in Epiſcopis Feſulanis pag. 299. nobis autem ſufficiet clauſulas noſtro propoſito congruentes inde excerpere, cujuſmodi hæc ſunt: *Quoſdam Viros de S. Miniatis Monaſterio, quos vobis benè notos eſſe credimus, in Eremo, quæ Vallisumbroſa vocatur, ſicut vos ſcitis, ſuſcepimus, in loco, qui dicitur Aquabella, in proprietatem ſcilicet noſtri Monaſterii quidem in bonore Sancti*

Hila-

Hilarij ſito Alphiano, qui meliorandæ vitæ gratia Cænobium, quod multa populoſitate frequentabatur, relinquentes, in loco ſolitario vitam ſanctam actitare maluerunt ..... morati ſunt ſiquidem in prædicta Eremo abſque Eccleſia, ſed tamen cum vita ſancta, PER DIES ALIQVOT: *intereà exigentibus cauſis quàm maximis, voluntate Dei contigit, ut Divus Conradus Imperator Auguſtus, cum ſua Uxore Domina Ghiſila Diva Auguſta, et filio ſuo Domino Henrico Rege glorioſiſſimo, et Conjuge ſua, Florentiam deveniret: unde factum eſt, ut fama, quæ jam populos repleverat, uſque ad ipſas aures perveniret Imperatoris, qui cùm omnis illorum converſationis ordinem dignatus eſſet diligenter inquirere, inter cætera nunciatum eſt, illos Eccleſiam non habere. Quod audiens intellexit ſibi à Deo reſervatum fore, in quo fratrum neceſſitati non minimæ, ad divinum honorem, ſubvenire debuiſſet; ad quod dirigens Rodulphum Pavibronenſem, dignum Deo Præſulem, quia Feſulani,* JACOBO EXTINCTO, *nondum habebant conſecratum Præſulem, in honorem S. Mariæ, et Michaelis Archangeli, et Bartholomæi, et Thomæ Apoſtolorum, et S. Stephani Pontificis, et Benedicti Abbatis, et Nicolai Venerabilis Confeſſoris, conſecrare ibi Oratorium fecit. Quod cernens ego Itta S. Hilarij Abbatiſſa &c. Data anno Dominicæ Incarnationis trigeſimo nono poſt mille, et Imperij Domini Conradi Imperatoris Auguſti XIII. V. Nonas Julij Indictione VII.*

XI. Hæc Oratorij conſecratio, per Epiſcopum Paderbornenſem Rodulphum, Conradi Cæſaris juſſu facta, utique anno 1037. contingere debuit, hoc enim anno Conradus II. ad compeſcendas turbas ab Heriberto Mediolanenſi Archiepiſcopo excitatas, in Italiam

 venit

venit; de hoc enim adventu Conradi, non de primo, qui anno 1026. contigit, loqui Ittam patet, tum ex circumſtantia *Feſulani Antiſtitis Jacobi tunc extincti*, qui poſt annum 1032. certiſſimè fatis ceſſit, nam anno 1032. Canonicos ſuos ad communem regularem vitã reduxit, ut patet ex pagina, quam recitat Ughellus pag. 296. tum etiam liquet ex circumſtantiis Uxoris Ghiſilæ, et Filij Henrici Regis, et ejus Coniugis, quã anno dumtaxat 1035. ſibi copulaverat; Atqui ante hanc Oratorij conſecrationem non plures anni effluxerant, ex quo Joannes Gualbertus, cum ſocio ſuo è Camaldulenſi Eremo diſcedens, Vallemumbroſam ingreſſus fuerat, ſeque Paulo, et Gunthelino S. Romualdi Diſcipulis apud Aquambellam ſolitariè viventibus (ut diximus Diſſert. I. cap. 4. num. 18.) adjungens, alios ex Monaſterio S. Miniatis, exemplo ſuo, in Sacrum illum receſſum confugientes Monachos traxerat; ſiquidem Itta illos ibi *In prædicta Eremo abſque Eccleſia per DIES ALIQUOT*, uſque ad illud tempus commoratos notat; ergo oportuit, ut longè poſt annum 1027. nec multò citius anno 1036. Joannes Gualbertus Romualdum in Eremo Camaldulenſi convenerit, indeque circa hujus ipſius anni finem, vel ſequentis 1037. initium, ad Vallemumbroſam perrexerit, ſi poſtquàm *per dies aliquot* ſine Eccleſia eo loci manſit, nuntiatum eſt Imperatori, ipſo anno 1037. Florentiæ degenti, Monachos ejus ſubſidio indigere ad Eccleſiæ conſtructionem, qui Rodulphum Pavibronenſem Epiſcopum ad ejus conſecrationem direxit, *Quoniam Feſulani, Jacobo*

cobo extincto, nondum habebant conſecratum Præſulem, cui tale munus diœceſano jure incubuiſſet.

XII. Fruſtra verò nonnulli Ordinis hujus Vallumbroſani Scriptores, poſt Didacum Franchum Hiſt. S. Jo. Gualb. lib. 5. duplicem conſecrationem Oratorij diſtinguunt, alteram anteriorem anno 1013. ſub Henrico I. Imperatore, alteram ſub Conrado II. unde, totius inſtrumenti Ittæ ſenſu corrupto, et Henricum Conrado ſubſtituunt, et pro Giſela ejus Uxore Chunegundem legunt, et pro Rodulpho Pavibronenſi Epiſcopo ad conſecrationem miſſo, Menvercum ejus Anteceſſorem ſubrogant, tam nullo penitus fundamento, quàm caſſo prorſus labore; Franchus enim mutila citat in margine verba Ittæ Abbatiſſę, ſubtracto Rodulphi nomine, hoc modo: *Imperator dirigens Pavibronenſem dignum Deo Præſulē*, citatque inſtrumentū Ittę Abbatiſſę de anno 1039. quod certè *Rodulphum* exprimit, eumque à *Conrado* miſſum, non ab *Henrico* fatetur, idque poſt Jacobi Feſulani Epiſcopi mortem, adeòque anno 1037. non 1013. et quidem de prima, non de ſecunda conſecratione loquitur, nam ad illud uſque tempus *ſine Eccleſia* moratos Monachos docet: Qui verò rem hanc ad Henricum referunt, ut B. Theuzo in vita S. Joannis cap. 10. Xantes Peruſinus in eadem vita pag. 43. et S. Atho pariter in vita cap. 22. intelligendi non ſunt de Henrico I. ſed de II. qui Conradi ipſius filius erat, jamque Regis titulum obtinuerat, et Patrem in Italiam comitatus eſt (ut ex verbis Ittæ ſupra relatis liquet, omneſque Hiſtorici conſentiunt) unde

unde à S. Athone loco citato *Rex*, non *Imperator* dicitur, ejuſque Coniux non *Auguſta*, ſed *Regina* titulo diſtinguitur: erat verò hæc non Chunegundis, ſed Chuneildis Regis Daniæ Chnuti filia, quæ paulò poſt peſte conſumpta obijt. Nullus autem vetuſtiorum Authorum duplicem Oratorij conſecrationem diſtinxit, priorem ſub Henrico per Menvercum, poſteriorem ſub Conrado per Rodulphum, ambos Paderbornenſes Epiſcopos, ſed tantùm, præter primam Oratorij conſecrationem ab eo Epiſcopo, quem Imperator miſerat, (Rodulphum ſcilicet), factam, narrat S. Atho cap. 22. laudato, Oratorium ampliatum conſecratum rurſus poſt aliquot annos fuiſſe ab Huberto S. R. E. Cardinali S. Ruffinæ, aliam certè conſecrationem (ſiquæ ex hypotheſi Didaci Franchi præceſſiſſet) eodem loco non prætermiſſurus.

XIII. Denique ſententiam noſtram adversùs eundem Franchum obfirmat B. Theuzonis Eremitæ, qui apud Ædem S. Mariæ Florentiæ cum Sanctitatis opinione vivebat, notiſſima hiſtoria; ejus enim conſilio uſus eſt Joannes Gualbertus in proclamandis Abbate, et Epiſcopo Simoniacis, ſuaque fuga ex Monaſterio S. Miniatis, ne homini hæretico auſcultaret; non potuit autem ante annum 1020. Gualbertus Theuzonem in ejus cella convenire, ſiquidem hoc ipſo anno 1020. dumtaxat illam ingreſſus eſt Teuzo, quippe qui anno 1070. IV. Idus Januarij diem ſuum obijt poſt quinquaginta Eremiticæ vitæ annos in ejus monumento expreſſos his verbis:

Theu-

Theuzonis Monachi Venerabilis Oſſa quieſcunt
Præſenti in tumulo, ſanctâ qui vixit in Æde
Quinquaginta annis, Eremi velut Incola fervens.

Sed imò longè poſt dictum annum 1020. ad Theuzonem declinare debuit Joannes conſilij gratia; nam vel tunc Eremita ille *Senex*, et quidem *Magnus Senex* fuiſſe traditur (S. Atho in vita S. Joannis Gualb. cap. 10. *Cernens igitur Senex Viri fidem*, et infrà: *Ad magnū Senem reverſi*, et ſupra cap. 9. *Ad quemdam magnum Senem, Theuzonem nomine, venerunt*, et rurſus in titulo capitis 19. *Seniorem Theuzonem* appellat) quod non video cur Didacus Franchus *per anachroniſmum*, aut *ratione Conſilij, et Prudentię*, non verò proprie ob ætatem auſit interpretari lib. 3. pag. 48. cùm adeò aſſeveranter, et tam ſæpe talis dicatur. Non ergò initio ejus converſionis, ſed multò poſt, ab Joanne Gualberto conveniri debuit Theuzo, certè anno 1007. vel 1009. quem hi Scriptores huic colloquio tribuunt [cùm nondum Eremiticum pallium ſibi Theuzo circumdediſſet] fieri id omninò non potuit. Imò hinc iterum confutatur fictitia illa Oratorij Vallisumbroſæ anno 1013. ſub Henrico I. Imperatore facta conſecratio: nam ipſemet Franchus lib. 5. fatetur, Theuzonis Eremitæ conſilio, Imperatorem compulſum fuiſſe, ad ejuſmodi conſecrationem promovendam; quod et S. Atho loco cit. teſtatur, dicens: *In illis diebus Rex Henricus Florentiam venit, ibique dum à pluribus de ipſo* (Joanne Gualberto) *multa bona audiſſet, ſic ei audita placuerunt, ut hortatu ſæpedicti Theuzonis, Catholicum Epiſcopum illuc dirigeret*

ret

ret ad conſecrandum locum, et Regina etiam ei xenia grata mandaret. Quomodo ergo hæc conſecratio ad annum 1013. et ad Henricum I. referri poteſt, ſi tùm Theuzo, et per octo adhuc annos, nondum inclaruerat, nec Eremiticæ vitæ tyrocinium quidem poſuerat?

XIV. Omitto aliud argumentum ex ætate ipſius S. Joannis Gualberti petitum, de quo vetuſti omnes Auctores memoriæ prodiderunt, quod et in Breviarii lectionibus habetur, anno videlicet 1073. ætatis ſuæ 78. Deum adiiſſe; unde ſi anno 1003. (juxta Franchi hypotheſim) Joannes Monachus factus eſſet, *octennis* ſæculum reliquiſſet; quod perridiculum eſt, quia profectò armis idoneus, et militari diſciplina inſtructus, poſt veniam hoſti (ob reverentiam S. Crucis) indultam, ſe Religioni addixit. Fruſtrà verò Didacus Franchus in Præfatione ſuæ Hiſtoriæ contendit, Joannem Gualbertum 88. annis vixiſſe, ut recens unius ſęculi opinio invexit, et Chronici in Archiepiſcopatu Florentino ſervati fidem elevare nititur, ubi legitur, *Monaſterium S. Miniatis anno* 1013. *ſine Abbate, et ſine ullo Monachorum Collegio, velut derelictum jacuiſſe*: ex quo loco optimè intulerunt priſci Vallisumbroſę Scriptores, nonniſi longè poſt annum 1013. potuiſſe Joannem in dicto Monaſterio ad Monaſticen admitti; quod quidem aſſumptum non alia ratione Franchus refellit, quàm quia niſi Joannis Gualberti converſio annum 1013. præceſſiſſet, nequaquam poſt 4. annos potuiſſet is Romualdum Camalduli convenire, quia poſt dictum annum 1013. S. Romualdi memoria ubique ſileat;

ſileat; cùm ex adverſo inferre potius debuiſſet, Romualdum nedum poſt annũ 1013. ſed et poſt 1027. ſuperſtitem, et uſque ad 1037 (ut nos hìc contendimus) perveniſſe, ob ejus colloquium cum Joanne Gualberto, qui longè poſt annum 1013. Monaſticen induere debuit, quandoquidem deſertum erat præfato anno S Miniatis Cænobium, ut tum ex dicto Florentino Chronico patet, tum ex Ildebrandi Epiſcopi, qui Monaſterium illud reſtituit, authentica pagina, quam ſupra ex Ughello num. 5. recitavimus, aliiſque num. 6. et 7. jam expenſis demonſtratur.

CAPUT V.

Ex B. Caſimiro Poloniæ Rege S. Romualdus poſt annum 1027. ſuperſtes iterum oſtenditur.

SYNOPSIS.

Caſimirum fuiſſe illum Buſclavi filium, qui à Damiano narratur generoſum equum Romualdo donaſſe. Num. 1. *Confirmatur ex Matthæo Miechovita, et Martino Chromero.* 2. *Cur Caſimirus à Romualdo Cluniacum remiſſus?* 3. *Caſimiri in Romualdum, ejuſque Diſcipulos devotio.* 4. *Bollandi contra hanc ſententiam exceptiones.* 5. *Primæ inſtantiæ ſolutio* 6. *Ad ſecundam inſtantiam reſponſio.* 7.

Damianum non omnia per ordinem narrare. 8. *Conjectura Bollandi refellitur.* 9. *Aliorum etiam ſententia rejecta*. 10.

I. Aliud protrahendæ poſt annum 1027. Romualdi vitæ indicium nobis præbet B. Caſimiri Poloniæ Regis Hiſtoria. Is enim ex Gallia, quò ſe, ſtudiorum cauſa, receperat, in Italiam venit, et equum ſat generoſum Romualdo obtulit anno 1036. ac Monaſtico ſchemmate viciſſim à S. P. donatus, in Galliam ad Cluniacenſe Monaſterium remiſſus eſt. Rẽ obiter narrat Petrus Damiani in Vita S. Romualdi cap. 26. his verbis: *Habebat autem* (Romualdus) *equum ſatis egregium, quem ſibi Buſclavi Sclavonici Regis filius dederat, factus ab eo Monachus. Hunc Vir Sanctus, humilitatis ſtudio, permutavit, et lucroſo concambio, aſinum laudabilis negociator accepit: nimio quippe Redemptoris noſtri deſiderio, qui aſellæ tergo conſederat, Vir Venerabilis hoc ipſum animal libentiùs equitabat*. Porrò hunc ipſum Buſclavi Sclavonici Regis filium, non alium quàm Caſimirum fuiſſe, qui anno 1036. Italiam luſtravit, tum Ordinis noſtri traditione docemur, tum Hiſtoricorum Poloniæ conſenſu in ejuſmodi ſententia facilè confirmamur.

II. Matthęus enim Miechovita Hiſt. Polon. lib. 2. cap. 13. ſic ſcribit: *Caſimirus delegit tandem, matre conſentiente, monachari, et accedere perſonaliter ad Romualdũ, Vita Sanctitate pollentem in Italia; donato ei pulcro caballo, expoſuit quis eſſet, poſcens ab eodem ſuſceptionem, et profeſſionem regularem, quo annuente, rediјt Cluniacum*. Et Martinus Chromerus lib. 4. Hiſtor. Polon. cap. 1. *Profectus*

ctus eſt autem Caſimirus Lutetiam anno Chriſti 1036. (veriùs 1034. juxtà Sethum Calviſium, quo eodem anno die 15. aut, juxtà alios, 25. Martij Parentem Miecislaum amiſerat) *Voluntate matris, ut ingenium honeſtis diſciplinis excoleret: inde poſt aliquot annos, viſa obiter Italia, et Romualdo Abbate Sancto, Cluniaci in Benedictinorum Monachorum ſodalitatem ſe dedit, Monaſticam vitam profeſſus.* Omitto Stephanum Demalevicium, qui in Vita S. Bogumili Gneſgnenſis Archiepiſcopi, Eremitæ Camaldulenſis, rei ejuſdem meminit, alioſque regionis ejuſdem Scriptores.

III. Neque eſt quod miremur, Caſimiro, poſt acceptam à S. Romualdo Monaſticę Vitæ inaugurationem, indultum, permiſſum, aut imperatum à S. Patre fuiſse, ut rurſus in Gallias ſe reciperet, atque apud Cluniacenſes Monachos vota ſua Domino redderet; id enim fieri potuit, ſive ut ibi cæptum ſtudiorum curſum non intermitteret; ſive ut meliùs, ac tutiùs ibidem latens, ſubditorum ſe ubilibet inquirentium induſtriam eluderet; ſive quia delicatiorem ejus indolem mitius ſibi jugum Monaſticæ Diſciplinæ poſtulare cognoſceret; ſive quia Diſcipulorum aliorum frequentia Regio Tyroni locum inter Romualdi ipſius Cænobia tunc non relinqueret: quemadmodum legimus in Vita S. Romualdi cap. 65. Diſcipulos S. Patrem ſic allocutos: *Magiſter vides, quia nos, qui te ſequimur, tanti jam ſumus, quòd hic congruenter habitare non poſſumus; vade ergo, ſi places, et Imperatori magnum aliquod Monaſterium quære, et multitudinem te ſequentium ibi conſtitue.*

IV. Cæterùm Caſimiri Diſcipulatus ſub Romualdo, vel ex inſigni ipſius ſtudio in Beatiſſimos Martyres Polonię, Romualdi Diſcipulos, eorumque Aſſeclas, et Succeſſores relucet; nam Regno ſuo redditus, ex Summi Pontificis Benedicti IX. diſpenſatione, anno 1041. SS. Martyrum Joannis, Benedicti, Matthæi, Iſaac, et Chriſtini, ac Barnabæ Confeſſoris cellulas veneratus, totidem in earum fundamentis Eccleſias conſtruendas curavit, utque ſolitarium locum populorum frequentia venerabilem redderet, novam in circuitu Civitatem condidit, ex nomine ſuo, Caſimiriam nuncupatam; tres deinde alias Eccleſias in cellulis Sanctorum Andreæ Zoerardi, Benedicti Svirardi, et Juſti Ordinis noſtri Confeſſorum, apud Opatovicium ædificari juſſit, alijſque regiæ Pietatis, ac Munificentiæ monimentis S. P. Romualdi, ejuſque in Poloniæ regno Diſcipulorum, et Aſſeclarum nomen ubique illuſtravit, ut ex Martino Baronio narrat Minius in S. Caſimiri vita, anno 1620. Venetijs edita.

V. Scio, ſententiam hanc Eruditiſſimo Bollando minùs arridere, putat enim Damianum, verbis ex ejus capite 26. ſupra num. 1. relatis, nullatenùs de Caſimiro eſſe intelligendum: idque duplici argumento: Primò enim is Monachus Busclavi, ſeu Boleslai filius à Damiano disertè appellatur, cùm Caſimirus hic Meſchonem, ſeu Miecislaum hujus nominis ſecundum, Patrem habuerit, qui Boleslai filius fuerat. Secundò quia Othonis III. tempore contigiſſe videntur quæ loco ſuprà citato à Damiano enunciantur, antequàm

ſcili-

ſcilicet vel Caſimirus ipſe naſci poſſet, nedum antequàm in Italiam veniret, ac Romualdinam Monaſticen ampleĉteretur; adeò non is fuit Buſclavi filius, qui D. Romualdo equum obtuliſſe à Damiano dicitur: certè eam ætatem anno 1041. cùm de Monaſterio educeretur, agere inventus eſt, ut ad Diaconatus gradum dumtaxat proveĉtus eſſet; tametſi nec deſint, qui annum 26. ętatis Caſimiro tùm tribuant, quod adhuc non ſufficit, ut ad Othonis III. tempora retrahi poſſit.

VI. Sed primam exceptionem elevat Juriſconſultorum obſervatio, quòd *Filij* appellatione etiam Nepotes, ac Pronepotes, et quilibet hinc deſcendentes continentur, ut *Patris* nomine Avus, ac Proavus comprehenduntur ex legibus 51. 201. 220. tituli Digeſtorum de Verborum ſignificatione: Itaque, ut Chriſtus Matthęi 1. dicitur *Filius David*, *Filius Abraham*, ita et Caſimirus poterat non Meſchonis, ſeu Miecislai dumtaxat, ſed et Boleslai Filius appellari, ideſt Nepos, ſeu Natus filij, qui et Parvus filius (Gallis *Petit Fils*) nuncupatur. Nec deſunt ſimilia apud eundem Petrum Damianum exempla in hac ipſa Romualdi Hiſtoria, ut cap. 38. ubi *Filium Guidonis Comitis* appellat eum, qui filius erat Pharulphi, qui Guidonis illius filius erat, ex pagina donationis Valliscaſtri, ubi legitur: *Ego Pharulphus Comes filius Guidi Comitis &c.* ut nihil dicam, quòd alij apud Bejerlinghium in verbis ex cap. 26. ſupra recitatis legunt: *Buſclavi Sclavorum Regis conſanguineus*, non *filius*; quomodò allata difficultas certè evaneſceret.

VII. Se-

VII. Secunda verò inſtantia tum demum alicujus eſſet momenti, ac rem planè conficeret, ſi conſtare poſſet, rerum geſtarum ordinem hìc, et alibi à Damiano exactè obſervatum eſſe; ſed cùm illa ipſa periodus, quam ſupra attulimus, de equo donato, ejuſque commutatione, tota quanta eſt extra ſuum locum poſita videatur, et longiori velut parentheſi ſenſum illius Capitis XXVI. interrumpat, nec quidpiam conducat ad ipſius Capitis argumentum, quod erat de Romualdi ægritudine apud Caſſinum, ejuſque reditu ad Pereum: imò cùm ad finem vitæ, ideſt cap. 62. Romualdus equum ferocem inſediſſe legatur, quem Dæmon, aſſumpta ſpecie canis, exterruit, et in furorem adegit, conijci poſſe videtur, hunc illum ipſum fuiſſe, quem à Caſimiro dono acceperat, et cum rudi jumento deinceps commutavit, ut manſuetiori vectore, ad exemplum Chriſti, uteretur.

VII. Neque mirum eſt, colligendis ex multiplici variorum Diſcipulorum relatione Romualdi geſtis intentum Damianum, haud ſcrupuloſiùs ordinem hiſtoriæ ſervare potuiſſe, et ejuſdem facti diverſas circumſtantias, diviſis, et longo intervallo diſcretis capitibus aliquando complexum eſſe, nam, ut præclarè Plinius lib. 4. Epiſt. 11. obſervat, *Rerum ſummam narrat fama, non ordinem*. Imò Damianus ipſe in Prologo Vitæ S. Romualdi expreſsè, et candidè profeſſus eſt, ſe *non hiſtoriam texere, ſed quoddam quaſi breve commonitorium facere*; Non itaque ſollicitus fuit de S. Viri actibus, præſertim minutioribus, adamuſſim ſuo loco, atque ex ordi-

ordine recenſendis, ſed exemplis ejus Sanctitatem manifeſtantibus utcunque colligẽdis incubuit. Quanquàm non dubitamus, in præcipuis ſaltem Viri Beatiſſimi geſtis exponendis naturalem ordinem plerumque ſervaſſe: certè id, absque neceſſitate, præſumendum non eſſe putamus, quod Scioli quidam paſſim aſſumunt, Damianum videlicet abſque ullo prorſus ordine cuncta miſcuiſſe, cùm *Vitæ ejus initium, curſum, et finem deſcribere*, et *Converſationis Ordinem ſe referre* Damianus ipſe laudato loco nihilominùs aſſeveret.

IX. Quod autem ſuſpicatur Bollandus, ex Boleslai filijs, aut Beſtpterum Hungaræ Uxoris filium, aut Boleslaum alium Meſchonis fratrem ex Connilde ſuſceptum, Monaſticen amplexum ſub Romualdo, atque hunc à Damiano indicari loco præcitato, in meris coniecturis poſitum eſt, quæ Ordinis noſtri, et Poloniæ Scriptorum Traditionem pro Caſimiro ſtantem non labefactant: animadvertendum autem Bollando fuerat, nullum Boleslaum Meſchonis fratrem reipſa fuiſſe; verba enim Ditmari lib. 4. Chronici, ab ipſo Bollando relata, quòd Connildis peperit Boleslao Regi *Duos filios, Meſchonem, et alium, quem dilecti Senioris ſui nomine vocavit*, non probant, filium hunc natu minorem, *Boleslaum* vocatum; ſed *Drobemirum*; Dilectus enim Connildis *Senior* ejus Patrem, non Maritum ſignificat, cùm paulò anteà Ditmarus idem dixiſſet, *Connildem editam à Venerabili SENIORE DROBEMIRO*.

X. Aliorum autem ſententiæ, quæ factum à Damiano

miano narratum, vel ad neſcioquem *Buſclavinum*, patronymica, ut arbitror, inflexione confictum, eoquòd *Buſclavi filius* Monachus ille appelletur, vel ad *Briſcam*, Croatiæ, et Bulgariæ Regis filium, vel ad *Principem Ruthenorum*, vel ad *S. Bonifacium* Ruſſię Apoſtolum, Divi Romualdi Diſcipulum, et Martyrem Glorioſiſſimum referunt, ut nullo prorſus fundamento nixę, et Damiano repugnantes, adeò non prǫmiſſę de *Caſimiro* opinioni prǫjudicant, ut ejus potiùs ſoliditatem, ſuę levitatis comparatione, confirment, undè hìc prolixiùs expendi, cum Lectorum tędio, et diſpendio temporis, nequaquam merentur.

CAPUT. VI.

Ex Ædificatione Camaldulenſis Eremi Romualdus poſt annum 1027. vivus oſtenditur.

SYNOPSIS.

Camaldulenſem Eremum B. Rodulphus anno 1027. *ſub Theodaldo Aretino Epiſcopo ædificatam aſſerit*. Num. 1. *Alij etiam Auctores ante Fortunium ad Theodaldum rem referunt*. 2. *Baſilica Eremi ædificata ante cellas, et conſecrata ab eodem Epiſcopo, rogatu S. Romualdi* 3. *Poſt ędificatam Eremũ decenniò ſaltem ſuperſtes S. Pater oſtenditur*. 4.
Nullæ

Nulla ſcriptura Camaldulenſem Eremum concernentes anno 1027. antiquiores occurrunt in Archivio Camaldulenſi. 5. Theodaldus an ſimplex Presbiter, aut Coepiſcopus tempore fundationis Eremi? 6. Fortunij fundamentum parùm idoneum ad Helempertum, loco Theodaldi, ſubſtituendum. 7. Non erat, ob retinendum prætenſum fundationis annum 1012. expungendus Theodaldus, ſed è contrario. 8. Monumentis Camaldulenſibus à Fortunio adductis quid deferendum? 9. Eadem ſubleſtę fidei, et variorum errorum convincuntur. 10.

I. DEnique Romualdum adhuc poſt annũ 1027. in vivis degiſſe, ipſa Camaldulenſis Eremi ædificatio, ſi candidè, et ſincerè, velut ex ſuo fonte derivanda eſt, exponatur, apertè ſuadere videtur. Sciendum enim, prælaudatam Eremum, vulgò quidem anno 1012. excitatam ſupponi, ſed abſque fundamento, nam ipſo anno 1027. conſtructam fuiſſe tradit B. Rodulphus in Conſtitutionibus anni 1085. his verbis: *Notificamus vobis, fratres chariſſimi, quòd prædicta Camaldulenſis Eremus à S. Patre Romualdo Eremita, Sancto ſuggerente Spiritu, PRECATU REVERENDISSIMI THEODALDI ARETINI EPISCOPI, ædificata eſt, cum quadam Baſilica, quam prædictus Epiſcopus in honorem Sancti Salvatoris conſecravit, MILLESIMO VIGESIMO SEPTIMO ANNO ab ejuſdem Incarnatione.* Ita ille, nullo ciphrarum compendio indicatis numeris, ut cavillari quis poſſit ſymbola perversè intellecta, aut lapſu calami malè conſignata, ſed verbis omninò per extenſum expreſſis. I II. Ex-

II Ex quibus primò apertè liquet, non Helemperti Epiſcopi ſuffragio, qui anno 1012. ſedebat, Eremum ædificatam fuiſſe, ut omnium primus, nulla præeunte auctoritate, aſſerere auſus eſt Fortunius, ſed interventu, ac *Precatu Reverendiſſimi Theodaldi Aretini Epiſcopi*, Qui pluſquàm decennio poſt ſedere cępit; idque ipſiuſmet Theodaldi infra aſſerendo teſtimonio evidentiſſimè illuceſcit, et confirmant quotquot ante Fortuniū de Camaldulenſis Eremi ædificatione ſcripſerunt, apud quos numquam *Helempertus*, ſemper *Theodaldus* exprimitur. Ita Gherardus Generalis anno 1278. Conſtitutionum Vitæ Eremiticę lib. 1. cap. 27. de Romualdo inquit, quòd *Allocutus Præſulem Aretinum, nomine Theodaldum, ſuffragium hujus operis quæſitum impetravit*. Item S. Hieronymus Pragenſis Eremita in Serm. de S. Romuald. cap. 10. num. 61. [apud Bollandum die 7. Februarij edito] poſt narratum Malduli cum Romualdo colloquium, *Mox S. Pater*, inquit, *tanquam Divino illuſtratus oraculo, Eccleſiam miræ pulchritudinis in eodem loco ædificavit, quam Theodaldus Aretinus Epiſcopus in honore Salvatoris conſecravit: In circuitu autem ejuſdem Eccleſiæ quinque cellas conſtruxit, et totidem Eremitas ibidem collocavit*. Nec non B. Paulus Juſtinianus in Procemio Regulæ Eremiticæ, in eodem propoſito ſcribit. *His Vir Dei in divino oraculo confirmatus, oblatum à Maldulo Campum accepit, et Venerabilis Viri Theodaldi Aretini Epiſcopi, qui tunc temporis Etruriam ferè univerſam utraque regebat poteſtate, ſuffragio facillimè impetrato, ibidem Eccleſiam in honorem, et titulum S. Salvatoris noſtri, et quinque in circuitu*

tu ejus cellas conſtruxit, in quibus religioſos fratres ordinavit. &c.

III. Rurſus ex ijſdem B. Rodulphi verbis inferre ſecundò poſſumus, annum talis ædificationis Eremi Camaldulenſis ipſummet fuiſſe, qui à Chriſti Nativitate *Milleſimus viceſimus ſeptimus* decurrebat; vel ſaltem [ſi quis appoſitum annorum numerum non ad Eremi ædificationem pertinere, ſed ad Eccleſiæ conſecrationem dumtaxat referendum eſſe contendat] prælaudato anno 1027. Baſilicam Eremi à Theodaldo Epiſcopo conſecratam; quod cùm factum ſit preſente, atque inſtāte ipſo Romualdo (hoc enim ipſemet Theodaldus teſtatur in pagina ſuæ donationis, quam refert Fortunius part. 1. lib. 1. cap. 40. et nos Diſſert. III. cap. 3. num. 5. pag. 30. adduximus, quippe de Eremi Baſilica verba faciens, inquit: *Quam nos ROGATU præfati DOMNI ROMUALDI EREMITÆ conſecravimus ſub honore, et nomine Domini Noſtri Jeſu Chriſti Sancti Salvatoris*) Oportuit Romualdum hoc ipſo anno 1027. adhuc apud Camaldulum conſiſtere, et circa ejus ædificationem laborare, nam à Baſilica ædificium cæpiſſe, et poſt illam cellulas diſtinctas cum ſuis Oratorijs., et Diſcipulos inibi deputatos, Petro Dagnino Priore loci conſtituto, teſtis eſt idem, qui omnibus interfuit, Reverendiſſimus Epiſcopus Theodaldus in prælaudata ſuę donationis pagina dicens: *Hunc igitur locum Domnus Romualdus Pius Eremitarum Pater delegit, et providit aptiſſimum contemplativæ vitæ Deo ſervientium, conſtructaque inibi Baſilica Sancti Salvatoris, quinque Cellulas cum ſuis Taber-*

bernaculis ibidem diſtinxit, atque ab invicem ſeparavit. Sed et ſingulis cellulis ſingulos deputavit fratres Eremitas, qui ſęcularibus curis, et ſollicitudine remoti, ſoli divinę contemplationi inſiſtant; Quibus etiam Petrum Venerabilem Eremitam, tamquam fidelem Miniſtrum, et Præceptorem dedit. Quod et alij Scriptores præcedenti numero adducti confirmant, et ipſa B. Rodulphi narrationis ſeries liquidò oſtendit: nam poſt narratam prædictæ Baſilicæ S. Salvatoris conſecrationem à Theodaldo factam, ſic proſequitur: *Ædificatis ergo ibi quinque cellulis, religioſos fratres ordinavit in eis, ideſt Petrus, et Petrus, Benedictus, et Giſſus, et Theuzo; ex his unum, ideſt Dominum Petrum, qui dicebatur Dagninus, prudentem, et religioſum Virum præpoſuit alijs quatuor fratribus, et regulam jejunandi, atque ſilendi, et in cellis permanendi eis tribuit.* Sed et ipſemet Fortunius lib. 1. cap. 28. fatetur Baſilicam, de qua loquimur, ante Cellas conſtructam his verbis: *Ibi igitur ANTE OMNIA Baſilica venerabili ad honorem Dei, et D. N. I. C. Salvatoris Mundi conſtructa, EXINDE quinque in circuitu poſuit Cellas Eremiticas &c.*

IV. Si igitur anno ipſo 1027. circa Eremi Camaldulenſis ædificationem S. Pater ſollicitus legitur, ejuſque *rogatu*, atque interventu Baſilicam Eremi *Theodaldus* conſecrabat; quandoquidem Camaldulo diſcedens Romualdus in Sitriam profectus eſt (ex Petro Damiano in Vita cap. 49. *Poſtmodùm verò Romualdus, cùm Apenninum deſereret, Montem Sitriæ habitaturus aſcendit*) ubi *per ſeptennium* recluſus vixit (ex eodem cap. 52. *In Sitria denique Vir Venerabilis per ſeptem ferè annos incluſus*

man-

manſit) ac poſt multa alia loca, quę de more ſuo peragrans habitavit, Camaldulum reverſus (ſiquidem Joannem Gualbertum ibi Auditorem habuit, ut cap. 4. expendimus) tandem ad Monaſterium Vallis de Caſtro ſe recepit, ubi *Poſt ſex circiter menſes* Deum adiit, et *Solitariam vitam ſolitario fine concluſit* [ex Vita cap. 69.] utique colligere licebit, fermè decennio poſt annum 1027. ſuperſtitem S. Patrem fuiſſe: adeòque ad 1037. ejus obitum differendum, ut in ſententia, quam nunc expoſuimus, aſſeritur, atque ut alia pręmiſſa argumenta ſuadere videntur.

V. Confirmari etiam poſſet aſſerta Inſtitutio Sacræ Camaldulenſis Eremi, anno 1027. duntaxat facta, ex quò, licet in Archivio Camaldulenſi vetuſtiores ſcripturæ, Monaſterium S. Mariæ Prataglię concernentes, ſerventur, nulla tamen ſive in donationibus, ſive in emptionibus, venditionibus, locationibus, alijſve contractibus, ſive in privilegijs Epiſcopalibus, Cæſareis, Pontificijs memoria occurrit, dicto anno 1027. anterior: uti nec Helemperti Epiſcopi nomen (à quo primus omnium Fortunius fingit, Romualdum Eremi ædificandæ licentiam impetraſſe, idemque ex ipſius fide aſſerendi occaſionem Burallio, et Ughellio præbuit) uſpiam notatum invenitur, ſed ſolius Theodaldi ejus ſucceſſoris, qui teſtimonium ineluctabile in facto proprio reliquit in ſua pagina prælaudata anni 1027. et alia anni 1033. ab omnibus ſupra recenſitis Scriptoribus, alijſque paſſim, unanimi ſenſu, confirmatum.

VI. Neque prætendi poteſt, fundationis Camaldulenſis

lenſis tempore Theodaldum quidem interfuiſſe, non tamen ut Epiſcopum, ſed quaſi Presbiterum ſimplicem, qui cum alijs Aretinis Patritijs, viſendæ fabricæ gratia, Camaldulum venerit, D. Romualdo cum Diſcipulis de potentia Dęmonum diſſerenti, in deſcenſu Eremi, obviam factus, ut Fortunius lib. 1. cap. 32 et Minius lib. 2. Hiſt. Camal. MS. aſſeverant; Id, inquã, prætendi non poteſt, cùm expreſsè Rodulphus illum Epiſcopum vocet, eidemque Baſilicæ Eremi tunc ædificatæ conſecrationem (quam et ipſemet Theodaldus, Romualdi rogatu, à ſe factam fatetur) aſcribat, ſimplicis officio Presbiteri minimè convenientem: niſi ſaltem cum Ughello [quem cap. 3. num 6. citavimus] diceretur, Theodaldum Helemperti Coepiſcopum ex tunc fuiſſe, cujus rei alia graviora indicia deſiderarem, quæ nulla apud Buralliam Aretinorum Præſulum Chroniſtam occurrunt; undè ne ipſe quidem Fortunius huc ſe recipit, ſed conſecrationem Baſilicæ Eremi prorſus diſſimulans, de ſola conſecratione Templi Fontisboni à Theodaldo facta eodem libro cap. 39. verba facit, cujus etiam Rodulphus loco citato meminerat his verbis: *Tunc præfato Petro, quem Priorem conſtituerat* (Romualdus) *quandam Eccleſiam in prædicto Hoſpitio Fontebono conſtruere præcepit, quam ipſe Petrus poſtea, Domino adiuvante, devotè conſtruxit, et aſſumpto ſcripto Antiſtite* [Theodaldo] *conſecrare eam fecit.* Quod adnotare libuit, ne quis aut primam illam conſecrationem Baſilicæ Eremi, cum altera Templi in Hoſpitio conſtructi confundat, aut non præſente Romualdo (quemadmodùm

hæc altera Fontisboni) illam etiam priorem admini-ſtratam contendat, cùm de utraque idem Rodulphus diſtinctè loquatur, et illam interventu Romualdi, hanc ex mandato Romualdi, interventu dumtaxat Petri Dagnini, exhibitam fuiſſe teſtetur.

VII. Ceſſet itaque Fortunius in ſua Apologia, contra Lucam Eremitam ſcripta, eundem Lucam erroris redarguere, quòd *Theodaldum* ædificationi Sacræ Eremi Camaldulenſis interfuiſſe ſcripſerit, dum enim optima ratione ſe *Helempertum* reſtituiſſe contendit, nec tamen aliam in medium adducit, quàm quia *Sacræ Eremi inſtitutio* (verba ſunt Fortunij) *facta ſit anno* 1012. *Theodaldus verò, cùm ſcribat in pagina ſui primi privilegij Eremitis conceſſi: Datum anno Dominicæ Incarnationis MXXVII, anno verò Epiſcopatus D. Theodaldi V. Menſe Auguſto. Et anno MXXXIII. in ſecundo privilegiò, anno Pontificatus X. Quis non videat, quòd Theodaldus tempore ipſius fundationis non erat Epiſcopus, qui profectò poſt decem annos ad eam fuit promotus dignitatem? Igitur optima prorſus ratione in noſtris hiſtoriis locatus legitur Helempertus, quem anno ipſo* 1012. *ſedem S. Donati tenuiſſe, ex Cathalogo Pontificum Aretij collegimus.* Dum, inquam, non alia ratione ſubſtitutionem hanc Helemperti à ſe factam tuetur, ignotum (quod ajunt) per ignotius, et æquè incertum probare nititur, ſeque vel primorum Hiſtoriæ elementorum prorſus jejunum videtur oſtendere, noſque deſiderare cogit, ut quantum indolis attulit, et eloquentiæ ad hoc genus ſcribendi, tantum judicij, et diligentię contuliſſet.

VIII.

VIII. Nam, ſi ſuis momentis rem probè expendiſſet, potiùs inferre debuerat, ſacrę Eremi inſtitutionem longè poſt annum 1012. factam, ex quo Theodaldus Aretinam Cathedram ſeriùs obtinuerit, quàm ut negaret Theodaldum fundationis illius tempore Epiſcopum fuiſſe, ex quo hæc fundatio anno 1012. facta ſupponeretur; Siquidem certius eſt ex ipſo Theodaldo, et ex B. Rodulpho, Theodaldum Epiſcopum Eremi Camaldulenſis ædificationi interfuiſſe, imò ejus *precatu*, inquit Rodulphus, incenſum Romualdum ad illam ædificandam, ac viciſſim *Romualdi rogatu* (ut inquit Theodaldus) Eremi Baſilicam in honorem S. Salvatoris ab ipſomet Theodaldo conſecratam fuiſſe, idque anno 1027. quàm conſtare poſſit determinatio anni 1012. quo vulgò censènt hæc contigiſſe, abſque ullo idoneo documento Epocham hanc demonſtrante, quę et ipſa apud Auctores ſuos nutare videtur, quatenus alij apud Ractium in notis ad cap. 47. Vitæ S. Romualdi, ædificationem hanc Eremi Camaldulenſis ad annum 1008. retrahunt, et quidem non obſtante monumentorum Eremi, et Hiſtoriarum Fortunij auctoritate; Sic enim expreſſè habet: *Non oſtante, che le memorie d'eſſo Sacr' Eremo [ſi come ancora ſi dice nella Camaldoleſe Iſtoria] vogliano, ch'egli aveſſe principio l' anno mille dodici*. Quare ſi Theodaldi tempus cum præſuppoſito fundationis anno 1012. convenire non videbatur, non *Theodaldi* nomen in *Helemperti* fuerat arbitrariè mutandum, ſed vulgaris illa anni 1012. epocha evertenda, atque ejus loco annus 1027. qualem Rodulphus expreſſerat, retinendus.

IX. Sed

IX. Sedenim audire videor Fortunium, ut olim in eadem ſua Apologia contra Lucam Eremitam, ſic nũc contra me inſurgentem, et exprobrantem, quòd *Fortaſſe non legerim ea, quæ ex antiquis Eremi noſtræ monumentis à Patribus Vitæ S. Romualdi addita fuere, quæ impreſſa fuit ſub auſpiciis Leonis X. Pontificis Maximi anno* 1513. *propter obtenta anno ejus primo ampliſſima initæ novæ Congregationis noſtræ Privilegia; in quibus quidem monumentis hæc habentur verba: Anno verò Domini MXII. idem B. Pater Romualdus, cupiens locum idoneum Eremiticæ converſationis invenire, pervenit ad iſtum locum Camalduli &c.* Cui repono, me hæc quidem legiſſe, ut ipſe fecerat, ſed et expendiſſe, quod ipſe non fecit, nec Paulus Juſtinianus, nec ipſemet Lucas Eremita, aliique horum monumentorum auctoritate decepti. Ejuſmodi enim monumenta poſt quingentos annos à facti origine in lucem prodita, incerto authore, unde neſcimus excerpta, et quorum nulla eſt, ſive in Lapidibus, ſive in Codicibus, ſive in Scripturis ullis Eremi Camaldulenſis memoria, adeòut quantumvis diligenter inquirentibus, et me, et Sollertiſſimo Odoardo Maria Baroncino Eremita, aliiſque Eruditiſſimis Viris, nec vola, nec veſtigium illorum apparuerit [quemadmodùm nec apparuit ipſimet Fortunio, qui ad auctoritatem ipſorum vindicandum, locum, unde fuerint deſumpta, allegare non omiſiſſet] ejuſmodi, inquam, monumenta, an ſine examine amplectenda fuerant, expensa verò nùm præferenda videri poterant indubiæ, et incorruptę ipſiusmet Theodaldi, et B. Rodulphi Prioris, aliorumque

conſequentium monumentorum, quę adhuc extant, authoritati?

X. Quid, quòd nutat horum monumentorum, ipſorumque Editoris fides, ex quo auſus ſit etiam B. Rodulphi Conſtitutiones interpolare, atque earum ſenſũ corrumpere, textum à nobis ſuperiùs adductum num. 1. ſic legendum offerens, ut inſerto anno 1012. et ſubtracto Theodaldi nomine, cum præſcriptis monumentis conciliari poſſe videretur? ait enim. *Alibi in eiſdem B. Rodulphi Conſtitutionibus. Camaldulenſis Eremus à B. Patre Romualdo Eremita, Sancto ſuggerente Spiritu ædificata eſt anno Domini MXII. cum quadam Baſilica, quam Epiſcopus Aretinus in honore Sancti Salvatoris conſecravit MXXVII. anno ab ejuſdem Incarnatione* (quaſi nimirum totis quindecim annis, abſque Eccleſiæ divinis ritibus Sacræ ſubſidio, nocturnas, diurnaſque pſalmodias Eremitæ Camaldulenſes impleverint, cùm ejus ætatis moribus non conveniret, ut recens extructa Baſilica ſacris myſterijs deputaretur, antequàm munus conſecrationis accepiſſet ex Canone *Sicut* 11. et ſeqq. diſt. 1. de Conſecr.) At exemplar Conſtitutionum B. Rodulphi habet, ut ſincerè loco citato retulimus, *Camaldulenſis Eremus à S. P. Romualdo Eremita, ſancto ſuggerente ſpiritu, precatu Reverendiſſimi Theodaldi Aretini Epiſcopi ædificata eſt, cum quadam Baſilica, quam prædictus Epiſcopus in honorem Sancti Salvatoris conſecravit, milleſimo vigeſimoſeptimo anno ab ejuſdem Incarnatione*. Quæ variatio manifeſtam fraudem, et ſuppoſitionem etiam incertorum illorum monumentorum redarguit. Ut nihil dicam de fide his præ-

præclaris monumentis debita, ex quo, nedum Scalæ Viſionem, quæ Rodulphi, et Gherardi teſtimonio, ſoli Maldulo contigit, ut Diſſert. III. probabimus, uni Romualdo tribuunt; ſed ampliùs Romualdum ætatis annorum 17. anno 906. Converſum, adeòque anno 889. natum ſtatuunt, unde cùm anno 1027. mortuum aſſerant, ad annos 138. ejus ætatem extendunt: Quæ omnia manifeſtè commentitia ſunt, atque ipſius Damiani authoritati è diametro, ut dici ſolet, repugnant.

CAPUT VII.

Ab adverſis difficultatibus noſtra hypotheſis vindicatur.

SYNOPSIS.

Obiectio ex tempore B. Petri Urſeoli. 1. An longo tempore Romualdus in Eremo Marini conſtiterit? 2. Non XL. ſed XX. annis ibi conſtitiſſe, et Urſeolum anno 961. converſum dici poſſe. 3. Probatur ex anno, quo Candianus Dux, Urſeoli deceſſor, Joannam repudiavit. 4. Item ex ædiſicatione S. Georgij Majoris Venetiarum, et tempore, quo Romualdus Gallias incoluit. 5. Quàm incertus apud varios Hiſtoricos converſionis Urſeoli annus! 6. Valdradæ Sororis Hugonis Marchionis tempus noſtræ hypotheſi non

Digitized by Google

obſtare. 7. *Seriem Priorum Sacræ Eremi huic ſententiæ non opponi*. 8. *Gravior difficultas ex pagina Abbatiæ Feſulanæ*. 9. *Æquè opponitur communi ſententiæ*. 10. *Facillimè diſſolvitur*. 11. *Difficilior nodus ex Privilegio Theodaldi*. 12. *Probabiles ejus interpretationes*. 13. *Quæ confirmantur alijs ſimilibus exemplis*. 14. *Alia ejuſdem difficultatis ſolutio*. 15.

I. NUnc expendendæ ſunt difficultates, quæ hypotheſim cap. 3. p opoſitam ſuſpectam erroris reddere poſſunt; ac primò attendenda eſt Petri Urſeoli Converſio, ex qua fulcire ſuam de imminuenda Romualdi Ætate ſententiam conatur Bollandus in Cōmentario prævio Vitæ S. Romualdi §. 3. num. 18. his verbis: *Quid, quòd Petrum Urſeolum, qui quarto circiter à Romualdi Converſione anno Monachus factus eſt, omnes hiſtorici tradunt circiter annū CMLXXVII. vel CMLXXVIII. Ducis ſeſe munere abdicaſſe? Neque verò citiùs multò id potuit, cùm ejus Deceſſor Petrus Candianus Sororius extiterit Hugonis Magni Marchionis, qui adhuc anno MI. Othoni Imperatori contra Romani Populi tumultum præſidio fuit, eoque anno obijt*; Sed unde Bollando innotuit, Urſeolum quarto circiter poſt Romualdi converſionem anno Monachum factum? Hinc certè, quòd Damianus narret, Romualdum poſt tres annos in Claſſenſi Monaſterio exactos ad Marinum Eremitam divertiſſe, mox Converſionem Urſeoli referre incipiens, ſubiungat cap. 5. *Eodem verò tempore Petrus, cognomine Urſeolus, Dalmatici Ducatus gubernabat habenas*; Nam Bollandus ipſe in Notis

Notis ad hanc vitam cap. 2. litt. *a* de Marino agens ſic ſcribit : *Auguſtinus ait , quadraginta annis cum eo in Veneta ditione habitaſſe Romualdum , nempe ut CXX. vitæ annos reperiat ; At B. Petrus Damiani num. 9. ſcribit , eodem tempore* [*quo nempe ſub Marini diſciplina is Tyrocinium ponebat*] *Petrum Urſeolum Ducatus gubernaſſe habenas .*

II. Verùm et hoc rurſus non immeritò quæri poteſt, quid cogat Damiani verba de *Tyrocinij* , non de *Eremicolatus* tempore interpretari ? Eodem tempore, quo adhuc ſub Marino Romualdus ſolitariam vitam colebat,Damianus aſſerit contigiſſe Urſeoli Ducis exaltationem, ejuſdemque poſtmodùm è ſolio fugam ; at quanto tempore, brevi, an longo, Romualdus Marino auſcultaverit, non definit Damianus; Auguſtinus, qui hoc Bollandi argumentum præviderat, parte 2. lib. 1. cap. 7. *Scriptoris vitio* potiùs vertendum putat *quòd ex verbis Damiani Petrus Urſeolus converſus eſſe videatur primis annis, quibus S. Pater Romualdus Venetijs agebat*, quàm ut concedat cum Tyrone, et adhuc Juvenculo Eremita Urſeolum in Aquitaniam commigraſſe , quòdque Romualdo viceſimum quartum vitæ annum agenti Guarinus, et Marinus prelationem detulerint : *Cùm non ſit*, inquit, *veriſimile , ut tantus Princeps fugam cum Novitio Eremita inierit , quòdque Guarinus Abbas Monaſterium ſuum eidem tradiderit , abdicans ſe principatu , factus unà cum Duce, et cum B. Marino illi devotus Diſcipulus* . Silvanus autem Ractius ita Damiani verba interpretatur: *Eodem tempore , ideſt circa tempus Romualdini Eremicolatus ſub Marino* ; Sive id enim diuturnum fuerit , ſive anguſtis

guſtis limitibus coarctatum, ſufficit, ut tamdiù B. Marini diſciplinam S. Pater coluerit, quouſque Petri Urſeoli in Venetorum Principem electio, ejuſque Converſionis contigerit opportunitas.

III. Nec tamen quadraginta annis conſtitiſſe Romualdum in Eremo B. Marini neceſſe eſt, ut paſsim aſſerunt, ſed viginti dumtaxat, ſi propoſitam Romualdinę Ætatis hypotheſi ſequamur; nempe anno 937. vitę ſęculari valedicens Romualdus, exacto in Claſſe triennio, potuit ad Marinum accedere anno 941. ubi nedum ſe rigidioribus ſolitarię vitæ exercitijs informãdum prębuit, et mira patientię, atque humilitatis exempla dedit, quę cap. 4. narrantur, ſed et quinquennali ſpatio Diaboli ſuper ejus pedes, et crura incumbentis pondus ſuſtinuit, ejuſque varijs tentationum immiſſionibus virili conſtantia reſtitit, quę licet cap. 7. à Damiano narrentur, quaſi poſt profectionem in Gallias acciderint, tamen huc revocandas eſſe patet, dum illas *Initio Converſionis* Viro Sanctiſsimo negocium faceſſiſſe expreſsè teſtatur. Hinc anno 961. Ducis Urſeoli Converſio poteſt ſine abſurdo conſignari, imò variis monumentis id planè evincitur: ut videas Romualdi Converſionem ſub Honeſto neque ad annum 977. differri poſſe, ut mallet Bollandus, neque ad ipſum, quem primum Honeſti Cathedræ vulgò aſsignant, annum 971. quando jam Romualdus decennium in Gallijs evidenter exegerat.

IV. Monumenta, id quod aſſumpſi probantia, ſtatim profero; Nam Candianus Petri Urſeoli Deceſ-
ſor

ſor Venetos in ſuſpicionem, ac furorem ſibi fatalem adduxit, ex Longobardia, et Thuſcia collectis militũ copijs, ut ſe ab æmulatione Leviri tueretur, quem repudiata Joanna Uxore, ut Valdradam Ugonis Marchionis uxorem ſibi copularet, offenderat; atqui eadem Joanna ſic repudiata Monaſticum habitum in Monaſterio S. Zachariæ aſſumpſiſſe legitur anno 959. apud Arnoldum Vvion ligni Vitæ lib. 4. cap. 35. ex Sanſovino; Quis autem putet ad quindecim, vel viginti fermè annos dilatam Candiani perſecutionem, cujus tantò ante ſemina poſuerat, et non potius eodẽ anno 959. illius tyrannidem à populo repreſſam? Hoc igitur anno Candianus occiſus eſt, Petro Urſeolo ſubrogato, qui poſt biennium, ex omnium ſententia, adeòque præcitato anno 961. ſe Principatu abdicavit, et cum Romualdo, Marino, Guarino, Joanne Gradenico, ac Joanne Mauroceno, in Gallias fugam arripuit, Monaſtico ſchemmate initiatus.

V. Rurſus ex vetuſtiſſimis monumentis Archivij S. Georgij Majoris Venetiarum patet, Tribunum Memum Venetorum Ducem anno 982. Eccleſiam S. Georgij, cum ei cohęrentibus aquis, regia planè munificentia Joanni Mauroceno è Gallijs revertenti donaſse, ac nobile Monaſterium inibi conſtruxiſſe, cujus primum Abbatem eundem Joannem deſignavit, ubi et ipſe poſtmodùm Tribunus Memus anno 991. ejuſdẽque duo Succeſſores Sebaſtianus Ziani anno 1178. et Petrus Sebaſtiani Ziani filius anno 1229. Monaſticum habitum induerunt. Refert Arnoldus Vvion ligni vitæ lib.

lib. 4. cap. 34. Ducale Privilegium prælaudati Tribuni Memi, datum anno 982. die 20. Decembris, ejuſdem Ducis, multorumque Nobilium manu ſubſcriptum; ergo hoc ipſo anno 982. contingere debuit Romualdi ex Galliis in Italiam reditus, ejuſque familiæ diſperſio, Petro nimirum Urſeolo in Cœlum abeunte (nam ut narrat Damianus cap. 12. tunc *Petrus Dux extremum jam diem feliciter clauſerat*) Marino, Gradenico, et Guarino cum Olibano Comite Caſſinum divertentibus, prædictoque Joanne Mauroceno Venetias redeunte, ubi S. Georgij Majoris ædificando Monaſterio incubuit; atqui viginti ſaltem annos in Gallia Romualdus expenderat, ut cap. 2. num. 9. oſtendimus, ergo neceſſe eſt, eò convolaverit cum Urſeolo anno 962, imò potiùs anno 961. (nam annus 982. quo redijt, vix uno, aut altero menſe fuerat inchoatus, Urſeolo in Cœlum abeunte die 11. Januarij) unde, cùm ſe tunc abdicaverit Urſeolus Dominio, quod per biennium adminiſtraverat, oportet ut in Venetorum Ducem inauguratus ſit anno 959. quem ſupra aliunde collegimus.

VI. Neque eſt quod jactet Bollandus, *Omnes Hiſtoricos tradere, circiter annum 977. vel 978. Urſeolum Ducis ſe munere abdicaſſe:* tantum Hiſtoricorum conſenſum me fruſtra fateor quæſijſſe, ſed anno 976. juxta Arnoldum Vvion, 975. juxta Auguſtinum Fortuniũ, 974 vel 973. juxta Gordonum, 970. juxtà Joſephum à Roſa, 958. juxta noſtrum Hieronymum Bardi fuiſſe Urſeolum inauguratum invenio, ejuſque nobilem

fugam

fugam quolibet ex annis inter 980. et 960. poſitis juxtà varios Auctores conſequenter conſignatam deprehendo; ut nihil planè certum, exploratumque haberi queat, ſi Hiſtoricos conſulamus, quorum etiam alij Petrum Urſeolum XXIII. Ducem Venetiarum ſcribunt, alij XVII. dumtaxat, plerique anno 997. è vivis exceſſiſſe tradunt; quod ſi foret, falſa eſſent omnia, quæ Romualdus poſt Urſeoli mortem è Gallijs redux ante hunc annum patraſſe legitur: nimirum Claſſenſis Abbatiæ dimiſſio coram Imperatore, Tiburtinam Urbem anno 996. obſidente, juxtà Baronium; iniuncta Othoni ob interfectum Creſcentium Pœnitentia; Tammi, Bonifacij, aliorumque converſio; Claſſenſis ejuſdem Abbatiæ ſuſceptio anno 995. quæ ſibi ante quinquennium revelata fuerat, nimirum anno 990. dum apud Catriam habitanti S. Apollinaris apparuit; ut nihil dicam de habitatione apud Balneum, apud Pereum, in Origario, ad S. Martini in ſilva, ad Pontem Petri: uno verbo, conciderent quæcunque à cap. 13. ad caput 26. Vitæ S. Romualdi à Petro Damiani narrantur.

VII. Quod verò Bollandus addit, non multò citiùs anno 978. potuiſſe Urſeolum ſæculo, et Principatui nuncium remittere: *Cùm ejus deceſſor Petrus Candianus Sororius extiterit Hugonis Magni Marchionis, qui adhuc anno* 1001. *Othoni Imperatori contra Romani Populi tumultum præſidio fuit, eoque anno obijt*; Hoc certè leviorem ſcrupulum ingerit, cùm clarum ſit, potuiſſe Valdradam Hugonis Sororem anno 959. nubilem eſſe, licet Hugo poſt 42. annos obierit; Tum quia non uſque adeò li-

quet, ex facto, quod narrat Petrus Damiani lib. 7. Ep. 12. (de litteris ab illo epiſcopo in ſtipite ardente viſis, dum Marchio ægrotaret, exprimentibus hanc ſententiam, *Hugo Marchio quinquaginta annis vixit*) illum ſolos 50. annos reipſa vixiſſe, nam falſum omen hinc ab aſtantibus acceptum narrat Damianus, et expectationi eventum non reſpondiſſe; unde potuit Hugo Sororem natu minorem habere, quæ anno prædicto 959. nubilis eſſet, præſertim cùm anno 961. inveniatur Hugonis Marchionis, velut extra pupillarem ætatem poſiti, et negociorum agendorum capacis memoria in Privilegio Abbatiæ S. Mariæ de Vangaticia, quod ex Erudito, atque Optimo Sene D. Theophilo Machetti Monacho noſtro, refert Coſmus de Arena parte 1. de Ducibus et Marchionibus vetuſtis Etruriæ pag. 154. quamquàm hìc Auctor ad alium neſcio quem Hugonem Etruriæ Marchionem, aliunde prorſus ignotum, id diploma referre malit, qua in re Machettus noſter ſe illi non planè aſſentiri poſſe fatetur. Tum etiam alia ratione conſtat, potuiſſe Valdradam Hugonis ſororem anno dicto 959. nubilem eſſe, etiam ſi Hugo annos dumtaxat 50. vixiſſet, adeòque anno 951. natus eſſet, quia nihil ab hiſtoria repugnat, quo minùs Valdrada major natu eſſet Germano ſuo Hugone, et ex Guillæ conjugio ab Uberto Marchione ſuſcepta antequàm in Pannoniam exul proficiſceretur ob Othonem I. Imperatorem ſibi, qua de cauſa ignoramus, iratum, quo tempore natus eſt Hugo juxta Petrum Damianum Ep. 12. lib. 7. cit. Cùm enim ante annum 941. ex contra-

ctibus

ctibus citatis à D. Placido Puccinello in monumentis Abbatiæ Florentinæ pag. 193. et Franciſco Maria Florentinio in Mathilde lib. 3. ac Coſimo de Arena loco cit. pag. 148. jam eſſet Etruriæ Marchio Ubertus, quidni jam tum Conjugem haberet Guillam, et ex ea prolem, ſcilicet Valdradam, ſuſcipere potuiſſet? Nihil ergo eſt in Petri Urſeoli hiſtoria, quod cum noſtra hypotheſi non facilè concilietur.

VIII. Opponi fortè ſecundo loco poſſet Series Priorum ſacræ Eremi, quam Fortunius ſupra citatus cap. 1. num. 6. ſententiæ Carrarij objiciebat; verùm obvia, et clariſſima reſponſio hinc petenda, quòd Petrus Dagninus, qui Primus omnium à S. P. Romualdo Camaldulenſi ſolitudini prǽfectus eſt, anno dumtaxat 1051. mortuus legitur, ergo locum habet ſuæ ſedis, etiamſi poſt S. Romualdum, cujus mors anno 1027. juxta noſtram ſententiam, incidiſſet, Camaldulenſium regimen accepiſſe ſupponeretur: præſertim cùm ejus memoria nulla occurrat in Archivi Camaldulenſis monumentis vetuſtior anno 1038. quo prædia quædam emit Petrus Dagninus Prior ab Amico quondam Grimaldi, Menſe Maijo, et alia ab Hugone quondam Theuzi, menſe Junio; quid ergo prohibet, ne ad annum 1037. Romualdi obitum protrahamus, etiamſi nonniſi poſt ejus mortem Sacrę Eremo præeſſe Dagninus debuiſſet? Adde tamen, quòd Romualdus in Sitriam profecturus, et mox ad Vallem de Caſtro ſecedens, ut ibidem ſpiritum Deo redderet, Petrum Dagninum Camaldulenſibus præfecerat, confirmavitque

dum viveret, ut B. Rodulphus enarrat; unde tempus mortis Sanctiſſimi Patris nullatenus cum annis Prioratus Petri Dagnini, ejuſve ſucceſſorum connectitur.

IX. Gravior eſt Difficultas de Pagina Abbatiæ Feſulanæ, quam Carrario opponit pariter Fortunius loco citato, et noſtram æquè ſententiam videtur impetere, dum S. Romualdus longè ante annum 1037. mortuus ibidem ſupponitur. Refert hanc paginam idē Fortunius Hiſt. Camal. parte 2. lib. 1. cap. 22. ſibi per Franciſcum à Diaceto Feſularum Epiſcopum communicatam, in qua Viſio narratur, quam habuit (verba ſunt Diplomatis) *Azo*, ſive *Atho*, *S. P. Romualdi, magnæ, et ſanctæ memoriæ Caſtrenſis Abbatis Diſcipulus, ex ſua conſuetudine pro lucrandis Deo animabus Etruriæ provinciam luſtrans*, dum ad radices Feſulani montis pernoctaret: qua quidem Viſione juſſus eſt, ut Jacobum Epiſcopum adiret, ac de inſtauranda, abs ſe diruta, Cathedrali Eccleſia, Religioſiſque Viris, ad divina Officia celebranda, inibi inſtituendis commoneret: Et ſanè Baſilicam reædificare continuò aggreſſus eſt Epiſcopus, ſed *Cùm Imperator Conradus in Italia expectaretur, à Romano Pontifice coronandus, ob ejus adventum Jacobus Epiſcopus diſtulit per anni ſpatium Monaſterij inſtitutionem, nam Imperatori occurrens, apud illum toto illo tempore morari coactus eſt: Cui cùm præſente Pontifice, et Ghisla Auguſta, Viſionem Athonis narraſſet, tam Pontifex, quàm Ipſe, et Auguſta illi negotium commendaverunt &c.* Hęc apud Fortunium, neſcio an de verbo ad verbum ex diplomate illo recitata, an ſuimet calami phraſi expreſſa, cùm eodem chara-

charactere notentur, eque ac quæ ſubinde narrat de eodem Jacobo Epiſcopo, quòd *eduxit de Eremo S. Blaſioli Leonem Eremitam, qui ibi S. Romualdi Magiſtri locum occupaverat* (unde rurſus S. Romualdus mortuus ſupponitur) *Huncque ſecum Feſulas deductum, et Congregationem Monachorum ad reparatam Eccleſiam inſtituit, et Leonem ipſum novo erecto Cœnobio præfecit Abbatem*.

X. Cum vero Chronologorum omnium conſenſu Conradus anno 1026. in Italiam venerit, et ſequenti anno 1027. Romæ Coronam à Pontifice acceperit, conſequens eſt, ut hujus Athonis Viſio anno 1025. contigerit, ſi illa audita Baſilicam quidem reſtaurare Jacobus Præſul aggreſſus eſt, ſed per annum diſtulit Monaſterij inſtitutionem, ut in Conradi occurſum iret, cui, præſente Pontifice, et Imperatrice, Viſionem illam narravit, eorumque hortatibus ad Monaſterium S. Bartholomei anno 1027. ædificandum incenſus eſt; ut idemmet Jacobus Epiſcopus teſtatur altero diplomate ſub initium anni 1028. die 26. Februarij exarato, quod incipit: *Opportunum valde*, et refertur ab Ughello tom. 2. pag. 288. ait enim ad hoc propoſitum: *A prudentibus ergo Viris conſilium accepi, atque multis vicibus PER REVELATIONEM admonitus ſum, ut in eodem loco Monaſterium facerem, ubi Epiſcopatus honorem, ſimulque Cathedram abſtuleram. Feci igitur inibi Monaſterium per conſilium, et juſſionem D. Joannis ſummi Pontificis, et Univerſalis Papæ, ſimulque D. Conradi Pijſsimi Imperatoris, ejuſdemque Conjugis Gislæ Sereniſſimæ Imperatricis, atque conſilio Religioſorum Epiſcoporũ, Sapientumque Laicorum &c.*

et

et infra: *Ego quoque Jacobus Epiſcopus, cum communi conſilio, atque electione noſtrorum Clericorum, ac fidelium laicorũ, Abbatem in eodem Monaſterio per paſtoralem baculum inveſtiens conſtitui Leonem Monachum, atque Preſbiterum, ut ab hac hora, quouſque vixerit, ſit Abbas ipſius Monaſterij S. Bartholomæi Apoſtoli &c.* Ergo etiamſi Romualdus menſe Junio anni 1027. obijſſe diceretur, non poſſet mortuus ſupponi tempore præcitatæ Viſionis illius Athonis, quæ incidit, ut vidimus, in annum 1025. Quare verba illa, *Romualdi magnæ, et ſanctæ memoriæ Caſtrenſis Abbatis*, aliter in omni ſententia interpretanda ſunt, quàm ut ſupponant Romualdum tempore dictę Viſionis mortuum; neque tempus Leonis Abbatis, quem Fortunius vult à Jacobo Epiſcopo è Cella S.Blaſioli, in quâ mortuo S. Romualdo ſucceſſerat, eductũ, quidquam probat; nam, ut demus è S. Blaſiolo reverà eductum [quod Jacobus Epiſcopus in ſuo diplomate non exprimit] nullo poſtmodùm documento colligitur, mortuo Romualdo ſucceſſiſſe Leonem potius, quàm S. Patre adhuc ſuperſtite, et ante ipſum, locũ eundem incoluiſſe.

XI. Licebit autem pręfatam clauſulam, *Magnæ, et ſanctæ memoriæ*, aut altero ex modis infra afferendis num. 13. et 15. pro ſimili formula Privilegij Theodaldi (nempe *Piæ memorię*) interpretari; aut certè ſupponendum erit, paginam illam à Fortunio allatam, nequaquam tempore laudatæ Viſionis, ac Monaſterij conſtructionis, ſed longè poſt exaratam fuiſſe ab aliquo ex ejus Cęnobij Monachis, ne res memoria digna,

tra-

tractu temporis, in oblivionem abiret: idque manifeſtum ſatis evadit ex contentionibus Monachorum cum Athinulpho Epiſcopo Jacobi ſucceſſore, Leonis IX. privilegio, et authoritate anno 1050. compoſitis, quas in eadem pagina referri indicat Fortunius; unde planus erit verborum illorum, *Magnæ, et ſanctæ memoriæ*, ſenſus, ſi referantur, non ad tempus prædictæ Viſionis, ad quod ne quidem in vulgari ſententia referri queunt, ut vidimus, ſed ad tempus quo id ſcribebatur: perinde ac ſi ego nunc (Budam inſignem Pannoniæ Metropolim, à Leopoldo I. pijſſimæ recordationis Imperatore, tempore Innocentij XI. magnæ, et ſanctæ memoriæ Romani Pontificis, expugnatam) pronuntiarem; ubi liquet, formulas *Pijſſimæ recordationis*, et *Magnæ, ac ſanctę memorię* non ſignificare Leopoldum, et Innocentium tempore illius expugnationis jam mortuos, ſed tempore, quo hæc narrantur, aut ſcribuntur, vivere deſijſſe. Ita et cùm prælaudatus Jacobus Bavarus Feſulanus Antiſtes in ſuo Diplomate dato die 2. Auguſti anni 1028. incipiente, *Dum Fragilitas humani generis*, apud Ughellum ubi ſupra pag. 292. relato, inquit: *Pro anima bonæ memorię Henrici Imperatoris, qui mihi hunc tribuit Epiſcopatum*, Non ſanè Henricum mortuum ſupponit anno accepti (ejus ſuffragio) Epiſcopatus, ſed tempore, quo diploma illud eſt exaratum: et ſic de ſexcentis alijs exemplis; Non igitur quidpiam evincit pàgina fundationis Abbatiæ Feſulanæ adversùs hypotheſim ſuperiùs propoſitam.

XII. Denique opponi poteſt Privilegiũ Theodaldi Are-

Aretini Epiſcopi, quod nos Diſſert. III. cap. 3. num. 5. pag 30. adduximus, et refert Fortunius parte 1. lib. 1. cap 40. gravißima vero difficultate noſtram ſententiam premere videtur, totamque hypotheſim penitus ſubvertere, quatenus cùm datum legatur *Anno Dominicæ Incarnationis MXXVII. anno verò Epiſcopatus D. Theodaldi V. menſe Auguſto, Indictione X.* Duplici tamen clauſula Romualdum jam mortuum ſupponere creditur; primò ubi ait: *Nos ob amorem piæ memoriæ Spiritalis Patris Noſtri Domni Romualdi Clariſſimi Eremitæ*; Deinde ſecundò ubi inferiùs ſubdit: *Ut cum denominato Sancto Viro, Romualdo ſcilicet, partem in æterna vita habeamus, donamus, largimur &c.* Niſi enim mortuum Romualdum arbitraretur, quomodo illum *Piæ memoriæ* appellaret? niſi in Patria jam receptum, atque in tuto poſitum ſupponeret, quomodo *Partem habere cum illo in æterna vita* deſideraret? Non diſſimulo vim argumenti fermè inſuperabilem, atque hanc potiſſimam obiectionem reor, ex omnibus, quæ in nos unquam urgeri poſsint; at memini non minoribus incommodis obnoxiam ſententiam, quæ, ut ſcopulos ejuſmodi evadat, minuendam Romualdi Ætatem cenſet, quam tanta evidentia, et tot momentis gravißimis ſtabilitam ſuperiùs oſtendimus.

XIII. Itaque difficultatem hanc eludere utcunque tentabimus, obſervando, clauſulam hanc *Piæ memoriæ*, fortaſſe non mortuum, ſed Celebratißimum, ac *Memorandæ pietatis* Virum deſignare, ut memoria pro fama, celebritate, nomine uſurpetur: ut enim hortari ſole-

ſolemus viventes, ut aliquid *Memoria dignum* facinus patrare velint, quo ſui nominis immortalitati proſpiciant, ita Viros ipſos egregijs operibus claros, adhuc viventes, *immortali memoria dignos*, vel *immortalis*, aut *glorioſæ memoriæ Viros* appellare meritò poſſumus, et ſæpe conſuevimus, eoſque è contrario, qui nullis virtutum ſuarum argumentis claruerint, adhuc ſuperſtites, nullius nominis, nullius famæ, aut *ſtatim interituræ memoriæ homines* dicimus; quidni igitur ſanctimonia claros, et pietatis opinione inſignes Viros, etiamnum viventes, *piæ memoriæ* nuncupare liceat? Adde, formulam illam fortaſſe Divi Romualdi jam præſentis, tunc verò abſentis, et apud Sitriam recluſi, *memoriam* exprimere; ſolemus enim viventium pariter reminiſci, cùm eorum benefacta recolimus, eorumque præſentiam remotiſſimis regionibus invidemus; Theodaldus ergo Spiritualem Patrem ſuum Romualdum, ex Etruria in Umbriam diſcedentem, lacrymis proſecutus, *Ex affectu ad ejus memoriam*, cujus vel ſola recordatio *pietatem*, quam verbis inſtillaverat præſens, in mente, et corde hujus devotiſſimi Præſulis poterat excitare, ad donationem illam inſtituendam motus eſt, ideòque ſcripſit: *Ob amorem piæ memoriæ ſpiritalis Patris noſtri Domni Romualdi Clariſſimi Eremitæ*.

XIV. Nec deſunt in antiquiſſimis ejuſdem, et ſuperioris ſæculi ſcripturis exempla quædam hujus conſuetudinis, ut videas non arbitrariam prorſus eſſe, aut temerè confictam ejuſmodi expoſitionem; Nam in Diplomate, quo Jacobus Bavarus Feſulanus Præſul, pau-

M lò

lò anteà laudatus, multa concreditæ ſibi Eccleſiæ largitus eſt, ut ſub uno Præfecto Canonici communem vitam traducerent, incipiente: *Cùm conſtet omnes brevis exilij peregrinatione viventes &c.* apud Ughellum tom. 2. pag. 296. quod quidem anno 1032. datum legitur, ſeptenniò ante mortem Conradi Imperatoris, hęc nihilominus formula inſerta legi poteſt: *Nec non pro ſalute Conradi Sereniſſimi Imperatoris felicis memoriæ, ſuæque Conjugis Giſlæ Auguſtæ, et filij ejus Henrici &c.* utì eſt apud Ughellum pag. 297. lin. 10. Ecce Conradum Cæſarem *felicis memorię* dictum anno 1032. cùm obierit anno 1039. die 4. Junij apud Traiectum; et certè ex inſtrumento Ittæ Abbatiſſæ, de quo cap. 4. num. 10. diximus, patet Conradum, ejuſque Coniugem Giſlam, imò ſuperſtites vixiſſe ipſi Jacobo Epiſcopo, nam anno 1037. Florentiam venientes Præſulem hunc *extinctum* invenere, juxta præcitatum inſtrumentum, adeò fingi nequit, Jacobum hoc Diploma edidiſſe poſt Conradi mortem: imò in ſubſcriptione Conradum ipſum vivum teſtatur, dum ejus Imperij annos ſic numerat: *Actum eſt autem hoc anno Dominicæ Incarnationis 1032. Imperij D. Conradi Auguſti anno 5. indictione 15. feliciter.* Quid ergo aliud dici poterit, quàm quòd ejuſmodi clauſula *felicis memoriæ*, aut fauſtam celebritatem, et glorioſam famam Conradi reſpicit, aut ejus abſentis memoriam felicem, ſibique deſideratiſſimam prædicat? Idemque dici poteſt de alio vetuſtiori inſtrumento, quo circa annum 870. Andreas Epiſcopus Florentinus in Abbatiſſam Monaſterij S. Andreæ ordinat Idembertam,

tam, apud Ughellum tom. 2. pag. 35. ubi hæc formula legitur: *Secundùm illa præcepta, quæ Dominus, et bonæ recordationis Dominus Ludovicus Imperator conſtituit;* Qui tamen Ludovicus anno 875. Mediolani obijt mēſe Auguſto; unde non alio ſenſu *bonæ recordationis* tùm dici potuit, præterquàm ad ejus famam celebrandam, vel abſentiam indicandam: niſi fortè dicere libeat, ob gravem morbum, in quem Ludovicus anno 869. inciderat, falſum rumorem (ut ſæpe contingit) de ejus morte in Italiam allatum, occaſionem huic formulæ dediſſe, quaſi demortui Imperatoris nomen eſſet commemorandum.

XV. Unde rurſus alia reſponſio noſtro etiam propoſito applicari poteſt, quòd nimirum, falſo rumore de S. Romualdi obitu excitato, ſeu præjudicio, ob longævam ejus Ætatem, Theodaldi mentem occupante, illumque jam mortuum ſuadente [præſertim cùm in diſceſſu ſe apud Valleni de Caſtro mortem obiturum prædixiſſet, quæ verba de obitu jamjam imminente accipi à Theodaldo potuerunt, facilè enim, quos decrepito ſenio gravatos novimus, propè diem morituros, et ſi longiori tempore ceſſent nuncij de ipſorum ſalute, jam mortuos ſupponimus] illum *Piæ memoriæ*, quaſi non ampliùs in vivis ageret, Aretinus Præſul appellandum cenſuerit. Quod ipſum prætendi poteſt alteri clauſulæ, *Ut cum denominato Sancto Viro, Romualdo ſcilicet, partem in æterna vita habeamus;* Niſi velimus aſſerere, ob conſtantem, et tot ſignis divinitùs confirmatam ejus Sanctitatis opinionem, nō dubitaſſe Theo-

daldum, quin Romualdus, adhuc in vivis poſitus, æternæ fœlicitatis pignus certiſſimum poſſideret, cujus propterea in altera vita conſortium ſecurus deſideraret; quemadmodùm pari fiducia Henricus Imperator Romualdo aſſurrexit, dicens: *Ob utinam anima mea eſſet in corpore tuo*, ut cap. 65. Damianus enarrat.

CAPUT VIII.

Noſtram hypotheſim nonniſi ut probabilem proponi, atque alijs conciliationibus, quæ hìc afferuntur, locum relinquere.

SYNOPSIS.

Hactenus adducta non pro evidentibus habenda, ſed velut probabilia à nobis proponi. Num. 1. *Ætas S. Romualdi probabili dumtaxat ratione ultra annum* 1027. *perducta.* 2. *Obiectiones tantùm probabiliter ſolutæ.* 3. *Alijs conciliationibus locum relinquendum ad Longævitatem S. Patris tuendam.* 4. *Duplex Petrus, et duplex Honeſtus inter Ravennates Archiepiſcopos fortaſſe diſtinguendus.* 5. *Hac diſtinctione totam difficultatem evaneſcere.* 6. *Longè faciliùs Damianum, aut Diſcipulos Romualdi, à quibus ejus hiſtoriam hauſit, circa nomen Archiepiſcopi, cujus tempore*

S.Pa-

S. Pater converſus eſt, quàm circa ejus mortui Ætatem labi potuiſſe, ac Honeſtum fortaſſe pro Petro ſubrogaſſe. 7. Damianus aliàs in Nominibus diſcernendis parùm ſollicitus. 8. An Honeſtus antequàm Archiepiſcopatu potiretur, Romualdi converſionem promoverit? 9. Quarta alia conciliatio. 10. Variandam pro varijs conciliationibus, Vitę Romualdi chronologicam ſeriem. 11.

I. QVæ hactenus pro concilianda S. P. Romualdi Ætate cum tempore Honeſti Ravennatis Archiepiſcopi, juxta modum cap. 3. propoſitum, jam dudum adoleſcentiæ noſtrę primis conatibus, ut innui, præconceptum, nunc autem latiùs illuſtratum, tradidimus, multis certè non citra omnem veri ſpeciem aſſerta videbuntur, nonnullis etiam fortaſſe firmiora apparebunt, quàm ut pro merè probabilibus conjecturis haberi debeant. Hanc tamen ego laudem abs me prorſus abijcio, nec patiar meis argumentis plus roboris tribui, quàm mereantur, ſatis conſcius quàm in difficili controverſia verſemur, et quanta mihi ſubſidia defuerint, vel cùm maximè deſideraverim, et expetierim, ad hanc rem pleniùs evolvendam, et ex certioribus documentis in apertiori luce ponendam.

II. Nam ex una parte quæ ad aſſerendum Romualdum poſt annum 1027 adhuc ſuperſtitem ſuperiùs adducta ſunt invictè non probant intentum, cum nihil abſolutè, et evidenter evincat, Joannem Gualbertum in Camaldulenſi Eremo potius Romualdo viventi, quàm Petro Dagnino Priori, poſt Romualdi obitum,

obitum, auſcultaſſe, ab eoque ſui Ordinis inſtituendi vaticinium, et auſpicium accepiſſe: nam, ut cap. 4. num. 2. notavi, vetuſtiores ex his, qui rem geſtam referunt, ad *Camaldulenſis Eremi Priorem*, nulla nominis deſignatione diſtinctum, divertiſſe Joannem Gualbertum tradunt, poſteriores id de Romualdo diſertè interpretantur, illum tunc Camalduli degentem ſupponentes, non probantes; itaque in ambiguo relicta res eſt. Similiter probabilis quidem traditio ſuadet, at nihil eſt quod demonſtret, Caſimirum Poloniæ Regē illum ipſum eſſe, quem Damianus Buſclavi filium nominat; potuerunt hac etiam in re Poloniæ Hiſtorici hallucinari. Pariter veriſimile eſſe contendi, ſed non prorſus evidens propterea cenſeo, Camaldulenſis Eremi ædificationem Theodaldo Aretino Epiſcopo, et nō tantùm fortaſſe Coepiſcopo Helemperti exiſtente, fuiſſe factam, potuit quippe etiam Rodulphus annum 1027. pro 1012. in ſuis ſcriptis proponere, aut ſolius conſecrationis ſollemnioris, poſt tria luſtra ab ędificatione Baſilicæ, per Theodaldum adhibitæ memoriam dicto anno 1027. conſignare. Itaque omnia capitibus ſuperioribus adducta, ad noſtram illam hypotheſim confirmandam, veri ſpeciem dumtaxat, non faciem oſtendunt, ad aſſenſum inclinant, non cogunt.

III. Ex alia verò parte difficultates huic Syſtemati oppoſitæ nonniſi probabiliter expediuntur, ultima prę-ſertim ex Privilegio Theodaldi petita, quæ majus mihi ſemper negotium faceſſere præ reliquis viſa eſt, ac minùs exactam, quàm cæterę, ſolutionem admittere;

adeò

adeòut verba ex illo Privilegio nobis oppoſita, quondam addititia crediderim, quaſi diploma illud vel ab aliquo interpolatum inveniſſet, vel ipſemet nobis interpolatum exhibuiſſet Fortunius; quæ tamen ſuſpicio nunc ceſſat, poſtquàm authographum ipſius Theodaldi manu ſubſcriptum, et ſigillo munitum in Camaldulenſi Archivio, armario 1. num. 36. diligentiſſimè luſtravimus, neque ſuppoſitionis, vel interpolationis notam ullam offendimus, ſed integrum, et undequaque ſincerum deprehendimus, ut propterea nonniſi probabili interpretamento ſuperiùs adducto, exempliſque cap. præced. num. 14. allatis confirmato, eludi ejus authoritas poſſit.

IV. Quoniam igitur Syſtema hactenus explicatum, ut probabilis dumtaxat præcipuę difficultatis conciliatio à nobis et proponi, et defendi poteſt; ideò nemo in animum inducere audeat, unicam hanc tuendæ longævæ Romualdi Ætatis viam à nobis cenſeri, nam tantum abeſt, ut alias conciliandi methodos excludere libeat, aut cauſam hanc à Petro Damiani tam conſtanter, tam evidenter aſſertam, in ancipiti relinquere, ac dubij cujuſvis diſcrimini expoſitam prorſus deſerere, ut potiùs alias evadendi vias digito ſaltem intento harum rerum ſtudioſis monſtrare, ac proponere velim, quatenus cui nuper aperta, et hactenus explanata ſemita non arriſerit, alicui ex his, quas in ſubſidium indicabimus, inſiſtere poſſit, et Romualdi Longævitatem; non obſtante poſteriori, quàm oporteret, Honeſti ſede, nihilominus inconcuſſam habere, ac prorſus indubiam,

biam, ne totis quinquaginta annis, in ſumma Vitæ auſteritate tranſactis, Ætas Viri ſanctiſſimi decurtetur.

V. Primò igitur, attenta inſigni Ravennatum Præſulum ejus ſæculi confuſione, de qua ſupra cap.3. num. 4. et 5. diximus: attenta etiam Petri Ravennatis Archiepiſcopi nimis longa in Epiſcopali gradu perſeverantia, ſi anno 909. ut notat Ughellus, Bononienſem Eccleſiam adminiſtrabat, indeque anno 923. ad Archiepiſcopales Ravennæ infulas tianslatus, illas anno dumtaxat 971. dimiſerit, eique ſuperſtiti Honeſtus ſucceſſerit, oporteret ſiquidem, ut 62. annis Præſulis officio functus eſſet; His, inquam, attentis veroſimilius videtur, alium Petrum, alium Honeſtum æquivoco nomine poſteris impoſuiſſe, adeòut qui ex Bononienſi Eccleſia aſſumptus eſt Petrus, et anno 923. in Ravennati Cathedra collocatus, uſque ad annum 927. in ea vixerit dignitate, huic decedenti ſuffectus ſit eodem anno Honeſtus ex Abbate Claſſenſi aſſumptus, de quo Petrus Damianus narrat, authoritate, et ſuffragio ſuo converſionem Romualdi (quæ juxta vulgarem calculum in hunc annum 927. incidit, cùm poſt centum Religionis annos mortuus cenſeatur anno 1027. præciſis conjecturis ulterioris vitæ, juxta præcedentem opinionem noſtram, ſuperiùs expoſitis) apud Claſſenſes Patres promoviſſe, eodemque Honeſto uſque ad annum 950. circiter ſuperſtite, Petrus alius ſuffectus ſit, qui anno 954. Concilium ſuffraganeorũ Præſulum habuit, ut narrat Rubeus ad hunc annum, et anno 957. Raimbaldo Abbati S. Mariæ de Palatiolo pri-

privilegium quoddam contulit, à Margarino relatum Bullar. Caſſin. tom. 2. conſt. 51. atque huic Petro ſpontè cedenti, ſive anno 963. ut Carrario placet, ſive anno 971. ut Rubeus arbitratur, ſucceſſerit Honeſtus alius, de quo Petrus Damiani Ep. 9. libri 1. *Petrus etiam Archiepiſcopus Ravennalem dimiſit Eccleſiam, cui mox adhuc ſuperſtiti Honeſtus, primo videlicet Othone habenas Imperij gubernante, ſucceſſit*; quem Claſſenſem Abbatem neutiquam fuiſſe cenſeo, ut certè talem Damianus nullibi locorum vocat, id expreſsè aſſerens de ſolo priori Honeſto, qui Romualdum, ut Monaſticum Schemma obtineret, ſuo conſilio, et opera iuvaſſe legitur.

VI. Hac itaque duplicis Honeſti diſtinctione poſita, evaneſcit integra difficultas, qua longæva S. Romualdi Ætas impugnari cæpta eſt: cùm enim dicitur, Honeſtum nonniſi poſt annum 963. aut 971. Ravennæ Archiepiſcopalem Cathedram aſcendiſſe, adeòque Romualdum, qui ejus tempore converſus legitur, non potuiſſe anno 1027. quo Deum adijt, centum Religionis annos numerare; facilis erit reſponſio, Honeſtũ illum, qui Petro ſpontè abdicanti ſucceſſit, ejus nominis fuiſſe Secundum, quem Damianus Epiſtola citata, ut à Primo diſtinguat, expreſsè notat illum eſſe, qui tempore Othonis Primi Imperatoris Petro ſucceſſit, quæ quidem temporis conſignatio in Scriptore illo nõ admodùm in temporibus chronologicè ad facta ſingula diſtribuendis ſollicito, indicat alium fuiſſe Honeſtũ ante Othonis Primi tempus, qui alteri Petro, minimè

ſuperſtiti, ſed mortuo, ſuffectus ſit, quemque Abbatem Claſſenſem fuiſſe in vita S. Romualdi cap. 2. aſſeruerat: hunc autem Primum Honeſtum, qui anno 927. *Ravennæ Archiepiſcopalem Cathedram obtinebat, et olim Claſſenſis Cænobij Abbas extiterat* (ut ibi loquitur Damianus) illum ipſum fuiſſe, cujus ſuffragio Romualdus inter Monachos eſt cooptatus; unde nihil obſtare, quominùs centum ipſos annos in ſumma Religioſę Vitæ auſteritate peregerit, etiamſi anno 1027. Deum S. Pater adierit.

VII. Secundò, etiamſi reipſa Petrus anno 927. Ravennati Eccleſiæ præfuiſſet, non citra omnem veri ſpeciem aſſeri poſſet, hunc ipsum fuiſſe, qui Romualdo ad ſe confugienti, non modò ſtimulos addidit, ſed operam, et Patrocinium impendit, ut monaſtici voti compos fieret: Damianum verò, aut ipſos Romualdi Diſcipulos, ex quorum relatione Vitam S. Romualdi Damianus ſcripſit, nominis Archiepiscopi Ravennatis, qui Romualdo faverat, oblitos, nomen Petri cum nomine ejus ſucceſſoris Honeſti commutaſse, eoquòd recentior ejus memoria eſset, ac menti magis infixa: hic unus enim linguæ Diſcipulorum, et calami Damiani lapſus longè facilior eſt, quàm quòd hic, et illi pariter erraverint in Ætate S.Romualdi determinanda; nimirùm nondum tria luſtra tranſacta erant, ex quo Romualdum viventem conſpexerant, et ſeptuágenariusne, an centum ſupra viginti annos agens cenſendus eſſet, ex longa converſatione ſecum, et cum anteceſſoribus habita, ex facie, ex habitu corporis, ex mille alijs circum-

cumſtantijs certò dignoſcere poterant: at verò ex Romualdi Converſione 115. propemodùm anni effluxerant, quo temporis intervallo, nomen Archiepiſcopi Ravennatis, qui tum præſideret, excidere poterat, et cum nomine ſucceſsoris confundi; facilius ergo fuit [et quidem in temporum, nempè 115. ad 15. duplicata ratione, quæ eſt 13225. ad 225. hoc eſt pluſquàm 58. ad 1.] ut in Archiepiſcopi nomine, quàm in annorum numero çquivocatio aliqua in Damiani hiſtoriam obreperet.

VIII. Idque eò minori ſcrupulo admitti poteſt ex quo idem Petrus Damiani tom. 1. lib. 1. ep 10. ingenuè fateatur, ſibi rerum magis, quàm nominum memoria retinendorum curam fuiſse: *Nec magnoperè*, inquit, *curamus videri aucupes nominum, dummodò non excidat ſeries, et ordo geſtorum*; Unde ſæpiſſimè in hac ipſa Sancti Romualdi hiſtoria Succeſsoris nomen pro nomine Anteceſsoris uſurpaſse Damianum legimus. Sic cap. 5. Petrum Candianum Venetorum Ducem bis Vitalem Candianum appellat, Filium, et Succeſsorem, cujus recentior fama habebatur, pro Patre, et Deceſsore ſubſtituens; ſic cap. 26. filium Buſclavi Sclavonici Regis Caſimirum dixit (juxtà ſententiam cap. 5. expoſitam) cùm eſset filius Miecislai, Busclavi verò nepos; ſic cap. 38. Filium Guidonis Comitis appellavit eum, qui filius erat Pharulphi, Guidonis verò nepos. Nihil ergo mirum, quòd et nomen Petri in nomen Honeſti commutare ſimiliter potuerit, quæ ſola nominis çquivocatio difficultati contra Romualdi Ætatem aditum ape-

ruit, ejuſque longęvam pænitentiam in diſcrimen adduxit. Hanc ſecundam conciliationem debemus Reverendiſſimo Præſuli D. Germano Bottæ Camerti, Abbati Camaldulenſi, Viro in hiſtorijs noſtris Eruditiſſimo, Vitęque integritate, ac Monaſtica obſervantia ſpectatiſſimo, quem quidem honoris cauſa hoc pariter loco nominare juſſit, debita erga optimum Senem veneratio, et grata beneficiorum ab ejus humanitate acceptorum memoria, numquam ex animo, numquam ex mente, numquam ex corde, *Dum ſpiritus hos reget artus*, obliteranda.

IX. Hinc verò tertiam aliam conciliationem deducere in promptu eſt, quam ſubdere non pigebit, uberioris doctrinę gratia: nimirum, ſiquis oblivionis lapſus circa Romualdi converſionem ante CXV. annos factam, potius quàm circa S. Patris ante XV. annos demortui Ætatem, Damiano, aut ejus Relatoribus excidere potuit, fortaſse non abſurdè quis conijceret, Honeſtum, quo tempore D. Romualdi converſionem promovit, Abbatem dumtaxat Claſſenſem fuiſſe, qui et nobiliſſimæ familiæ ſuæ potentia apud Ravennates, et officij ſui authoritate apud Claſſenſes Monachos, id effecerit, ut non obſtante Sergij Patris duritie, Romualdo Religionis clauſtra intrepidè aperirentur: cùm verò idem Honeſtus Archiepiſcopalem Ravennæ Cathedram mox aſcenderit, atque in ea dignitate vitæ ſuæ curſum abſolverit, hinc ſumptam occaſionem, ut Romualdo ad Monaſticen amplectendam ſtimulos, et animum addidiſſe Honeſtus crederetur, dum Præſulis Ra-
ven-

vennatis officium gereret, confuſis ejus actibus, quos ante Epiſcopatu edidit, cum ijs quos in Epiſcopatu patravit: itaque Petri Damiani locus ex capite 2. rem hanc concernens, videlicet: *Honeſtus autem, qui tunc Ravennæ Archiepiſcopalem Cathedram obtinebat, olim Claſſenſis Cænobij Abbas extiterat*, ſic fortaſſe reſtitui poſſet, ſolis particulis *tunc*, et *olim* tranſpoſitis: *Honeſtus autem, qui olim Ravennæ Archiepiſcopalem Cathedram obtinuit, tunc Claſſenſis Cænobij Abbas exiſtebat &c.*

X. Addi poteſt etiam quarta alia conciliatio, attenta Ughelli ſententia tom. 2. Italiæ ſacræ in Epiſcopis Bononienſibus num. 45. pag. 13. ubi ait: *Petrus in Bononienſi ſede florebat anno 909. translatuſque eſt ad Ravennatem Eccleſiam anno 927.* Quo ſuppoſito, quis diceret, poſt Conſtantinum Ravennatem Archiepiſcopum, circa annum 920. ad eam ſedem evectum Honeſtum Primum ex Abbate Claſſenſi, qui ipſo anno 927. poſt Romualdi converſionem fato cedens, eodem anno Petrum illum Bononienſem habuerit ſucceſſorẽ: atque ita, abſque duplicis Petri diſtinctione, qualem prima conciliatio admittebat, tota controverſia hujuſmodi aptiſſimè, ut anteà, componetur, ſolo retento diſcrimine Honeſti Primi, qui Conſtantino ſucceſſerit ante Bononienſem Petrum, ab Honeſto ejus nominis Secundo, qui abdicantem eundem Petrum anno 971. exceperit, juxtà vulgarem ſententiam.

XI. Si qua igitur præmiſſarum conciliationum admittatur, nihil erit, quod prohibeat, Romualdum anno 927. ſæculo valedixiſſe, anno 1027. mortalem

vitam

vitam cum immortali commutaſſe; at oportebit, 30. ſaltem annos in Fremo B. Marini apud Venetias eſſe à Romualdo conſumptos; nec Caſimirus Poloniæ Rex, ſed alius Boleslai filius, inter Diſcipulos S. Patris erit numerandus; Nec Joannes Gualbertus Romualdum in Camaldulenſi Eremo vivum invenire potuerit, ſed B. Petrum Dagninum Priorem, à quo cum Benedictione, et Ordinis longè illuſtriſſimi ab eo propagandi vaticinio ad Eremum Aquæbellæ à S. Romualdo pridem conſtructam, quæ nunc Vallisumbroſa dicitur, dimiſſus fuiſſe dicendus erit, atque aliter Vitæ S. P. Romualdi ſeries chronologica ordinabitur in qualibet ex his ſententijs, ac diſponatur in noſtra illa priori hypotheſi, præcedentibus capitibus fusè explicata, ut conſtat ex binis Tabulis Chronologicis, Appendicis loco, mox ſubijciendis, juxta utrumque Vitæ S. Romualdi ſyſtema, nempe aut illud ad annm 1037. protrahendo, aut intra annum 1027. continendo.

AP-

Digitized by Google

APPENDIX

Duas Tabulas Chronologicas exhibens præcipuorum S. Romualdi Geſtorum, juxta varias hypotheſes de Anno mortis ejuſdem.

TABULA PRIMA CHRONOLOGICA

Juxtà Syſtema Cap. III. expoſitum, et ſequentibus explicatum.

Anno Chriſti	Romualdi	
917.	1.	NAſcitur ROMUALDUS Ravennæ Sergio Patre ex Nobiliſsima Ducũ Familia, quã Saxis, et Honeſtis affinem tradunt.
932.	15.	Carnis ſtimulos patitur in adoleſcentia, ſed mente frequenter in Deum elevata, ac generoſis propoſitis,è cœno voluptatum erigitur.
935.	18.	Venationi deditus, divina Præventus gratia, ſolitudinis amore capitur, atque Eremitas abs ſe inſtituendos voto jam concipit.
937.	20.	Sergius Pater S. Romualdi litem de poſſeſsionis cujuſdam jure cum conſanguineo

Digitized by Google

Anno Chriſti	Romualdi	
		guineo graviùs agitans, gladio terminandam decernit: Filium licèt reluctantem, incuſſo hæreditatis amittendæ metu, duello intereſſe cogit. Hoſte perempto, Romualdus, ea criminis ſpecie perterritus, in Claſſenſe Monaſterium, quadragenariam homicidarum pœnitentiam acturus, ſe recipit. Religioſi hominis colloquio, Monaſticæ vitæ cupiditatem imbibit. Viſione S. Apollinaris ſemel et iterum in propoſito confirmatur. Monachos Sergij Patris iram metuentes, à Romualdo exoratus Honeſtus, olim Claſſenſis Abbas, tunc Petri Ravennatis Archiepiſcopi Coadiutor, ſua auctoritate inducit, ut Romualdum intrepida ſecuritate recipiant, illique ſanctæ converſationis habitum tradant.
938.	21.	Exacto probationis anno, S. P. Benedicti Regulæ ſolemni profeſsione, ſe totũ Deo conſecrat Romualdus.
939.	22.	Præcoci zelo Monachos corripit. Orationi ſedulus incumbit. Inſidias ſibi à Concellitis paratas declinat.
940.	23.	Ad Marinum in finibus Venetorum ſolitariam vitam, magna ſanctitatis opinione, agentem, obtenta Abbatis ſui venia,

Digitized by Google

Anno *Chriſti*	*Romualdi*	
		venia, Romualdus ſe confert, ibique Eremiticæ vitæ tyrocinium ponit.
941.	24.	In diſciplina pſalmodiæ Marini eruditur Romualdus, ejus virgæ patienter obnoxius, uſque ad ſiniſtræ auris ſurditatem. Marinus, cognita Diſcipuli humilitate, ſeveritatem temperat.
942.	25.	Varijs tentationibus, initio Capitis 7. ejus Vitæ relatis, novus Eremita impugnatur.
943.	26.	Mira ejus humilitatis exempla.
944.	27.	Profectus in Schola Marini.
945.	28.	Phantaſtico pondere ejus pedes, Dæmonis pręſtigijs, per quinquennium importunè aggravantur.
950.	33.	Poſt invictam tolerantiam allevatur à Domino, technis diabolicis effugatis.
955.	38.	Ejus, et Marini fama Venetorum fines latiſsimè pervagatur.
959.	42.	Petri Urſeoli ad Dalmatię Principatū evectio.
961.	44.	Guarinus Abbas S. Michaelis in Aquitania Venetias peregrinatur, apud Urſeolum hoſpes. Marini, et Romualdi conſilio adhibito, Monaſticen induere diſponit Urſeolus. Aula relicta in Aquitaniam cum Guarino, Marino, et Ro-

Anno *Chriſti* | *Romualdi*

mualdo ad S. Michaelis Monaſterium Dux ſe confert, ſocijs Joanne Gradenico, et Mauroceno: quibus religioſo ſchemmate initiatis, Marinus, et Romualdus Eremum ſibi prope Cęnobium inſtaurant, ubi ad ſolitariam vitam revertuntur.

962. 45. Urſeoli, et Sociorum in Monaſterio Guarini Monaſtica profeſsio. Eorundem, et ipſius Guarini Abbatis ad Eremum Marini, et Romualdi concurſus. Inſignis inter cęteros emicat Romualdi Virtus, et Prudentia, quem communi ſententia in PRIOREM eligunt, delata illi ſpiritualium, et temporalium rerum omnium cura, ipſiſque Marino, et Guarino ſe illi in Diſcipulos devoventibus, quibuscum ſui ORDINIS FUNDAMENTA ponit S. ROMUALDUS, et primum hunc annum quotidiano elixi ciceris pugillo tranſigit.

963. 46. Romualdus et Joannes Gradenicus ſarculis terram frangentes, et triticum ſeminantes, ex manuum ſuarum labore ſibi, et ſocijs per triennium victum parant, jejunij pondere laborioſiſsimis exercitijs duplicato.

Ro-

Anno Christi	Romualdi
964.	47. Romualdi conſtantia contra Dæmonis impugnationes, ultima parte capitis 7. ejus vitæ expreſſas.
966.	49. Nova Romualdinę abſtinentię forma, continuato per hebdomadam, exceptis Saturni, et Solis diebus, jejunio, quam per 15. annos cum ſuis tenuit.
967.	50. Urſeoli humilitas, ac Romualdi erga eum diſcreta remiſſio.
968.	51. Miraculum Romualdi in Comitem Vaccæ raptorem.
971.	54. Urſeoli cum Filio colloquium, et de ejus futura dignitate prophetia.
981.	64. Sergius Romualdi Pater in S. Severi Cænobio apud Ravennam Monachum induit.
982.	65. Ultima Romualdinæ abſtinentiæ forma, trãslata Sabbati remiſſione in quintam feriam; hanc pro certa Solitariæ Vitæ Regula Eremitis Romualdus præſcribit. Ejus cum Olibano Comite colloquium. Comitis Converſio. Pretioſa mors B. Petri Urſeoli die 11. Januarij. Nuncius ad Romualdum de Sergij Patris inconſtantia à Monachis S. Severi mittitur. Marinus Guarinus, et Joannes Gradenicus, Romualdi juſſu, Olibanũ

O 2 ad

Anno Chriſti	Romualdi	
		ad Caſſinenſe Monaſterium deducunt. Romualdus, incolis arte deluſis, nudipes Ravennam properat. Pia ejus in Patrem ſeveritas, uſque dum illum in propoſito confirmat. Maurocenus Venetias redit, inſigni S. Georgij Majoris Monaſterio à Tribuno Memo donatus.
983.	66.	Romualdus in Palude Claſſis cellulam figit. Monaſterium S. Severi ad ſua exempla reformat. Sergius Viſione Spiritus Sancti in Cœlum vocatur. Olibano apud Caſſinum profeſſo, Marinus in Apuliam ſecedit.
984.	67.	In prædio S. Martini cellam ſtatuit Romualdus. Guarinus Caſſino diſcedit. Joannis Diſcipuli S. Romualdi inobedientia equi calce punitur.
985.	68.	Prædicti Joannis eximia pœnitentia. Romualdus à Dęmonibus percuſſus: itē horribili larvarū aſpectu perterritus.
986.	69.	Balneum veniens Romualdus Monaſterium S. Michaelis ædificat.
987.	70.	Eleemoſinas ſibi ab Hugone Etruriæ Marchione traditas, reparando Monaſterij S. Marię Palatioli incendio Romualdus diſtribuens, Monachorum ſuorum invidiam in ſe concitat.

Bal-

Anno Chriſti	Romualdi	
988.	71.	Balnenſium Monachorum in S. Patrē temeritas, et pæna divinitus illis inflicta.
989.	72.	Romualdus apud Bifurcum ſecedit, ibique Eremum ordinat. Hinc non longè à Catria in Eremo Avellanæ habitans Ludulphum loci Conditorem in Diſcipulum excipit.
990.	73.	Avellanitis certas Conſtitutiones præſcribit, et Regulam S. Benedicti obſervandam tradit Romualdus. A Sancto Apollinare, ut Claſſenſe Monaſterium repetat, admonitus, hinc recedit.
991.	74	In Origario habitans totus intumeſcit: diſcedens prodigioſam Roſarum propaginem eo loci relinquit.
992.	75.	In Pereo Ravennæ Inſula Eremum conſtruit, multis Diſcipulis celebrem.
993.	76.	Romualdus oratione incendium extinguit. B. Guglielmi ejus Diſcipuli ſanctitas claret.
994.	77.	Dimittit Diſcipulos ſuos Joannem, et Benedictum in Poloniam ad fidē Chriſti diſſeminandam.
995.	78.	Otho Imperator hoſpes S. Romualdi: agit ut Claſſenſis Abbatiæ regimen ſuſcipiat, anathema à Concilio intentans, ni acquieſcat. Vir ſanctus tandem poſt

mul-

Digitized by Google

Anno Chriſti	Romualdi
	multas preces, memor apparitionis S. Apollinaris ante quinquenniū ſibi apud Catriam factæ, Claſſenſem Præfecturam ſibi imponi permittit, Monachoſque ad diſtrictam Regulæ obſervantiam revocare nititur.
996.	79. Romualdus Abbatiam dimittit. Tiburis obſidionem ab Imperatore ſolvendā impetrat. S. Venerium Eremitam inſtruit. Othonem inſigni pœnitentia corripit. Tammum, Bonifacium, alioſque ex Aula Cęſarea convertit. Caſſini Diſcipulos ſuos reviſens ægrotat. Ad Pereum redit. Interim Joannes, et Benedictus cum S. Adalberto Evangelij prędicationi inſiſtunt, et varias provincias oberrant.
997.	80. Joannes, et Benedictus poſt S. Adalberti Martyrium in Poloniam redeunt. Othonis privilegia erga Ardefadum Abbatem Claſſenſem ex Romualdi Diſcipulis aſſumptum. Monaſterium S. Marię Pomposę cum Eremo adiecta conſtruitur.
998.	81. Multi Diſcipuli Eremitica Diſciplina ab Joanne, et Benedicto in Polonia imbuuntur; in his Matthęus, Iſaac, et Chriſtinus, ac Barnabas, omnes ſanctita-

te

Anno *Chriſti*	*Romualdi*
	te conſpicui.
999.	82. Bonifacius inter cæteros Eremi Pereñſis incolas ſanctimonia clarus, Martyrij cupidus.
1000.	83. S. Venerij obitus. Monaſterium S. Adalberti in Pereo conſtruitur, eique Abbas ex Romualdi Diſcipulis aſſumptus pręficitur. Romualdus exigit, ut Imperator promiſſa implere nõ differat, ſed Monachum induat: differenti mortem prædicit.
1001.	84. S. Bonifacius in Ruſſiam à Romualdo dimittitur. Otho Imperator Monaſterium S. Adalberti poſſeſſionibus ditat. Romualdus Parentium migrat.
1002.	85. SS. Martyrum Joannis, et Benedicti, ac Sociorum in Polonia Paſſio, et Miracula. Otho juxtà Romualdi vaticiniũ moritur. Monachus à SS. Joanne, et Benedicto in Italiam miſſus, ut alios Romualdi Diſcipulos in Poloniam vocaret, carcere detentus, ab Angelo, mortem ſuorum Magiſtrorum nunciante, liberatur. Romualdus Parentij ſe includit.
1003.	*86.* Donum lacrymarum Romualdo conceditur. Diſcipulorum ex Bifurco adventum Vir Sanctus prædicit.

Rur-

Anno *Christi*	*Romualdi*
1004.	87. Rurſus à Bifurci Diſcipulis Romualdus inviſitur. Libellum de pugna Dæmonum ſcribit. Parentio diſcedit. Procellam ſedat. Bifurcum venit. B. Petri ejus Diſcipuli ſanctitas floret. S. Bonifacius in Ruſſia per medios flammarum globos illæſus tranſit. Jmmenſam populorum multitudinem Baptiſmo abluit. Martyrio demum coronatur. B. Joannes Romualdi Diſcipulus Caſſini recluſus moritur, miraculis clarus.
1005.	88. Romualdus in Vallis Caſtri regione prædicat. Eremum ibidem conſtruit. Arguit Simoniacos. Canonicos Regulares ordinat. Cœnobium pro puellis ædificat. Furem corripit. Monaſterium Urbevetanum exſtruit. Multos ad habitum Monaſticum admittit. B. Guidonem Comitem Monaſtico Schemmate donat. Alia tria Monaſteria celerrimè ædificat. Martyrij cupidus in Hungariam proficiſcitur.
1006.	89. Ob ægritudinem S. Pater ab itinere revocatur, quindecim ejus Diſcipulis progredientibus, qui multos pro Chriſto labores perpeſſi ſunt. Adhelberonis Ducis Cõſanguineũ Romualdus cõvertit cũ alijs nobi-

Anno
Chriſti | *Romualdi*

nobilibus. Urbevetano Cœnobio reſtituitur. B. Guidonis pia Mors, et miracula. Ad Rainerium Etruriæ Marchionem S. Pater deflectit.

1007. 90. Monaſterium de Maſſiliano ædificat. Claſſem pergit, ubi à ſuffocationis diſcrimine liberatur. Parentium iterum navigat. A Romano Pontifice, totoque Senatu in Italiam revocatur.

1008. 91. Monaſterium S. Trinitatis de Monte acuto ædificat. In faucibus Callenſium Montium habitat. Miraculum latronis in Monte Petrano. Abbatia Prataglie ab Helemperto Aretino Epiſcopo conſtruitur.

1009. 92. Fures è longinquo prævidet Romualdus. Alia Monaſteria ædificat. Apud montem Pregium habitat. Item apud Gualdum ad Serram Sanctorum in regione Tadini.

1010. 93. B. Marini obitus in Apulia. S. Andreæ Eremum apud Hiſpellum Romualdus conſtruit: mox S. Salvatoris de Aquapagana Monaſterium deſignat; item S. Mariæ in Campis prope Fabrianum.

1011. 94. Cœnobium S. Silveſtri de Monte Subaſio pro Monachis, et S. Mariæ Vallis-

Anno Christi	Romualdi	
		gloriæ pro Monialibus Romualdus ædificat.
1012.	95.	Diſcipulus in S. Patris lęctulo, abſque ejus licentia, cubans à Dæmonibus verberatur: alius cum Magiſtri venia incolumis ibidem quieſcit.
1013.	96.	Romualdus Monaſterium S. Illuminatoris apud Tudertum pro Monachis conſtruit; item S. Antonij pro Monialibus.
1014.	97.	Arduinum S. Pater convertit. Mulierem in amentiam verſam, pane à S. Romualdo benedicto, Diſcipuli ſanant.
1015.	98.	Aqua, unde manus Romualdi ablutæ ſunt, varijs morbis utilis. Dæmoniacum benedictione panis Romualdus curat.
1016.	99.	Diabolus S. Romualdo mortem minatus cellæ parietem fregit. Monialium in Vallebona Cęnobium ędificatur à S. Patre. Obſtrepens Diabolus à Diſcipulo S. Romualdi fugatur.
1017.	100.	Ad Vallem de Caſtro revertitur Romualdus: ibi ſe poſt 20. annos moriturum prædicit. Abbatem corripiens ejus odium incurrit.
1018.	110.	Comitiſſam Sybillam Romualdus alloquitur. Diſcipuli immodeſtiam prudenter carpit. Abbatis machinatione è

Valle

Anno
Christi | *Romualdi*

Valle de Caſtro eijcitur S. Pater. Monaſterium S. Michaeli in burgo Piſarum à B. Bono ædificatur.

1019. 102. Apud Aquam bellam conſiſtens Romualdus prima Eremi Valliſumbroſæ rudimenta locat. Presbiterum à dentiū dolore liberat.

1020. 103. Paulum, et Gunthelinum Diſcipulos in Eremo Aquæbellæ Romualdus relinquit. Ad Montem Petranum reverſus cadentem illicem ſuper ruſticum divinitùs avertit.

1021. 104. Biſurcum ſecedit ad habitandum. Ingentem Diſcipulorum congregat multitudinem.

1022. 105. Colloquium Romualdi cum S. Henrico Imperatore. Prophetia ejuſdem. Veneratio illi à Theutonicis exhibita. Henricus Monaſterium Montis Amiati Romualdo committit. Item in favorem Monaſterij S. Benedicti de Biſurco illi privilegium largitur.

1023. 106. Providentia divina erga Romualdum aquis incluſum. Eremi ad Vivum conſtructio.

1024. 107. Monachus vitæ S. Romualdi inſidias ſtruens, à Diabolo jamjam præfocandus,

Digitized by Google

Anno
Chriſti | *Romualdi*

meritis S. Patris eripitur. Eccleſia S. Michaelis Templani Gregorio Abbati Valliscaſtri donatur.

1026. 109. Maldulus Viſionem Scalæ Monachorum albeſcentium in ſuo Campo habet. Romualdo, locum idoneum ad Eremiticam vitam perquirenti occurrens, illi ſuum ſomnium narrat. S. Pater locum inviſit, et Theodaldum Aretinum Epiſcopum convenit, ut ſibi liceat eo loci Eremum conſtruere.

1027. 110. Romualdus cum Theodaldo Præſule Eccleſiam Eremi conſtrui, ab eodemque Epiſcopo conſecrari curat. Quinque in circuitu cellas diſponit, totidemque Diſcipulos in ſingulis collocat. Ibidem recluſus per Quadrageſimam, Fagum in cellam ruentem ſigno Crucis avertit. Deſcendens in inferiorem locum, à Diabolo in pręcipitium impellitur, ſed, ſaxo cedente, ſervatur illæſus. Hoſpitium Fontisboni ędificat, et Petro Dagnino, quẽ Priorem cæteris præficit, in mandatis dat, ut Eccleſiam apud dictum hoſpitium, quantocyus conſtruat. In Sitriam diſcedit. Theodaldus poſt S. Patris diſceſſum ampliſſimo privilegio Camaldu-

len-

Anno *Chriſti*	*Romualdi*	
		lenſem Eremum decorat.
1028.	111.	Impuros Romani mores Romualdus apud Sitriam redarguit, infami calumnia ab eo viciſſim afficitur. Pœnitentiæ velut obnoxius à ſacris officijs abſtinet. Poſt ſex menſes divinitus celebrare jubetur. In extaſim raptus animam ſuam nivis inſtar candidam divino conſpectui repræſentari videt. Pſalterium pariter exponere iubetur. Per ſeptennium in propria cella ſe recludit.
1029.	112.	Suo voluntario carceri incluſus Pſalterium, et nonnulla Prophetarum Cantica luculenter exponit Romualdus.
1030.	113.	Exemplo ſuo ad inſignem auſteritatem Monachos Sitriæ perducit. Inſignis Gulę illuſio.
1031.	114.	Gregorium inſufflando ſanat.
1032.	115.	Eundem ab elephantiaco morbo, aqua frigida, liberat.
1033.	116.	Oſculo inſanum curat.
1034.	117.	Diſcipulum Romam euntem per Spiritum cognoſcit. Ingelbertus vaticinio incredulus recluſorium, prout ſibi imprecaverat, frangit, et à Romualdo deficit.
1035.	118.	Ad Monaſterium S. Vincentij deflectit

Romu-

Anno
Chriſti | *Romualdi*

Romualdus. B. Berardus ejus Diſcipulus ibidem moritur, ad cujus ſepulcrum Monachus ſoſpitati redditur. Thedaldus in cauſa eſt, cur Gaudentius à Magiſtro diſcedens Ingelberto jungatur. In illa inobedientia Gaudentius vita excedens Romualdi pietate expiari impetrat.

1036. | 119. Sitriam redeunti Romualdo piſcis in arido rivo invenitur. Caſimirus Poloniȩ Rex in Italiam veniens à Romualdo ad Monaſticen admittitur. Equum ab illo ſibi donatum inequitans, à Dȩmone ſub Canis effigie apparente, abſterretur. Equum illum, humilitatis ſtudio, cum jumento commutat. Camaldulum S. Pater rediens Joannem Gualbertum ad ſe confugientem per ſex menſes Eremiticæ Vitæ præceptis inſtruit, mox ſua benedictione, et vaticinio Ordinis ab illo inſtituendi, ad Vallemumbroſam, ſive Aquam bellam, dimittit. Romualdus tandem ad Vallem de Caſtro revertitur, ibique recluditur, ut morti ſe prȩparet.

1037. | 120. Romualdus, non tam languore, quàm decrepiti longævitate ſenij defatigatus, et per ſex ferè menſes gravi tuſſis anhelitu, ob læſos flegmatis copia pulmones, vexatus,

Anno
Chriſti *Romualdi*

xatus, nec ideò tamen in lecto decumbens, nec jejuniorum rigorem relaxans, demum animam Deo reddit 19. Junij, et ſolitariam vitam ſolitario fine concludit, innumeris miraculis clarus.

TABULA SECUNDA CHRONOLOGICA

Cohærenter ad communem hypotheſim de morte S. Romualdi anno 1027. Interim compoſita Controverſia de tempore Honeſti, juxtà aliquam ex quatuor conciliationibus Capite VIII. indicatis.

Anno
Chriſti | *Romualdi*

907. | 1. RAvennæ ex Illuſtriſſima Ducum Stirpe, Sergio Patre, naſcitur ROMUALDUS.

922. | 15. Adoleſcentiam in Venerem proclivem mirà conſtantia corrigit, et à carnis lubrico revocat.

925. | 18. Inter venandum Eremiticę vitę quietem meditatur, ſuoſque jam voto concipit Anachoritas. Affi-

Anno

Chriſti | *Romualdi*

927. 20. Affinem de prati cujuſdam jure ſecū contendentem ad ſingulare certamen trahit, et ſolo ſternit Sergius Romualdi Pater. Filius huic ſpectaculo intereſſe coactus, licèt ab omni hoſtili actu ſe immunem ſervaſſet, quaſi homicidij reus, XL. dierum pœnitentiam in Claſſenſi Monaſterio ſibi deligit. Pij cujuſdam Converſi colloquio ad religioſæ vitæ inſtitutum accenditur, et Viſione S. Apollinaris ad hoc propoſitum exequendum bis incitatur. Monachorum pedibus advolutus habitum cum lacrymis flagitat, et Archiepiſcopi Ravennatis ſuffragio, ne Sergij Patris furorem timerent, interpoſito, impetrat, ſolidiſque virtutibus Monaſticæ diſciplinæ acquirendis ſedulò incumbit.

928. 21. Emenſo probationis annuæ curriculo ſollemnem Regulæ S. P. Benedicti profeſſionem Romualdus emittit, ſuoque exemplo nobiliſſimus Tyro vel Veteranis prælucet.

929. 22. Dum fervidus obſervantiæ zelator Monachos intempeſtiviùs arguit, eorum in ſe iram, et invidiam concitat Romualdus, ex alto in præceps jamjam impel-

lendus

Anno

Chriſti | *Romualdi*

lendus, dum quotidianis orationum ſuarum exercitijs vacaret, niſi conſpiratione cognita, periculum declinaſſet.

930. 23. Incredibili deſiderio ad majorem perfectionem aſpirans, venia ab Abbate Claſſenſi impetrata, ad Marinum, in Eremo Turris caliginis apud Venetos ſanctimonia celebrem, ſe recipit Romualdus, et ſolitariæ vitæ ſe totum addicit.

931. 24. Diſciplina pſalmodiæ Marini cum Romualdo, et utriuſque mirabilis abſtinentia. Minùs expeditè legentem Romualdum Marinus virga percutit, ac ſurditatis fermè periculo ſiniſtram ejus aurem exponit.

932. 25. Poſt longam patientiam Romualdus magiſtrum exorat, ut in dexteram partem verbera transferat. Magiſter Diſcipuli humilitatem admirans indiſcretę ſeveritatis temperat diſciplinam.

933. 26. Romualdum ab arrepto itinere deterrere varijs impugnationibus Diabolus nititur, nempè, et memoriam ingerens eorum, quæ in ſæculo comparare poterat, et relictas ingratis hęredibus opes in mentem revocans, et nullius meriti exercitia ſua futura ſuccenſens, et lon-

Q gioris

Anno Chriſti	Romualdi	
		gioris vitæ in tanta diſtrictione continuandę tædium, atque horrorem incutiens: quas omnes tentationes fortiſſimus Chriſti Athleta incredibili conſtantia ſuperat.
934.	27.	Importuno ſtrepitu, et tetris imaginationibus Romualdi ſomnum ſæpiùs abrumpit Diabolus, ſed incaſſum.
935.	28.	Sub Marini magiſterio inſigniter proficit Romualdus, et ſemper ad majora virtutum chariſmata æmulanda aſpirat.
940.	33.	Super ejus pedes, et crura nocturno tempore Diabolus inſidet, et ne huc, aut illuc ſe obvertat, typo phantaſtici ponderis per quinquennium aggravat.
945.	38.	Excutit tandem Dominus à Servo ſuo diabolici illius oneris incommodum, ut expeditior viam mandatorum ſuorum decurrat.
950.	43.	Sanctorum Anachoretarum Marini, et Romualdi fama apud finitimos populos ſpargitur.
456.	49.	Naſcitur Eugubij B. Ludulphus, inſignis S. Romualdi futurus Diſcipulus, et Congregationis celeberrimæ S. Crucis de Avellana Inſtitutor.
959.	52.	Petrus Uſeolus Venetiarum, et Dalmatiæ

Digitized by Google

Anno

Chriſti | *Romualdi*

matiæ Dux, poſt occiſum à populo Cādianum, inauguratur die 11. Auguſti.

960. 53. Egregijs Pietatis, et Fortitudinis ſuę argumentis totam Venetorum Rempublicam ſibi demeretur Urſeolus. Guarinus Abbas S. Michaelis in Aquitania Venetias peregrinatus, et ab Urſeolo hoſpitio exceptus, ad contemptum ſæculi illum diſponit.

961. 54. Accitis Marino, et Romualdo, poſt longam de ſalute Urſeoli conſultationem, hoc omnium communi ſuffragio decernitur, ut Dux Principatui nunciū remittens Monachum induat; qui, rebus omnibus compoſitis, kalendis Septembris cum Romualdo, Guarino, et Marino, nec non Joanne Gradenico, et Joanne Mauroceno, in Aquitaniam fugit, et in monaſterio Guarini, cum ſocijs, monaſtico Schemmate initiatur. Interim Marinus, et Romualdus non longe ab eodem monaſterio Eremum conſtruunt, et ad conſuetam ſolitariæ vitæ diſtrictionem revertuntur.

962. 55. Poſt emiſſam in monaſterio profeſſionem, Urſeolus, Gradenicus, Maurocenus, ipſeque Guarinus Abbas ad Eremum

Q 2 Romu-

Anno Chriſti | Romualdi

Romualdi, et Marini ſe recipiunt. Relucente ante alios Romualdi Virtute, omnium PRIOR communi ſententia eligitur, *M*arino ipſo Prælationis Cathedram cedente, omnemque tum ſpiritualium, tum temporalium rerum adminiſtrationem cunctis in Romualdũ transferentibus; Sic prima ORDINIS SUI FUNDAMENTA locat ROMUALDUS, qui miro abſtinentiæ exemplo ſuis præcurrens, per continuum hunc annum nullum alium habuit cibum, niſi tantùm per ſingulos dies unum pugillũ ciceris elixi.

963. 56. Romualdus, et Gradenicus ſarculis terram frangentes, et triticum ſeminantes, ex manuum ſuarum labore toti familiæ per triennium victum comparant.

964. 57. Rurſus diverſis Dæmonum impugnationibus S. Pater exagitatur, ſed malignos ſpiritus, velut alter Antonius, increpat, quòd è cælo dejecti in Eremo perſiſterent.

966. 59. Novam jejunij formam Romualdus ſuis proponit, in qua per 15. annos illos exercet, jejunio per totam hebdomadam, præterquàm Sabbati, et Dominicæ

Anno

Chriſti	*Romualdi*
	cæ diebus, continuato.
967.	60. Urſeolus ſub tantæ abſtinentię pondere penè languens Romualdo neceſſitatẽ ſuam humillimè aperit, cui diſcretus Pater quartam quotidianæ annonæ partem ſuperaddendam indulget.
968.	61. Comes, qui Ruſtico Romualdi familiari Vaccam rapuit, et S. Patris juſſa contempſit, divinitus punitur.
971.	64. Urſeolum ejus Filius inviſit, cui deferendum in Patria Principatum Pater prædicit, juſtitiamque erga omnes ſervandam commendat.
976.	69. B. Ludulphus cum Comite ſuo Barionio inter ſilvas abditus,ad Fontem Avellanæ cæleſti voce vocatus conſiſtit, et celeberrimæ Eremi fundamenta locat.
981.	74. Sergius Romualdi Pater ſæculo valedicit, et in S. Severi Cænobio apud Ravennam Monachum induit. Olibanum Comitem Romualdus ad meliorem frugem reducit.
982.	75. Remiſſionem Sabbati in quintam feriam transfert Romualdus, eamque vivendi Regulam, ſaluberrimis alijs præceptis munitam, cunctis ſectatoribus ſingularis vitæ præfigit. B. Petrus Urſeolus

natu-

Anno

Chriſti | *Romualdi*

naturæ cedit die 11. Januarij, miraculis poſt obitum illuſtris. Nuncio Ravennæ accepto de Patris inconſtantia, in Æmiliam reverti cogitur Romualdus, ut Sergium in ſancto propoſito confirmet. Incolas ejus diſceſſum impedientes, ſimulata inſania, eludens nudis pedibus Ravennam ſe confert, ac Sergij levitatem pia ſeveritate corrigit. Marinus, Guarinus, et Gradenicus cum Olibano Comite ad montem Caſſinum ſe recipiunt, Maurocenus Venetias redux à Tribuno Memo inſigne S. Georgij Majoris Cænobium ædificandum impetrat.

983. 76. Poſt Patris correptionem in palude Claſſis Cellulam figit Romualdus ad Pontem Petri. Sergius, viſo Spiritu Sancto, in cœlũ vocatur. Olibani Profeſſio. Marini in Apuliam ſeceſſus. Guarini ad Solymæ loca peregrinatio. Joannes Diſcipulus S. Romualdi, ob inobedientiam, equi calce percuſſus.

984. 77. Ad S. Martini in Silva ſe recipit Romualdus. Joannes ejus Diſcipulus, Caſſini recluſus, ſuæ inobedientiæ pœnas luit, et miris virtutum exemplis refulget.

985. 78. Dæmonum verberibus, et larvis affligitur

Anno

Christi | *Romualdi*

gitur Romualdus, ſed invocato Jeſu nomine, de iniquis ſpiritibus ſemper triumphat.

986. 79. Apud Balneum Monaſterium S. Michaelis conſtruit S. Pater.

987. 80. Hugonis Etruriæ Marchionis in Romualdum liberalitas. Eleemoſinas ſibi oblatas ad monaſterij Palatioli reparandum incendium deſtinans S. Pater, Monachorum in ſe odium provocat.

988. 81. *Monachi* in Romualdum impiè debacchantes divinitùs puniuntur.

989. 82. Eremum apud Bifurcum excitat Romualdus: Hinc non longè à Catria in Eremo Avellanę habitat, et B. Ludulphum loci Conditorem Solitariæ Vitæ pręceptis inſtruit.

990. 83. Regulam S. Benedicti cum certis Cõſtitutionibus Eremiticis obſervandam Avellanitis tradit Romualdus: Hinc S. Apollinaris apparitione admonetur, ut ad Claſſenſe *Mo*naſterium redeat.

991. 84. In Origario cellam figens, totus præ loci humiditate intumeſcit. Eo hinc diſcedente, ſpontanea roſarum germina locum fæcundant.

992. 85. Eremum in Pereo prope Ravennam

ædi-

Anno
Chriſti | *Romualdi*

ædificat, multis ſanctiſſimis Alumnis illuſtrem.

993. 86. Solo Orationis præſidio flammas Cellulę tectum depaſcentes reſtinguit. B. Guglielmus ejus Diſcipulus ibidem ſanctimonia clarus.

994. 87. Diſcipulos ſuos Joannem, et Benedictum Romualdus, iuxta petitionem Othonis, in Poloniam dimittit ad Chriſti fidem diſſeminandam.

995. 88. Imperator Otho Claſſenſibus Monachis optionem dat, quem malint ſibi præfici Abbatem: hi unanimes expetunt Romualdum. Otho ad Pereum venit, in cella Romualdi hoſpitio receptus. Poſt preces, et minas acquieſcit Vir Sanctus Imperatoris votis, et Abbatiæ regimen ſibi imponi patitur, et Monachos ſub diſtricta Regulę diſciplina moderatur.

996. 89. Coram Imperatore, et Ravennate Archiepiſcopo virga projecta, Romualdus Abbatiam dimittit. Tiburis obſidionem, placato Othone, ſolvi impetrat. S. Venerium, ne ſine Abbatis ſui venia Eremiticam vitam agat, abſterret. Imperatorem ſalutari pęnitentia expiat. Bonifacium, Tammum, alioſque Nobiles

ex

Anno *Chriſti*	*Romualdi*
	ex Aula Cæſaris in Eremum traducit. Joannes et Benedictus cum D. Adalberto varias Provincias, prædicationis gratia, diſcurrunt.
997.	90. Romualdus apud Caſſinum ægrotat, mox convaleſcit. Boleslai Filium Monachum induit, qui generoſum equum S. Patri donat. Hunc, humilitatis ſtudio, cum jumento commutat. Ad Pereum redit. Poſt S. Adalberti Martyriū Joannes, et Benedictus in Poloniam revertuntur. Monaſterium S. Mariæ Pomposæ cum Eremo contigua excitatur. Othonis Privilegium erga Ardefadum Abbatem Claſſenſem Romualdi Diſcipulum.
998.	91. Joannes, et Benedictus in Polonia multis Diſcipulis aggregatis Eremiticam Vitam propagant, in quibus Matthęus, Iſaac, et Chriſtinus Martyres, ac Barnabas Confeſſor, ſanctimonia illuſtres.
999.	92. Floret item ſanctimonia Eremus Perei. Bonifacij ante alios Virtus elucet, qui, ſui corporis inſigni maceratione, Martyrio proludit.
1000.	93. Pia S. Venerij mors. Monaſterium S. Adalberti in Pereo ædificatur, primo

Anno Chriſti	Romualdi	
		Abbate ex Romualdi Diſcipulis aſſumpto. Inſtat S. Pater apud Othonem, ut, juxta promiſſum, Imperio cedat, ſeque in Monaſterium recipiat. Differenti mortem prædicit.
1001.	94.	S. Bonifacius in Ruſſiam ad prædicandum Chriſti Evangelium à Romualdo miſſus. Otho varijs poſſeſſionibus S. Adalberti Monaſterium ditat. Romualdus Parentium migrat.
1002.	95.	Joannis, ac Benedicti, et Sociorum in Polonia Martyrium. Romualdi vaticinium morte Othonis Imperatoris impletur. Monachus à SS. Joanne, et Benedicto in Italiam miſſus, eorum paſſionis per Angelum admonetur, atque è carcere, in quem à Miniſtris Henrici Regis conjectus fuerat, eripitur. Romualdus apud Parentium in cella ſe recludit.
1003.	96.	Lacrymarum gratia Romualdus donatur. Diſcipulos ex Pereo ad ſe venturos prędicit.
1004.	97.	Rurſus à Bifurci Diſcipulis S. Pater viſitatur. Tractatum de pugna Dæmonum componit. Dum Parentio Bifurcum venit, procellam ſedat. B. Petrus de Bifurco ejus Diſcipulus claret. S. Boniſa-

Anno

Chriſti | *Romualdi*

nifacius per ignem illæſus tranſit, innumeroſque populos, eo miraculo, ad Chriſtum convertit: Martyrio demum coronatur. B. Joannes Romualdi Diſcipulus Caſſini recluſus moritur, et miraculis illuſtratur.

1005. | 98. Romualdus apud Vallem de Caſtro Eremum excitat. In Simoniacos detonat. Sua prędicatione populos in Dei amorem accēdit. Canonicorum Regularium Congregationem inſtituit. Cœnobium Puellarum conſtruit. Furem corripit. Plurimos ad Monaſticen vocat: Monaſterium prope Urbem Veterem ædificat. Ibidem B. Guidonem Pharulphi Comitis Filium ſancto habitu donat. Alijs tribus Monaſterijs brevì conſtructis, in Hūgariam ad Fidem Chriſti diſſeminandam, et Martyrium ſibi comparandum, proficiſcitur.

1006. | 99. Morbo impeditur, ne ulteriùs procedat, et ab itinere revocatur, quindecim ejus Diſcipulis progredientibus, qui innumeris pro Chriſto laboribus exercentur. Conſanguineo Adhelberonis Ducis converſo, cum alijs nobilibus, ad Monaſterium Urbis Veteris redit, et B. Guido-

Anno Chriſti	Romualdi	
		nis morti aſſiſtit. Tum ad Raynerium Marchionem ſe confert. Cæcus præbendarius ad Sepulcrum B. Guidonis viſum recipit, alijque à morbis ſoſpites ibidem redduntur.
1007.	100.	Ad Caſtrum Maſſilianum Romualdus Cœnobium conſtruit. Claſſenſe Monaſterium à Simoniaco Abbate redimere nititur: à ſuffocationis ſibi intentatæ periculo liberatur. Parentium rurſus proficiſcitur in Iſtriam, ſed Romani Pontificis, et Procerum Urbis authoritate in Italiam revocatur. Ad Vallem de Caſtro ſe recipit, ibique poſt vicennium ſe moriturum prædicit.
1008.	101.	In faucibus Callenſium montium habitat. In monte Petrano cellas à furibus immunes ſervat: alios latrones procul prævidet. Illicem in Ruſticum ruentem avertit. Monaſterium S. Trinitatis de Monte acuto, et S. Severi Perufij ædificat. Helempertus Aretinus Epiſcopus Abbatiam Pratagliæ conſtruit.
1009.	102.	In Monte Pregio habitat. Varijs Cœnobijs Ordinem amplificat, nempe S. Andreæ Eremum apud Hiſpellum, et Monaſterium S. Silveſtri de Monte Suba-

Anno *Chriſti*	*Romualdi*	
		Subaſio, et Monialium S. Mariæ Vallis Gloriæ Cœnobium conſtruit. Item S. Illuminatæ apud Tudertum pro Monachis, et S. Antonij pro Monialibus. Mox S. Marię in Campis prope Fabrianum, hinc S. Salvatoris de Aquapagana.
1010.	103.	Apud Gualdum ad Serram Sanctorũ in regione Tadini degit. Ad Monaſterium Vallis de Caſtro reverſus Abbatem corripit. Comitiſſam Sybillam alloquitur. Diſcipuli immodeſtiam prudenter carpit. B. Marinus in Apulia ab Agarenis interficitur.
1011.	104.	Vallecaſtrenſis Abbatis machinatione Romualdus inde eijcitur; ad Aquambellam in Apenninũ ſecedens, ibidem Eremum conſtruit. Preſbiterum à dentium dolore liberat. Paulo, et Gunthelino Diſcipulis eo loco relictis, recedit.
1012.	105.	Maldulus in ſuo Campo quieſcens Viſionem albeſcentium Monachorum per Scalam in cœlum conſcendentium conſpicit. Romualdum obvium habet, cui viſum narrat, et locum offert. S. Pater, conſulto Aretino Epiſcopo, Baſilicam S. Eremi ædificat, quam Theodaldus (Helemperti fortè Coepiſcopus) conſecrat.

crat.

Digitized by Google

Anno *Chriſti* | *Romualdi*

erat. Quinque cellis S. Pater totidem Diſcipulos addicit; per Quadrageſimam ibidem recluſus vivit. Fagum in cellam ruentem ſigno Crucis aliorſum avertit. A præcipitio divinitus immunis ſervatur. Hoſpitium Fontisboni conſtruit. Priore Camaldulenſibus conſtituto Petro Dagnino, diſcedit, et ad Montem Sitrię ſe recipit.

1013. 106. Eremum apud Sitriam ædificat. Impuros Romani mores redarguens infami calumnia ab eo viciſſim afficitur. Velut pœnitentię obnoxius, per ſex menſes à Sacris abſtinet.

1014. 107. Romualdus divinitus celebrare jubetur. Idem in extaſim raptus, ut Pſalterij expoſitionem ſcribat, in mandatis accipit. Animam ſuam Nivis inſtar candidam divino conſpectui repręſentari videt. Per ſeptennium voluntario ſuę Cellæ Carceri incluſus ſilet.

1015. 108. Pſalterium Davidicum, et nonnulla Prophetarum Cantica luculenter exponit.

1016. 109. Suo exemplo ad inſignem auſteritatē Monachos Sitrię perducit. Singularis gulæ illuſio.

Gre-

Anno Chriſti	Romualdi	
1017.	110.	Gregorium inſufflando ſanat. Inſanum oſculo curat Romualdus.
1018.	111.	Dæmoniacum fruſtulo panis liberat. B. Bonus Monaſterium S. Michaelis in Burgo Piſarum ædificat.
1019.	112.	Gregorium rurſus ab elephantiaco morbo S. Pater aqua frigida liberat. Aqua, unde manus Romualdi ablutæ ſunt, varijs morbis medetur.
1020.	113.	Diſcipulum Romam euntem per Spiritum agnoſcit. Ingelbertus incredulus, ſibi perſeverantiæ jacturam imprecans, fracto recluſorio, à Romualdo deficit.
1021.	114.	Romualdus in Monaſterio S. Vincentij habitat. B. Berardi ejus Diſcipuli obitus. Gaudentij ad Ingelbertum defectio. Ejus mors, et orationum privatio, ob inobedientiam. Ob viſionem Monachi, qui ad ſepulcrum Berardi ſanatus eſt, Romualdus Gaudentij animam expiari indulget. Diſcipulus in Romualdi lectulo ſine licentia cubans à Dæmonibus verberatur: alius ibidem, cum Magiſtri venia, incolumis jacet. Arduinus convertitur. Uxor inſana benedictione panis S. Romualdi ſanatur. Diabolus Viro Sanctiſſimo dum mortem mina-

tur

Digitized by Google

Anno
Chriſti | *Romualdi*

tur, cellæ parietem frangit. Idem ſpecie canis Romualdum equitantem exterret.

1022. | 115. Romualdus Monaſterium Monialium in Vallebona ædificat. Diabolus obſtrepens à pio Diſcipulo in nomine Sanctæ Trinitatis fugatur. Cœnobium S. Pater in Sitria, ob Diſcipulorum multitudinem, conſtruit. Bifurcum ſecedit. Cum S. Henrico Imperatore colloquitur, et ab eo tum privilegium pro Monaſterio S. Benedicti ad Bifurcum, tum donationem Cœnobij Montis Amiati impetrat.

1023. | 116. Varijs adverſitatibus apud Montem Amiatum Romualdus premitur. Monachus S. Patri inſidias ſtruens, à Dæmone jamjam præfocandus, Romualdi nomine invocato, eripitur.

1024. | 117. Concluſus aquis Romualdus cibum ſibi, et Diſcipulis cęlitus deferendum agnoſcit. Eremum S. Petri ad vivum ædificat. Eccleſia S. Michaelis Templani Gregorio Vallis Caſtri Abbati donatur.

1025. | 118. Romualdus iterum redux in Sitriam: Piſcis magno hoſpiti apponendus in arido rivo repertus.

1026. | 119. Poſt varia rurſus habitationum loca,

Diſci-

Digitized by Google

Anno Chriſti	Romualdi	
		Diſcipulis fermè ubilibet viſitatis, ad Monaſterium Vallis de Caſtro ſe recipit Romualdus, et cellam ſibi parari jubet, in qua uſque ad obitū recluſus maneat.
1027.	120.	Per ſex menſes cum morbo luctatus, tandem humanitati cedens, Diſcipulis abire juſſis, nemine aſtante, Spiritum Deo reddit, et Solitariam vitam ſolitario fine concludit die 19. Junij, innumeris, ut in vita, ſic poſt obitum, miraculis clarus.

N O T Æ

Ad duas Tabulas præcedentes.

I. NE quis Chronologicam Seriem, in utraque præcedenti Tabula expanſam, arbitrariò confictam putet, aut non alio, niſi quod caſus tulerit, conſilio digeſtam, operæ pretium exigeret, ut fundamenta indicarem, quibus nixus, potui, ac debui Geſta qualibet ad eos annos, quibus juxtà utramlibet hypotheſim notata ſunt, revocare. At nimis id longum foret, ac tædio plenum, et apud diſcretos Lectores minimè neceſſarium, quos monere ſufficiet, ſingula juxta certam, aut veroſimilem rationem fuiſſe diſpoſita, prout S. Petri Damiani hiſtoriæ, et ipſius S. Romualdi vitæ

ſeries poſtulare videbatur; quod inde conſtat; quòd plurima ex his factis in utraque Tabula vel eundem annum Chriſti, vel eundem S. Romualdi ætatis annū reſpiciunt, vel certo ab invicem intervallo temporis utrobique ſeparantur; prout talis naturę ſunt, aut ejuſmodi circumſtantijs implicantur, quæ fixum tempus, aut determinatam à Chriſti vel Romualdi Nativitate diſtantiam important, ſive cum alijs ejuſdem Romualdi, aut Pontificum, Imperatorum, ac Principum Geſtis connectuntur, ijſque quodammodò alligantur. Nec tamen interim diffiteor, multa ſuperfuiſſe, quæ certam adeò ſedem ſibi minimè expoſcerent, niſi quatenus, ex Petri Damiani narratione (cujus ordinem nunquam, citra neceſſitatem, violandum eſſe, perſuaſum habui) alijs Geſtis celebrioribus, et aliquo demum reſpectu ad certum annum conſtanter trahendis, proxima eſſe videbantur, ideòque veroſimiliter ad replendas lacunas, circà reliqua notioris temporis Geſta reſiduas, jure meritòque deſtinari debuerant.

II. Nonnulli dumtaxat circa hanc noſtram diſpoſitionem ſcrupuli ſupereſſe poſſunt; ex quibus primò illud admiratione dignum occurret: Ecquid rei ſit, cur diverſas Diaboli pugnas, quas Romualdus ſuſtinuit, quæ uno eodemque cap. 7. à Petro Damiani poſt Urſeoli Converſionem, et aſſumptum à Romualdo Eremitarum magiſterium, narrantur, nos ita diviſerimus, ut earum aliquas in Tab. I. ad annum Romualdi 25. et ſequentes, in Tab. II. ab anno Romualdi 26. et deinceps, dum adhuc S. Pater in Eremo Veneta

apud

apud Marinum conſiſteret, ante converſionem Urſeoli, recenſeamus, alias verò in prima Tabula ad annũ Romualdi 47. in ſecunda ad annum 57. conſignemus? Cui quæſtioni reſpondeo, ex ipſo Damiani textu patere diviſionis hujus neceſſitatem; enimverò quæ prima hujus 7. capitis parte refert Damianus, tametſi poſt Urſeoli Converſionem narrentur, primos S. Romualdi apud Marinum in Veneta Eremo latentis, atque in Eremiticæ Vitæ tyrocinio poſiti, annos reſpicere conſtat ex ea clauſula, quam eo loci Damianus uſurpat; *Maximè initio converſionis*; nec non ex tentationum illarum qualitate, qua notat, *Diabolum Romualdo in memoriam revocaſſe, quæ et quanta, ut putà Vir ſtrenuus, in ſæculo acquirere potuit; modò quæ ingratis propinquis nec dum poſt ſe concupiſcibiliter hæreditanda reliquit &c.* Quæ ſanè S. Virum adhuc novitium ſupponunt, nec adeò provectum, cui ipſe Marinus Eremiticum Magiſterium jam ceſſiſſet. Ubi verò in poſteriori parte hujus capitis ſubdit Damianus: *Quis explicare valeat, quot frementes vitiorum beſtias pertulit? &c.* De Romualdo in Gallica Eremo, poſtquàm illi Urſeolus, et Socij adjuncti fuerant, loqui S. Doctorem manifeſtum eſt, ex quo ſubinferat. *Undè etiam ſi Fratrum aliquis ſilentij tempore cellam ejus, quavis neceſſitate compulſus, adiret: ſtatim miles Chriſti paratus ad prælium, ſolito more ipſum eſſe exiſtimans Diabolum, claris vocibus increpabat &c.* Etenim in Eremo Veneta cum ſolo Magiſtro Marino verſabatur: tantùm autem in Gallijs, poſt Urſeoli converſionem, Fratres alij occurrere poterant, qui Cellam illius horis intem-

peſtivis adirent *Quavis neceſſitate compulſi*, quandoquidem ſpiritualem, ac temporalem Familiæ totius curã in ſe ſuſceperat.

III. Secundò interrogare quis poterit, cur priori Tabula ad annum Chriſti 984. et 985. ac poſteriori ad annos 983. 984. *Joannem* neſcioquem S. Romualdi Diſcipulum notaverimus, cujus inobedientia equi calce punita eſt, quique in maxima pœnitentia recluſus apud Caſſinum vitam finivit, cùm ex Petro Damiano cap. 12. et 15. Vitæ S. Romualdi, is videatur fuiſſe *Joannes Gradenicus?* Reſpondeo, me conſultò *Gradenici* cognomentum eo loco ſubticuiſſe, nam ex noſtris Cõmentarijs in Vitam S. Romualdi cap. 15. liquet, Joannem hunc à Gradenico longè diverſum fuiſſe; hic enim apud Caſſinum poſt 30. annos recluſionis ſanctiſſimè obijt, ut habet Damianus: at Gradenicus, ut obſervat Mabillonius Sæculo V. Benedictino in Vita B. Petri Urſeoli, cum Olibano in Gallias redijt; imò inde Venetias adnavigavit, ut ex monumentis Archivij S. Georgij Majoris Venetiarum notat Arnoldus Uvion in Martyrologio Monaſtico ad diem 24. Septembris: ibidemque Joanni Mauroceno S. Romualdi diſcipulo, primoque dicti Monaſterij Abbati præmortuo ſucceſſit; traditurque eundem Joannem Gradenicum fuiſſe, qui S. Gerardo Sagredo (jam ab Anteceſſore Mauroceno ad Monaſticum habitum admiſſo) ad Hieroſolymorum loca viſitanda poteſtatem indulſit, qua in peregrinatione ſibi Apoſtolatum, Epiſcopatum, et Martyrium apud Hungaros promeruit. Accedit,

quòd

quòd et Graviſſimus Auctor Petrus Diaconus lib. de Ortu, et Vita Juſtorum Sacri Monaſterij Caſſinenſis duos S. Romualdi Diſcipulos eodem Joannis nomine apud Caſſinum floruiſſe docet, alterum *Joannem Gradenicum*, de quo agit num.53. alterum verò, quem alium *Joannem* S. Romualdi pariter Diſcipulum vocat, num. 54. *Qui Cellam apud Caſſinum habuit, in qua et per* 30. *annos incluſus eſt, &c.* ubi addit ea ipſa, quæ Damianus de noſtro hoc Joanne commemorat; ſed et Arnoldus Vvion in Append. Martyrologij litt. I. utrumque diſtinguit: quemadmodum et Gabriel Bucellinus in Menologio, dum de priori die 20. Februarij, et 5. Decembris, S. Joannis Gradenici nomine, agit; de poſteriori verò die 4. Martij ſub Ven. Joannis D. Romualdi apud Caſſinum Diſcipuli, titulo. Quod attinet verò ad Petri Damiani auctoritatem,qui de uno eodemque Joanne Gradenico loqui videtur, commodam interpretationem recipit in noſtris Commentarijs loco citato.

IV. Tertiò, cur in utraque Tabula miſſionem SS. Joannis, et Benedicti in Poloniam, anno Chriſti 994. antequàm Romualdus Abbatiam Claſſenſem ſuſciperet, in prima videlicet ejus apud Pereum habitatione, factam ſuppoſuerimus, non immeritò quæri poteſt: quandoquidem hæc à Petro Damiano cap. 28. narratur, quaſi eo tempore contigerit, quo poſt Abbatiam dimiſſam *Romualdus ad Pereum, ubi dudum habitaverat, redijt*, ex cap. 26. cum imò poſt S. Bonifacij expeditionem in Ruſſiam [quæ à nobis anno 1001. conſi-

gnatur]

gnatur] hęc Sanctorum Joannis, et Benedicti ad Apoſtolicum munus evectio contigiſſe, juxta ordinem à Petro Damiano obſervatum, videatur. At repono, quòd cùm Romualdus, Othone Tiburtinam Urbem obſidente, adeòque anno 996. Abbatiam dimiſerit, et poſtea Bonifacium ad Eremum Perei duxerit (cap 26.) *Si poſt diuturnam Eremiticæ Converſationis vitam* [ut teſtatur Damianus cap. 27] Bonifacius ad Gentes ire diſpoſuit, non potuit ante annum 1001. Pereo diſcedere; Joannes verò, et Benedictus, etiamſi anno 1005. (ad quem ad ſummùm, cum nonnullis Scriptoribus, eorum Paſſio diferri poſſet, quæ nobis anno 1002. accidit) Martyrij palma donati dicerentur, cùm ſeptẽ annos in Polonia exegerint (ex Damiano cap. 28.) debuerunt certè in Poloniam ante Bonifacium dimitti; at ex altera parte præſens non aderat Bonifacius, cùm Joannes, et Benedictus ſeſe Romualdo obtulerunt, ut eos, juxtà Imperatoris voluntatem, in Poloniam dirigeret [ſi enim præſens ille aſtitiſſet, ut erat Martyrij cupidiſſimus, Damiano teſte cap. 27. ſeſe utique Romualdo ante alios, vel cum alijs obtuliſſet, ne tam pulchræ occaſioni deeſſet, cum S. P. in omnium optione poſuit, quis nobilem hanc Spartam exornandam ſuſciperet; et tamen Damiani teſtimonio cap. 28. *Duo ſolummodò ſunt ex omnibus inventi, qui ſe ultro ad eundum promptos offerrent: quorum unus Joannes, Benedictus alter vocabatur.*] Ergo nondum ad Perenſem Eremum tunc Bonifacius venerat: venit autem cùm Romualdus ſecundò ad Pereum redijt; igitur non in ſecundo, ſed in

primo

primo Romualdi apud Pereum incolatu, adeòque ante ſuſceptum Claſſenſis Monaſterij regimen, Joannes, et Benedictus ad Evangelium Gentibus prædicandum ſunt profecti.

V. Denique illud etiam movere poteſt, cur utrobique ad annum 1022. Privilegium referam Henrici Imperatoris, quo S. Romualdo Abbatiam S. Benedicti ad Bifurcum munificentiſſimè donavit: quando Didacus Franchus, Auguſtinus Lubin, Ferdinandus Ughellus, et alij id anno 1012. contigiſſe, ipſiusmet Diplomatis fide, confirmant. Sed enim advertendum eſt, illius Diplomatis numeros malè conſignatos omnibus impoſuiſſe: cùm enim ſubſcriptum eſſet revera hoc modo: *Datum anno Dominicæ Incarnationis MXXII. Indictione V.* perperam ab Antiquarijs exſcriptum eſt: *Datum anno Dominicæ Incarnationis MXII. Indictione X.* (uno X. nimirum ibi ſubducto, hic verò lineis infra angulum protractis, et V. in X. commutato) Nec ſaltem ex ſequentibus verbis, quæ tamen integra ab Ughello referuntur tom. 2. pag. 513. videlicèt: *Anno verò Domini Henrici II. Regnantis XXI. Imperantis verò VIII.* in ſuſpicionem evidentiſſimi erroris ullus inductus eſt, cùm pateat, has notas ad annum 1022. non 1012. referri: ſiquidem Henricus anno 1001. Rex Germaniæ, et 1014. Romanòrum Imperator eſt coronatus; undè annus Regni XXI. et Imperij VIII. in annum 1022. à nobis deſignatum, non in annum 1012. quadrare poteſt.

VI. Cæterùm, quòd aliorum etiam Monaſteriorum,

quę

Digitized by Google

quę in S. Petri Damiani hiſtoria minimè commemorantur, mentionem his Tabulis iniecerim, quaſi à S. P. Romualdo conſtructa fuerint, id non ſine Scriptoris, aut Traditionis alicujus authoritate factum eſt. Proſtrant Ludovici Jacobilli Tomi de SS. Umbriæ, in quibus hæc dudum notata inveniuntur; nec Petri ejuſdem Damiani repugnat ſuffragium, qui cap. 69. indicat, pluribus, quàm quæ ab ipſo recenſentur, Cœnobijs, atque Eremis Ordinem ſuum à Beatiſſimo Viro Romualdo fuiſſe amplificatum. *Vir denique Sanctus permulta alia habitavit loca, quæ nos deſcribere ideò prætermittimus, quia longioris ſtyli prolixitatem vitamus.* Nec dubium ſanè, quòd ſi omnia S. Patris Geſta accuratius, quàm pro illius rudis ſæculi ſimplicitate, notata haberemus, longè majori cumulo Chronologiam noſtrã implere potuiſſent; quę tamen ſatis vel ſic conferta videbitur, ad longævæ S. Romualdi Ætatis demonſtrationem: vix enim breviori temporis curſu hæc omnia exerceri debuiſſe judicabuntur.

F I N I S.

ET NE AUFERAS DE ORE MEO VERBUM VERITATIS USQVEQVAQVE. Pſal. 118.

DISSERTATIO III.
DE VISIONE SCALÆ
S. ROMUALDI,
ET HABITUS MUTATIONE PRÆTENSA.

Digitized by Google

DISSERTATIO III.

DE VISIONE SCALÆ S. ROMUALDI, ET HABITUS MUTATIONE PRÆTENSA.

CAPUT I.

Exponitur, et propugnatur Auctoris Propoſitum.

SYNOPSIS.

Veritas Hiſtorico propoſita quandoque latens. n. 1. *Auctoris de præſenti argumento varia ſententia.* 2. *Determinationis, et editionis neceſſitas.* 3. *Novitatis calumnia propulſa.* 4. *Item præiudicatæ opinionis.* 5. *Oppoſitæ ſententiæ probabilitas penitus non adempta.* ibid. *Cl. Montfauconij ad Auctorem Epiſtola Diſſertationem approbans.* 6. *Nec tamen abſolutè à nobis Romualdi Scalam negari.* 7.

I. PRæcipuum Scriptoris, et maximè Hiſtorici officium eſt, Veritatem temporis filiam, de tempore triumphantem, noſtri animi amores, noſtræ mentis obſequia ſibi unicè demerentem, omnibusque iure optimo præferendam, aut è tenebris in lucem aſſerere, aut pridem aſſertam contra opprimentium conatus novis rurſus præſidijs confirmare, aut mendaciorum, errorumque caligine offuſam diligenter abſtergere, purioribusque luminibus illuſtrare. At non rarò contingit, illam, velut in Democriti puteo, tam altè demerſam latere, ut ne longa quidem hinc extrahi poſſit argumentorum catena, ſæpe etiam potentiorum hominum invidia funis eò uſque pertingentis usũ interdicente: quò fit, ut prædæ latentis cupidine magis illecti, quàm ejus obtinendæ aliquando deſperatione deterriti, ijſdem ſæpe veſtigijs recalcandis inſiſtamus, ijſdem, aut paulò diverſis machinis admovendis fruſtrà immoremur, et [quòd ſitienti Lupo in more poſitum tradunt] circùm ipſius putei crepidinem oberrãtes, chorum agamus.

II. Id in præſentis Controverſiæ judicio determinando mihimet eveniſſe nequaquam inficias ibo, Lectores optimi, quibus nunc mea circa propoſitam quæſtionẽ cogitata ſincerè communicare ſtatui; nec diffitebor, tam incerta, et dubia luce ſententiam illam, quæ vulgari traditioni favet, perfuſam mihi olim apparuiſſe, ut me, non animi levitate, vel inconſtantia, ſed circum-

Digitized by Google

cumſpectionis ſtudio, et ſinceritatis amore, in varias, et oppoſitas perſæpe vias anxium abduxerit, prout ex hac, vel illa parte in profundum hunc puteum proſpectanti apertior, aut tutior ad veritatem eruendam aditus videbatur. Hinc factum eſt, ut in compluribus Lucubrationibus meis hiſtoricis communem de Romualdi Viſione opinionem admiſerim magis, quàm probaverim, ſolam nigri habitus in candidum mutationem, quæ Viſioni huic adnecti ſolet, impugnaſſe contentus; mox, novis contra utramque pariter emergentibus argumentis, pleniori Diſſertatione commentitiam utramque aſſerere non dubitaverim; et, non ſine quadam hæſitatione, priorem ſententiam paulò poſt reſumere conatus ſim, ex picturarum vetuſtate qualemcunque illi probabilitatem concilians, idque vel maximè contra obſtrepentium auctoritati deferendum aliquid ratus, quòd multi Diſſertationem illam, velut invidioſam, et recentioribus Criticis nimis faventem, improbarent, quanquàm non pauciores, ijque ſpectatiſſimæ eruditionis, ut neceſſariam, et optimis fundamentis innixam commendantes, ad eam ipſam evulgandam animum adijcerent.

III. Temperandum mihi tamen, et ab editione tantiſper eſſe ſuperſedendum cenſui, ne quid in re tam ancipiti committeré, quod præcipitis judicij notam ſubire poſſet: omnia interim excutere, ſingula rurſus expendere, atque animo à quibusvis partium ſtudijs alieno, voci veritatis, undeunde ſe proderet, utramque pariter aurem accomodare, ſentētiam utramlibet, quæcun-

cunque demùm antiquis monumentis congruentior appareret, omni reſpectu poſthabito, excipere paratiſſimus; cùmque nihil non conſpirare deprehenderem adversùs receptam de hoc argumento vulgi opinionem, evicit Veritatis amor, ut diſſentiendi rationem publicè proponerem, *non enim* (inquit Apoſtolus 2. Cor. 13.) *poſſumus aliquid adversùs veritatem, ſed pro veritate*, nec candido, ſincero, et ingenuo, ac Geometriæ præſertim ſtudijs exculto animo convenire arbitrabar, ut veritati fucum diutiùs fieri pateretur. Acceſſit et reliquas Diſſertationes Camaldulenſes edendi neceſſitas, quibus decuit, ut hanc non omnium poſtremam adjungerem, tanquàm cæteris illuſtrandis maximè opportunam, cùm adeò ſit affinis, et congruens ſingularum materies, tam connexa omnium argumenta, ut à ſe viciſſim dependeant, et mutuam ſibi lucem concilient.

IV. Nihil eſt ergo, quòd me aut novitatis amantem, aut præconceptæ opinionis tenacem temerè accuſent, ſiqui eam ipſam, quam minimè voluiſſent vel in dubium revocari, hìc impugnatam ſententiam offendent: ab utriuſque ſiquidem calumniæ nota me tam procul abeſſe, meique inſtituti progreſſum, ac denique ſtudiorum finem diſtare tam longè ſentio, quàm qui maximè. *Illud* quidem cum Cicerone *teneo*, *nervos, atque artus eſſe ſapientiæ non temerè credere*, atque homini ſobrio cavendam eſſe duxi *eorum levitatem*, *qui* (ut ait Melchior Canus lib. 11. cap. penult.) *Mulierculariun more, quod nimis miſeri volunt, hoc facilè credunt*: cujus et exemplum affert; *Nam et ætas noſtra Sacerdotem vidit,*

cui

cui perſuaſiſſimum eſſet, nihil omninò eſſe falſum, quod ſemel typis fuiſſet excuſum. Miſeranda ſanè hominis ignorantia, potiùs quàm ludenda, qui uſqueadeò, aut bonus, aut ſtultus erat, ut omni narrationi ſtatim crederet, ſi modò eſſet litteris prodita: at neque me à receptis ſententijs, ob infirmas dumtaxat recentiorum conjecturas, judicij levitas unquàm abduxit; Nimirum antiquitati, non novitati meos ſemper labores cenſui litandos, nec enim quicquam veritate antiquius habui, vel exiſtimavi, recentiorum conjecturas idcircò ſuſpectas, ſin minùs convictas erroris eſſe contendens, quòd antiquitatis monumentis minimè reſpondere deprehenderim. Veterem opinionem reſtituere, ac novam nuper inventam refellere conatus, an ipſe novitatis auceps vocari, an eos, qui contra ſentiunt, novitatum tenaces appellare debeam, alij judicent. Ego illos pariter antiquitatis, non novitatis ſtudioſos nihilominùs ſuppono, nec enim cauſæ meæ præſidium in referenda criminationis vice poſitum ſcio, et alìàs in oppoſitæ opinionis aſſertione illos ideò confirmatos puto, quòd ſatis vetuſtę, quantùm ipſis videtur, traditionis ſe vindices eſſe arbitrentur; adeòut de antiquitate excipienda, deque novitate vitanda inter nos fermè conveniat, utram verò opinionem inficiat novitas, confirmet antiquitas, tantummodò diſcrepemus.

V. Quod quidem incolumi licere amicitia patet, cùm, et ipſe à me toties, ut ſuprà retuli, in obſcuriſſimo hoc argumento diſcrepaverim, adeò non propriæ ſententiæ pertinaciter unquàm adhæſi, quam etſi alteri

teri nunc præferam, olim poſtpoſui, nullumque non movi lapidem, ut quę faverent adverſæ opinioni colligerem, in præſenti Diſſertatione minimè diſſimulanda, cùm non omnem prorſus aditum ad illius probabilitatem obſtruere propterea præſumam, et ſiquando commentitiam, aut fictitiam ejus hypotheſim appello, id vel præfervidæ diſputationis expreſſioni dandum, vel non ſine addito *probabilis*, aut *probabilioris* enunciationis temperamento, ut vis argumentorum feret, intelligendum volo, ne mihi id arrogare videar, quod contrariæ ſententię aſſertores jactare ſolent, tam indubiam, et exploratam ſcilicet rem eſſe, ut ne hiscere quidem in oppoſitum liceat: Nimirum evidentiæ notas probè agnoſcimus, haſque in re hiſtorica paſſim deſiderari fatemur: Quòd ſupereſt, gravibus ſaltem momentis, quæ prudentem aſſenſum alliciant, Diſſertationes noſtras ſuperſtruere contenti ſumus. Utinam vacuo præjudicijs animo legi mereantur, quod unum remorari poſſe legentium ſuffragia ſenſit hac in re Vir Eruditiſſimus D. Bernardus de Montfaucon è Congregatione S. Mauri Monachus, accuratiſſima S. Athanaſij græco-latina editione, Diario Italico, Euſebij Cæſarienſis in pſalmos Commentarijs, alijſque Operibus clarus, cui, dum Piſas diverti ſſet, hanc ipſam Diſſertationem examinandam committere placuit; Is verò nonniſi poſtquàm Bononiam pervenit, ejus expendendæ copiam adeptus, integram tandem remiſit, additis humaniſſimis litteris ſuis, quas opportunè hic per extenſum adducere, ad fidem rei conciliandam, conſultius exiſtimavi.

VI. *Vix*

V. C.

VI. *Vix demùm tantillum otij nactus ſum, Vir Eruditiſſime, ut et voto meo, et expectationi tuæ facerem ſatis: Diatriben illam tuam de Viſione S. Romualdi, quam tu commentitiam probas, perlegi, et in tuam abij ſententiam, æſtimoque omnes, ſiquidem præjudicatam quamlibet opinionem ponere velint, tibi calculum addituros. Opuſculum remitto tibi, Vir Amiciſſime. Inſcriptiones Piſani Vaporarij accepi, maximamque de munuſculo habeo gratiam. Siquid meæ facultatis erit, in quo tibi operam commodem, ea uti ne gravere. Salutem plurimam dico D. Petro Benedicto, nec non D. Equiti* (Lucæ) *Albitio, cujus conſortio, et urbanitate non pro libito frui licuit per moras Piſanas, quia illis diebus nauſeabam ſtomacho. Vale Vir Amiciſſime, et de Republica Litteraria benemereri perge. Bononiæ nonis Aprilis* 1701.

Fr. B. de Montfaucon

VII. Moneo tamen [nam hoc inſuper iis, à quibus diſſentio largiri placet] illam ſolam à me Romualdi Viſionem Scalæ hìc in dubiũ vocari, quæ Camalduli contigiſſe dicitur, quæque et Ordinis inſtitutioni præluxiſſe, et habitus mutationi anſam dediſſe ſupponitur; Non enim abſolutè inficior Scalam à Romualdo alibi viſam, ſive in Gallia, ſive in Sitria, ut ex Bucellino infra cap. 8. nu. 3. animadverto. De hac ego nihil pronuncio, ipſam amplexentur, circumferant, deoſculentur: nihil moror, extra argumentum Diſſertationis hujus eſt, noſtræque conſiderationi ſubducere illam maluimus, quàm longiorem contentionis funem ad ejusmodi Scalam exporrigere.

CAPUT II.

Expoſitæ Viſionis, et Mutationis habitus traditioni mirandum Petri Damiani de utraque ſilentium opponitur.

SYNOPSIS.

Hiſtoria examinandæ brevis expoſitio. n. 1. *Recentiorum de re antiquiſſima teſtimonium vetuſtis monumentis inniti debet.* 2. *Petrus Damiani Camaldulenſem Eremum à Romualdo ædificatam referens, nihil de Viſione, ac mutatione habitus innuit.* 3. *Licèt fusè de Romualdi Inſtituto, deque ejus, et Diſcipulorum habitu nonnihil locutus ſit.* 4. *Multa à Damiano omiſſa, ſed non ideò illa ipſa à nobis divinanda, evincitur Evangelico exemplo.* 5. *Scitu neceſſaria novitijs in diſciplina Romualdi inſtituendis ſe non omittere teſtatur Damianus.* 6. *Album Monachorum habitum ex illuſi Chriſti imitatione, non ex Viſione Romualdi deducit Damianus.* 7. *In S. Vincentij cœnobio inter Romualdi Diſcipulos ejus vitam ſcripſit, fortaſſe et in Camaldulenſi Eremo converſatus eſt S. Doctor.* 8. *Candidus habitus etiam Avellanitis in uſu fuit.* 9. *Quod ex picturis confirmatur.* 10. *Fortunius, et Minius Romualdi Animam in Viſione Scalæ ante Deum delatam aſſerunt.* 11. *Quàm incredibile, Damianum de Animæ delatione loquentem, de Scala eodem actu viſa ſiluiſſe!* 12. *Obiectio de connexione*

harum

- *barum Viſionum gratis fortaſſe conficta . 13. Oſtenditur ejus, et ipſius Scalę Viſionis, ac mutationis habitus par ratio. 14.*

I. SEd jam rem ipſam aggrediamur. Vulgata Viſionis hujus traditio, quam Hiſtorici examinis cenſuræ ſubijcere, atque à commentitijs adiunctis repurgare intendimus, ejuſmodi ferè deſcribitur. Romualdus, inquiunt, circa annum Domini 1012. (aut fortè ſeriùs, iuxtà ea, quæ in Diſſertatione II. de Ætate S. P. Romualdi cap. 6. expendimus) in agro Aretino ad Campum Malduli conſidens, dum longo itinere fatigatus quieſceret, ſcalam miræ pulcritudinis, Cœlum quaſi ſuo vertice tangentem [qualem, juxtà quoſdam, ante, juxtà alios, poſtmodum Maldulus Patritius Aretinus Loci dominus Romualdo obviam factus, narravit ſibi poſt venationis laborem dormienti apparuiſſe] per viſum ſibi exhibitam, ad inſtar Jacob Patriarchæ videre meruit, per quam albeſcentium Monachorum videbatur aſcendere multitudo: Quo cæleſti myſterio Vir Dei colluſtratus, de mutando, catenus, juxtà Cluniacenſium Monachorum morem, nigro in candidum Monaſtico, et Eremitico ſchemmate deliberavit, atque albis deinceps veſtibus Camaldulenſes abs ſe tum inſtitutos incedere juſſit. Sic nobis hanc hiſtoriam deſcribunt Fortunius, Ractius, Minius, qui res geſtas Camaldulenſium illuſtrarunt, atque exteri plurimi, hauſtis ab eodem fonte notitijs, de noſtrorum origine ſcripturientes. Nunc propoſitæ narra-

Digitized by Google

tionis fundamenta, rem altiùs repetentes, expendamus.

II. Certum eſt, novos ſcriptores, de antiqua re ab aliquot ſæculis prælerita [quales ſunt quotquot hanc viſionem, et habitus mutationem Romualdo tribuunt] teſtimonium ferentes, niſi antiquioribus documentis nitantur, et ſecluſa peculiari revelatione, qualis hìc minimè præſumitur, apud cordatos, ſolidæque veritatis amantes viros, ſibi fidem promereri non poſſe; Quis enim hoc in dubium vertere audeat, niſi planè ſtuppeus ſit, dignuſque, cui ab omni fabulatorum republica inſigniter imponatur? Niſi hiſce cancellis ſe contineat Hiſtoria, qualem ſeræ poſteritatis fidem exiget, qualem impetrabit? Si Camaldulenſe quoque cingulum in Romualdi manus cęlitus delapſum inclamet hiſtoricus quiſpiam, et pro ſui ſæculi ſimplicitate, rudiorumque ejus temporis hominum credulitate, fidem obtineat, an erit hoc erudito ſæculo qui ſuam quoque ſagacitatem hoc commento falli permittat? an non fundamenta Romualdi ſæculo, ſi non coęva, ut minimùm proxima ſedulus expendet, quę niſi inaudito miraculo fidem concilient, ad ſomnia, et fabulas novæ narrationis audaciam meritò relegabit? *Quod à recentiori auctore, de rebus antiquis, ſine alicujus vetuſtioris auctoritate profertur, contemnitur*, inquit Illuſtriſsimus Eccleſiaſticæ hiſtoriæ Parens Baronius tom. 1. Annalium num. 12. Supereſt ergo, ut præmiſsæ pariter Scalę Viſionis, mutatique coloris argumenta Romualdi ſæculo proximiora recolamus, ac diſcutiamus, quibus

fidem

ſidem propoſitæ narrationi debitam metiamur.

III. Et quidem foret, ordine temporis, à Thedaldo Aretino Epiſcopo exordiendum, ex artis verò præceptis, à B. Rodulpho quarto Camaldulenſi Priore, ad quem dum provocant Viſionis, et Mutationis hujuſmodi aſſertores, eſſent illicò, et ſufficientiſsimè contrario illius ſuffragio convincendi; Sed potior mihi ratio eſt B. Petri Cardinalis Damiani, qui cùm S. P. Romualdi vitam, tertio dumtaxat poſt ejus obitum luſtro, ideſt juxta communem ſententiam anno 1042., juxta noſtram anno 1052. nec exiguo volumine, nec indiligenter complexus ſit, debuerat ipſe, ſiquis alius, rem adeò celebrem, hodieque inter ejus geſta præcipuam, quę ſola fermè nemini ignota in ore omnium, cætera licet S. Viri acta ignorantium, paſsim verſatur, monumentis committere; Verùm is ſub initium capitis 47. Camaldulenſis Eremi ędificationem commemorans, tam levi, tenuique opera illam à Romualdo factam innuit, ut vel hinc facillimè edoceri poſsimus, rem non adeò momentoſam, et ſingulari notatione dignam Damiano visam fuiſſe, ut inde totius Ordinis Inſtitutio, et certa ſpecialis indumenti lex pendere ſupponenda ſit, quod nimis oſcitanter poſteri crediderũt. En ipſa Damiani verba, ſiquem Viſionis, Mutationis, Inſtitutionis odorem alicui reddere videantur. *Alio quoque tempore*, inquit, *dum in quadam Eremo valdè ſpecioſa, et egregia, cui nomen eſt Camaldulenſis, quam ipſe ædificaverat, in cella reſideret, magnam aliquam fagum quæ propè cellam ejus aſtabat, incidi præcepit*, &c. Hic totus inaugurati

rati cælitus Ordinis, totus prætenſæ Viſionis, totus mutati recèns coloris nucleus abſconditur. Itane verò quod in magno Patriarcha præcipuum eſt, primaſque ab hiſtorico ſollicitudinis partes exigere debuerat, nempe novi Ordinis Inſtitutio, et nova candidati habitus formę pręſcriptio, tam negligenter ab eruditiſſimo, et Romualdi gloriæ amantiſſimo Scriptore diſſimulari poterat, ut ne digito quidem tanta myſteria nobis innueret, contentus præcipitis fagi aliorſùm à cella projectæ miraculum, quaſi ſummam, præcipuamque in Camaldulenſi Eremo Romualdi geſtorum gloriam enarrare?

IV. Qui ſecum prudens perpenderit, quàm minuto calculo Egregius hic Doctor, poſt relata apud D. Michaelis in Aquitania Romualdini Inſtituti vera primordia, præfixum ſemel, ac variè poſtmodùm immutatum jejuniorum canonem, certamque Eremiticæ diſciplinæ Regulam, tot cæleſtibus documentis inſtructā capitibus 5. 6. 8. 9. fusè deſcripſerit, præſertim ab illis verbis: *Hanc nimirum vivendi regulam cunctis ſectatoribus ſingularis vitæ præfigens, &c.* facilè in eam ſententiam deſcendet (iam Diſſert. I. à nobis traditam, et fusè probatam) quæ docet, aliam prorſus non fuiſſe Ordinis Inſtitutionem, quàm hanc à Damiano deſcriptam, et ſiquę alia, præſertim de colore habitus, à Romualdo decreta fuiſſent, ab eodem cum cæteris S. Viri inſtitutis recenſenda fuiſſe; præſertim cùm Romualdi, et Diſcipulorum habitum ante, et poſt Camalduli ædificationem, non ſemel deſcribenti (cap. 26. de Diſcipulis

pulis in Pereo: *Quis non immutationem divinæ dexteræ prædicaret, cùm vidiſſet priùs homines ſericis, imò deauratis veſtibus indutos &c. nunc eos cerneret, uno birro contentos, incluſos, diſcalceatos, incultos!* et cap. 27. de S. Bonifacio: *videns eum Rex ſquallidis veſtimentis indutum, &c.* et cap. 65. de Romualdo à Theutonicis aulę Imperatoris Henrici, devotionis ergò, fermè depilato: *Villos quoque pelliceæ veſtis, qua erat indutus, anxiè decerpentes pro ſacris reliquijs in Patriam portaturi ſtudiosè recondunt*) occaſio non defuerit ſingularem candidę cucullæ originem ex Scalæ cæleſtis Viſione, ſiquæ extitiſſet, derivandi.

V. Reponi quidem poſſet, non omnia, quæ ad Romualdi res geſtas pertinent, à Petro Damiani ſcripta eſſe; quod ipſemet in proæmio fatetur, teſtatus ſe pauca dumtaxat delibare, quæ ad legentium ædificationem conducerent, *non hiſtoriam texens, ſed quoddam quaſi breve commonitorium faciens*. At neque continuò coniectari licet, quæcunque à recentiſſimis ſcriptoribus de Romualdo ſuggeri poſſunt, eadem ex iis ipſis eſſe, quæ Petrus adnotare neglexerit, niſi majoris, proximioriſque auctoritatis calculus narrationi accedat; Aliàs, ut candidus cucullus è Cœlo delapſus (quemadmodùm è noſtris Aurelius Antonellus facetè ſcripſit) ita et cingulum cælitus in Romualdi manus demiſſum, de quo num. 2. diximus, eodem prætextu veras inter hiſtorias poterit adoptari. Similiter ſi fabulis quibuſcunque id pallij concedimus, quot fabuloſæ narrationes, purgato Pontificum, Eccleſiaſticorumque Scriptorum judicio inter apocryphas relegatæ, iteratò in lucem ſpera-

ſperabunt emergere, ſincerıſque Chriſti Domini geſtis accenſeri, quas Evangeliſtarum ſilentio refellere integrum iam non erit, obſtante ultimi capitis Joannis teſtimonio, quòd *multa quidem, et alia ſigna fecit Jeſus in conſpectu diſcipulorum ſuorum, quæ non ſunt ſcripta in libro hoc?* itaque negari quidem non poteſt, permulta Romualdo cœlitus oſtenſa fuiſſe, Damiano noſtro vel incognita, vel neglecta, uti ſanè catholicus quiſque fatebitur, ex pręmiſſo Joannis teſtimonio, plurima Chriſti Domini miracula ab Evangeliſtis prætermiſſa; at ſpeciatim divinari velle, quęnam hæc ſint, certumque aliquod facinus, à coęvis Scriptoribus minimè traditum, et unde neſcitur acceptum, pro æqualis fidei, et auctoritatis Hiſtoria velle divendere, ingenſque piaculum ducere vel menti obverſantem ea de re dubitationem, quis prudens, aut cordatus Vir appròbare pręſumat?

VI. Accedit, quòd Petrus Damiani aliis etiam in operibus ſuis, extra Vitæ Hiſtoriam, de Romualdo ſparſim loquens, ut tom. 1. lib. 6. ep. 26., et tom. 3. opuſc. 15. cap. 16. et 19. ubi loci pręſertim Eremiticas conſuetudines, ex Romualdi inſtitutione, fusè proſequitur, occaſionem habuit, mutatum, ob Scalæ Viſionem, habitum commemorandi. Sanè ibi ſollicitum ſeſe fatetur, ne quid celet novitios eorum, quę ipſos maximè agnoſcere conveniret, unde Romualdinę pſalmodię diſciplinam, et ordinem narraturus, his verbis præfatur: *Pſalterium, quod eſt vivorum, cum illis dicitur additamentis, quæ B. Romualdus apponit, quæ etiam nos non gra-*

gravemur inſerere, ne nos conqueratur fortè novitius, quæ ſibi magnoperè noſcenda ſunt, præteriſſe: decutſis planè quinque pſalmis &c. An non etiam certa habitus forma, et præſtitutus indicio cœleſti color ea inter, quę novitiis magnoperè noſcenda erant, computari merebatur? Quidni igitur et id debuiſſet inſerere?

VII. Verùm occurrent, tùm Damianum id negocij in ſe non ſuſcepiſſe, ut de habitu tractaret. Eſto: diſcutiamus igitur alterum locum, in quo de habitu in primis expreſsè tractat, et quidem de *albo* Eremitarum, Monachorumque habitu. Tom. 1. lib. 6. ep 14. Mainardum Abbatem monens, ne album Monachorū amictum, utpotè vilem, deſpectui haberet, ſic loquitur: *Nam et ſub ipſo ſalutiferæ paſſionis articulo Herodes eum ALBA veſte induit, eumque mox ad Pilatum ſub hac irriſione dimiſit; et cùm Apoſtolus dicat: exeamus ad eum extra caſtra, improperium ejus portantes; improperium Chriſti portare nolle convincitur, qui diſcolis* (nempè coloris omnis expertibus] *indui veſtibus arrogantia tumidus dedignatur; à ſe denique mortui pro nobis Salvatoris abijcit improperium, quiſquis in mortificationis ordine conſtitutus ALBUM, vel ignobile quodlibet deſpicit indumentum*; ac demùm Epiſtolam ſic claudit: *Glorioſius igitur deputa veſte ALBA cum Chriſto humimiliter contegi, quàm cum ſuperbo, et purpurato divite flammis ultricibus irrecuperabiliter ſepeliri.* Hic ſanè locus poſtulare videbatur omninò, ut cœlo probatum ex Romualdi Viſione *album* colorem oſtenderet, ejuſdemque S. Patris exemplum, veteri nigro cucullo candidum ſubſtituentis, adduceret; quod cùm non fe-

cerit, manifeſtum eſt, rem hanc, quę ſi vera fuiſſet, vulgatiſſima eſſe debuerat, Damianum prorſus latuiſſe; Quod de Scriptore diligenter Romualdi geſta inveſtigante, atque inter Romualdi alumnos ſemper vivente, mutatumque illum habitum, non in angulis clam retentum, ſed palam exhibitum coram ſe conſpiciente, quis poterit vel leviter perſuadere?

VIII. Niſi fortè quis diceret, mutationem hujuſmodi in monaſtica veſte recèns factam, et, ut putatur, èatenus inſolitam, ideò latuiſſe Damianum, quòd recepta non fuerit extra Camaldulenſem Eremum in ijs locis, in quibus S. Doctor conversabatur, licèt ab ejuſdem Romualdi Diſciplina pendentibus, Sitrię videlicet, Avellanę, et præſertim S. Vincentii, ubi Romualdi vitam ab eo ſcriptam fuiſſe patet ex initio capitis 57. ibi: *Alius frater Gaudentius nomine, Abbatis videlicet HUIUS MONASTERII S. Vincentii Pater &c.* At hoc quàm vanum ſit, ex eo patet, quòd Damianus cap. 47. Eremum Camaldulenſem *valdè ſpecioſam, et egregiam* teſtatus, ſufficienter innuit, illam ab ſe aliquando viſam; et certè tom. 1. lib. 2. ep. 15. à Martino Eremita Camaldulenſi, *magnę*, inquit, *opinionis, ac celebris famę Viro*, Arnaldi Aretini Epiſcopi caſum ſibi narratum teſtatur, et lib. 6. ep. 20. ait: *Dominus planè Martinus, qui in Camaldulenſi Eremo COMMORATUR, Vir videlicet diverſis virtutibus adornatus, et præcipuè jugibus lacrymarum fluentis irriguus, mihi retulit quod narro:* Neque probabile eſt, Martinum hunc ad Damianum in Umbriam peregrè profectum contrà illius ſolitudinis

morem,

morem, et conſuetudinem aliorum privatorum Eremitarum, de quibus memorię prodidit B. Rodulphus, vix pedem è cella quandòque tranſtuliſſe, ab Eremo autem in diſſita loca vagari, religioni prorſus ſibi duxiſſe: ſed potiùs dicendum eſt, Damianum ipſum, quem ſcimus varia ſubinde loca, officij neceſſitate cōpulſum, mutaſſe, et in Thuſciam non ſemel veniſſe, ut conſtat præſertim ex ep. 30. ejuſdem libri 6. et ep. 11. lib. 8. Tanti Viri in Camaldulenſi Eremo *commorantis* colloquio, et converſatione uſum in ipſa Eremo Camalduli, ubi totam Romualdi Viſionem [quam hodiedum nulli non peregrino, Religionis cauſa, eò adventanti, boni Patres recantant] cauſamque mutati habitus diſcere debuerat.

IX. Adde, quòd ſi ex ea Viſione albus Camaldulenſium habitus ortum duxiſſet, ex eadem origo æquè albi Avellanitarum habitus deducenda foret, ut reipſa deducunt contrariæ ſententiæ fautores, arbitrati, omnes, ante Romualdi Viſionem, Benedictinos Monachos nigra tunica paſſim uſos, et hanc ſolam candido inter Monachos cucullo occaſionem primùm dediſſe. Tot igitur Damianus habebat recentis hujus Romualdinæ ſcalæ myſterij teſtes, quot ſibi in oculum Monachi occurrebant, quos albis tunicis paſſim uſos patet, tum ex Petro Ricordato in Hiſtoria monaſtica, tum ex Paulo Morigia in Hiſtoria Religionum, cujus verba inferiùs adducam, tum ex Silveſtro Maurolico in Oceano Religionum, tum ex Conſtantino Caietano lib. de Monachatu S. Gregorii Papæ, Aſcanio Tamburino de

Jure Abbatum, Ludovico Jacobillo de SS. Umbriæ, aliiſque paſſim Auctoribus, potiſſimùm verò ex Chroniſta Benedictino, qui (teſte Abbate Cajetano) anno 1480. vixit, et pag. 37. Prolegomenon ante opera B. Petri Damiani refertur in editione Romana, qui de Monachis Avellanæ ait: *et veſtiuntur albo, et cuculla alba*; item ex Chronica, ſeu Legenda antiqua MS. in Epiſcopatu Faventino, ut refert Abbas Andreas Vallemannius in Notis mſſ. ubi habetur: *Abbas Avellanæ induit Petrum Damianum cuculla alba*; nec non ex verbis ejuſdem Damiani in epiſtola ad Mainardum Abbatem ſupra relatis num 7. atque ex ejuſdem epiſtola. 10. lib. 8. ubi de Viſione S. Baruntii legitur: *Omnes enim de Eremo fratres mihi viſibiliter aſſiterunt, ALBIS nimirum, ac reſplendentibus ſtolis induti, et velut in choro pſallentes micantium veſtium CANDORE conſpicui*; pariterque ex alia Viſione B. Leonis Avellanitæ, de quo Joannes, Auctor vitæ Petri Damiani, ejuſdemque Diſcipulus, tradit in ſomnis vidiſſe *magnum in Eccleſia chorum conſiſtentium fratrum: qui nempe præclaris CANDIDIS Veſtibus luculenter induti &c.* uti etiam Joannes Antonius Flaminius, æquè ac noſter Fortunius, nec non Hieronymus Rubeus enarrant, voce dumtaxat *albis* loco *candidis* ſubſtituta.

X. Quod et confirmant veteres Picturæ, tum B. Albertini Prioris, qui inibi in ſuo ſepulcro candidum etiamnum monaſticum ſchemma illibatum conſervat, tum ipſiuſmet B. Petri Damiani, tametſi neſcio quo cæruleo pallio in quadam veteri effigie (per P. Laderchium

chium, ut audio, nunc Romam translata) circumdatus exprimatur, ob inductam poſteriorum temporum conſuetudinem, ut Monachi Avellanitę cęruleum pallium candidæ veteri tunicæ ſuperinducerent, ut refert Paulus Morigia in Hiſtoria Religionum cap. 58. ubi poſtquàm dixerat: *Il loro veſtire era tonaca bianca, ſcapolario, cocolla, e capuccio bianco*, infrà addit: *Erano venuti a tanto diſordine, che non facevano più profeſſione, onde in luogo di tonaca portavano una veſticciuola ſino al ginocchio lunga, et in luogo di cappuccio portavano una berretta bianca da quattro cantoni, et in vece di cocolla, portavano un ferraiuolo azurro &c.* Quemadmodùm et Eremitæ S. Joannis Cajetani apud Piſas, licet Camaldulenſibus copulati ſub Joanne II. Generali [ut ex Hiſtoriis Camald. par. 1. lib. 2. cap. 46. patet] nigro pallio super albas tunicas utebantur, quo in habitu S. Romualdum in vetuſtiſſima tabula expreſſum eo loci vidimus.

XI. Verùm hęc leviora fortaſſe iudicabuntur, quàm ut tam prolixam conſiderationem exigerent: illud omnem ſuperat fidem, omnem admirationem excedit, quòd ipſam Viſionis Scalę ſubſtantiam diſſimulare potuerit Damianus, quando inſignem ejus circumſtantiam, ſeu potius Viſionis ejuſdem partem, reliquo myſterio indivulsè cohęrentem, ex Fortunij ſententia, Damianus ipſe ſatis luculenter expoſuit. Contendit nempè Fortunius part. 1. lib. 1. cap. 25. tunc Romualdum Scalæ Viſione donatum, quando ejus anima delata eſt ante Deum candida velut nix, ut narrat Damianus in vita S. Patris cap. 51. adeò ut uno, eodem-

demque actu utrumque contigerit: *Raptuſque in ſpiritu*, verba ſunt Fortunij loco citato, *vidit in ſomnis, inſtar Jacob Patriarchę, Scalam ſtantem ſuper terram ſublimem, in Cœlum uſque ſuo vertice pertingentem: per quam divino ſplendore rutilante fulgentium, atque albeſcentium aſcendebat, deſcendebatque Monachorum multitudo, inter quos Anima Romualdi delata eſt ante Deum*; Mox S. Patris extaſi ad vivum deſcripta, ſtupentibuſque procul diſcipulis ad illum adductis, qui de myſterio rogantes, Scalæ Viſionem, et mutandi habitus decretum à S. Viro intellexerunt, ſic proſequitur: *noluit tamen Vir Sanctus, quomodo ante Deum delatus fuiſſet, præ humilitate, eiſdem detegere. .... retexit tamen poſteà in Eremo Sitriæ à Diſcipulis itidem interrogatus, cuius ætatis anima Chriſtiana cernitur, vel in qua figura ad judicium præſentatur? ſic in tertia perſona reſpondens: Scio, inquit, hominem in Chriſto, cuius anima delata eſt ante Deum ſplendida velut nix: humana quidem effigie, et ſtatura perfectæ ætatis. Inquiſitus autem, quis is eſſet, dicere noluit, licèt Diſcipuli ad eum indignantem, ut veraciter erat, rem retulerint; uti B. Petrus Damianus memoriæ prodit cap.* 51. Idem planè affirmat, imò ex Fortunio italicè redditam hanc utriuſque Viſionis coniunctionem refert, Thomas Minius in ſua Hiſtoria Camaldulenſi MS. in Bibliotheca Angelorum Florentiæ lib. 2. cap. 2.

XII. Quod ſi igitur uno, eodemque intuitu Romualdus, et animam ſuam nivis inſtar candidam divino conſpectui oblatam, et alios albeſcentes Monachos per Scalam aſcendentes [ſive ampliùs, ut de ſuo

penu

penu hoc etiam Fortunius addidit, *deſcendentes*] conſpexit: cur Damianus primam circumſtantiam, peculiari capite ad hoc deſtinato, exprimere curavit, reliquum verò Viſionis illius myſterium, majoris licet momenti, et inſtitutioni ſuæ Congregationis, habituſque innovationi preludens, indeque majori animadverſione celebrandum, tam profundo ſilentio involvit? An non manca, mutila, et imperfecta narratio illa cenſenda eſt, imò imprudenter, atque oſcitanter ſuſcepta, quæ facti alicujus velut fimbrias expandens, interim corpus ipſum, caputque diſſimulat?

XIII. Scio, contrà excepturos, id unum hinc probari, Viſionem illam animæ ante Deum delatę fuiſſe à Fortunio cum Scalę Viſione paullò inconſideratiùs coniunctam, quippe ſi eadem apparitio utramque ſimul exhibuiſſet, ut de prima, ſic de ſecunda mentionem Damianus iniicere veroſimiliùs debuerat, vel utramque potiùs ſilentio pariter involvere, id enim aliquam oblivionis excuſationem ſuſcipere poterat. Quod ſi utraque diverſis actibus, locis, temporibus, Romualdo oblata fuiſſe aſſeratur [nam in ipſa Eremo Sitriæ illam contigiſſe planior, magiſque naturalis Damiani textus intelligentia ſuadere videtur, hanc autem, nempe Scalæ Viſionem jam in Campo Malduli præceſſiſſe contendunt] nihil incommodi eſt, ſi unius, non alterius omninò diſparatæ Damianus meminerit.

XIV. At facilè eſt, tum Scalæ oſtensę, habituſque mutati traditionem, tum ejus connexionem cum vera Viſione animæ ante Deum delatę, quam Fortunius exco-

excogitavit, in pari cauſa collocare, atque ad idem judicium exigere, oſtendendo, ut non minori confidentia utramque Fortunius aſſeruit, ſic non maiori fundamento alterutram niti. Perſuaſione communi, Recentiorum teſtimonio, Picturarum vetuſtate primã ſtabiliunt; ijsdem fermè ſecunda pariter fulciri poteſt: non deſunt Picturæ ſatis antiquę (aliquando pro vetuſtiſſimis et ipſæ habendę) quæ Romualdo dormienti et Scalam viſam, et Animam ſimul angelico miniſterio ante Deum delatam exprimant: non deſunt Auctores Fortunio in hac Viſionum connexione conſentientes, tamque perſuaſum eſt, utramque eodem tempore, loco, et actu Romualdo obiectam, ut Scalæ ipſius Viſionem ex Camaldulo in Sitriam nonnulli tranſtulerint, quò propiùs animæ ante Deum delatæ apparitionem comitaretur; Sic Ferrarius de SS. Italiæ, ſic Gabriel Bucellinus in Menologio, ſic alij fortaſſe Scriptores, Scalam in Sitrienſi Eremo Romualdo viſam teſtantur. Aut igitur, utriuſque mordicùs tuendæ ſtudio, Damiani auctoritas utcunque eludenda, aut utraque pariter, ob incredibile Damiani ſilentium, veroſimiliùs repudianda.

* * *

CA-

CAPUT III.

In Tedaldi, Rodulphi, Martini, Gherardi, Bonaventuræ, alijſque vetuſtis monumentis prætenſa Viſionis Romualdi, et mutationis habitus Traditio fruſtra quæritur.

SYNOPSIS.

Toties à recentioribus inculcata Scalæ Viſio, habituſque mutatio, potiori jure ab antiquis tradenda. nu. 1. *Argumenti noſtri à Sacris Traditionibus diſcrimen.* 2. *Sacræ etiam Traditiones ex Patrum vetuſtis monumentis hauriendæ.* 3. *Tedaldi Aretini Epiſcopi encomium.* 4. *Ejus Privilegium ædificationem Eremi concernens, Viſionis, ac Mutationis prætenſæ non meminit.* 5. *B. Rodulphus Prior Viſionem Romualdi monumentis conſignaſſe creditur, ſed de Malduló dumtaxat loquitur.* 6. *Ejus verba è conſtitutionibus anni* 1080. *id evincunt.* 7 *Item è conſtitutionibus anni* 1085. *alijſque locis, nec de Romualdi Viſione, nec de mutatione habitus conſcium fuiſſe Rodulphum oſtenditur.* 8. *Textus ex ejus rubrica de veſtibus hanc rem concernens.* 9. *Idem patet ex variis locis Conſtitutionum B. Martini III. Generalis.* 10. *Gherardus II. parta cum B. Rodulpho ſcribit, et cadavera Eremitarum ſuper Scalam ponenda monet exemplo Scalæ Maldulo oſtenſæ, non Romualdo* 11. *Ex aliis locis conſtitutionum Gherardi ignota illi fuiſſe convincitur veſti-*

veſtium coloris mutatio 12. *Ex Conſtitutionibus Bonaventuræ, variis Capitulis, Actis, Privilegijs prætenſa traditio refellitur*. 13. *Quàm inanis ad monumenta, quæ jam non extent, recurſus*. 14.

1 QUicunque, poſt vulgatum Scalæ Viſionis Romualdo tributæ Myſterium, deſcriptionem Sacræ Camaldulenſis Eremi, ejuſque ædificationem litteris conſignarunt, omnes profectò Viſionem hanc commemorare, atque (poſtquàm mutationis habitus auctarium acceſſit) rejecta ſtatim ab Romualdo, ejuſque Diſcipulis, nigra indumenta, ac cum candidis commutata ſtudiosè referre non omiſerunt, ut eorum omnium, qui de his recentiſſimè ſcripſerunt, cõmentariola expendentibus eſt manifeſtum; Quod cùm nunc temporis, etiam poſtquàm res vulgatiſſima, ac recèptiſſima neminem latere poteſt, atque adeò repeti toties, et in acta referri non indiget, accuratè obſervent, quis non videat, idipſum, tanquam rem novam, et inuſitatam, ac minimè paſſim tunc cognitam, multò potiori jure Veteres pariter Scriptores notare debuiſſe, primos præſertim, qui tum Eremi ædificationem, tum deſcriptionem monumentis tradere aggreſſi ſunt, ut poſteri ipſorum erudirentur, cui, et quàm illuſtri initio candidus Monachorum habitus, Cœlo præmonſtrante, ac probante, deberetur, atque utì, non ſine numine divum, tam vetuſta [ut ſupponitur] nigræ tunicæ conſuetudo antiquata fuerit, non quidem paulatim, ut tantæ metamorphoſi oculi ſenſim aſſueſcerent,

cerent, ſed ſtatim, atque uno ictu, ut omnium oculos repentino ſpectaculo ad ſe raperet, contra veterem, ac receptum ubique morem, tot ſanctiſſimorum Virorum uſu conſecratum, inducta mutatio: præſertim cùm nec Religioſis ipſis, contrario colori aſſuetis perſuaderi, nec adversùs dicteria ſæcularium præmuniri poſſet hæc innovati habitus diſciplina, niſi idonea ejus cauſa deſignaretur, qua ſcrupulus omnis eximi, cunctorumque admiratio ſedari valeret: Neque verò aliter ad recentiores hujus rei cognitio poterat illibata, et ſincera tranſmitti, quàm ſi primorum Scriptorum monumentis expreſſa ad eos perveniret, cùm nimis incerta, ac lubrica ſit, et mille varietatibus, fallaciisque obnoxia traditio, quę labili hominum memorię, ac fidei concredita, ſola voce, et vagis famæ rumoribus traducta, longo tempore propagatur.

II. Monitos tamen hoc loco Lectores meos, imò rogatos velim, ne ſententiæ noſtræ detractoribus aures accomodent, qui hiſce principijs et divinarum Traditionum vim, hæreticorum more, poſſe enervari clamant, ut conflata apud imperitum vulgus invidia, omnem argumentorum, quæ ijsdem principijs ſuperſtruuntur vim derideant, efficaciam declinent. Primò enim, nemo non videt, quàm diſpar ſit noſtri propoſiti, et Traditionum cauſa, quas ipſa Divinæ Scripturæ auctoritas toties commendat, Pſal. 77., 1. Cor. 11., 2. Theſſal.2., 1. Timoth. 6., 2. Timoth.2., Joann. ep. 2. &c., ut apud Theologos videre licet, ideòque noſtris nugis altiùs poſitæ ſunt, quàm ut illas deceat

eum his comparare. Secundò, ut advertit Illuſtriſſimus Canarienſium Epiſcopus Melchior Cano de locis Theologicis lib. 3. cap. 7. non perinde ac in humanis rebus, ita in Traditionibus, formandę, ac regendæ Eccleſiæ Dei neceſſariis, verendum eſt, ne ſine ſcripto illas collabi, ac corrumpi contingeret, nam et Apoſtolicis præceptis ad ſanæ doctrinæ depoſitum cuſtodiendum ſumma cura, et vigilantia, fideles adigebantur, nec ſpecialis Dei Providentia deeſſe poterat, ut illibatæ apud Eccleſiam ſuam Traditiones aſſervarentur; quę Providentia ſi defuiſſet, ipſæmet Scripturæ Sacræ [quemadmodùm tot alij veterum Philoſophorum, et Mathematicorum codices] deperdi tam longo temporis tractu, vel à nefarijs hominibus corrumpi potuiſſent: adeòut, ſi nulla ſit Divinæ Providentiæ habenda ratio, æquè Scriptura, ac Traditio ijſdem heterodoxorum cavillationibus pateat, ſi verò habenda ſit, nihil adversùs utramlibet eorum argumenta concludant. Non putarim autem, ſimilem ſpecialem Providentiam in cauſa noſtra à quopiam poſſe prętendi.

III. Sed tertiò reſpondeo, quòd licèt in divinis Scripturis expreſſa non ſint, tamen in ſcriptis Patrum relucent illa omnia Catholicæ Eccleſiæ Inſtituta, quæ Traditionum nomine comprehenduntur, nec ſine idoneis antiquitatis monumentis reciperentur: alioquin quot aniles vulgi fabulæ, quot populares perſuaſiones ſpecioſo Traditionum vocabulo nobis imponerent? Quamobrem Martinus Papa I. in Lateranenſi Concilio illud Victoris Carthaginenſis dictum recte approbavit,

quo

quo hortabatur, *nihil permittere dici noviter à quopiam, quod Sanctorum Patrum Traditio minimè definivit*: Hinc Clerus Conſtantinopolitanus epiſt. ad Concil. Epheſin. ait: *Toti in hoc ſumus, ut Sanctorum Patrum traditionem ſervemus*; et Athanaſius epiſt. ad Serapionem inquit: *Ego ſecundùm Apoſtolicam à Patribus acceptam fidem iſta tradidi, nihil prorſus aliunde adijciens*; Idemque epiſt. ad Aphros teſtatur, Nicenos Patres adversùs Arium pugnaſſe *à Patribus petentes teſtimonia*: Quorum etiam *negativis auctoritatibus* licere prophanas novitates refellere, patet ex Gregorio Nazianzeno dicente lib. 2. de Theol. *Nobis ſatis eſt, quòd nemo ex his, qui divino numine afflati ſunt, ex Patribus illis, et Magiſtris noſtris, hanc ſententiam hactenus vel pronunciavit, vel pronunciatam approbavit*.

IV. Ut igitur ad rem revertamur, ſi Traditionum ſacrarum cum argumento noſtro comparationem aliquam inſtituere liceat, et nos paritèr, quam in Vita S. P. Romualdi, et alijs B. Petri Damiani primarij ejus hiſtorici operibus, fruſtra quæſivimus, Scalæ Viſionem, et habitus Mutationem, in veterum ſaltem Patrum noſtrorum ſcriptis monumentis exquiramus oportet, ut, novis recentiorum auctorum adinventionibus prætermiſſis, quæ in hoc propoſito vera ſit Ordinis noſtri Traditio, innoteſcat. Initium verò ducemus à Tedaldo Aretino Epiſcopo, Bonifacij Marchionis Etruriæ fratre, Comitiſſæ Mathildis Patruo, nec ſanguinis dumtaxat origine, ſed virtutibus Apoſtolico Præſule dignis nobiliſſimo, præſertim Eccleſiaſticæ Diſcipli-

ſciplinę zelo, Simoniacæ peſtis odio, atque incomparabili continentia, quam ſanitatis, vitæque ipſius diſcrimini anteponens, vel flammis circa lectum accenſis aſſeruit, ne Pellicem, Medicorum conſilio ab amicis inductam, admitteret: dignus qui mox ſoſpitati, repentino prodigio, reſtitui mereretur, ut narrat Domnizo Præsbiter in vita Mathildis eodem ſæculo ſcripta lib. 1. cap. 6. Qui ſanè graviſſimus, et integerrimus Pręſul, dum ſe Romualdi ipſius Diſcipulum fatetur, atque Camaldulenſis Eremi ædificationi interfuiſſe teſtatur, ampliſſimo privilegio, ubi et ſitum Eremi, et cellarũ diſpoſitionem, et univerſæ conſtructionis ordinem exponit, profectò debuerat vel digito ſaltem innuere Scalæ Romualdi Viſionem, atque habitus immutationem tùm ſubſecutam, cùm maximè locus expoſceret, atque occaſio exigere videretur, de utraque ut mentionem inijceret: de utraque tamen ne muſſitat quidem, ut patet ejus verba conſideranti, quæ jam ex authographo Camaldulenſis Archivi armario. 1. nu. 36. exſcripta, et apud Hiſtoricum Camaldulenſem par. 1. lib. 1. cap. 40. dudum edita, ſubijcere non gravabor.

V. *In nomine Sanctæ, et Individuæ Trinitatis. Theodaldus Sancti Donati Vicarius. Si ſervis Dei, eiſque maximè, qui divinæ contemplationi inſiſtunt, de bonis Eccleſiæ vitæ neceſſaria conferimus, Sanctorum Patrum Statuta proculdubiò ſervamus. Dignum quippe eſt, ut his, qui intra Sanctam Eccleſiam mentes ſuas in cæleſtibus defixas habent, Rectores Eccleſiarum temporalia commoda ſubminiſtrent. Quapropter omnium fidelium Chriſtianorum hoc dilectio noverit, quod nos ob*

amorem

amorem piæ memoriæ SPIRITALIS PATRIS NOSTRI DOMNI ROMUALDI *Clariſſimi Eremitæ, communi conſilio, et conſenſu Fratrum Clericorum noſtrorum, donamus, et concedimus pro remedio animæ noſtræ, omniumque ſucceſſorum noſtrorum Epiſcoporum, Domno Petro Venerabili Eremitæ ad uſum, et ſumptum confratrum eremiticam vitam ſub eo ducentium, ſuiſque Succeſſoribus Eremitis, quamdam Eccleſiam in medijs alpibus, jura Epiſcopii S. Donati, quam nos* ROGATU PRÆFATI DOMNI ROMUALDI EREMITÆ *conſecravimus ſub bonore, et nomine D. N. Jeſu Chriſti Sancti Salvatoris, conſiſtentem in territorio Aretino ad radices alpium dividentium Thuſciam, et Romaniam, in loco, qui dicitur* CAMPO MALDULI *per ſua loca deſignata. Primo igitur latere præcurrit rivus, qui vocatur niger, cui è contra obviat quidam alius rivus, qui dicitur de Tellito, ambo pariter emergentes in rivum cujusdam fluminis. De ſecundo latere eſt via deſcendens à ſummis jugis alpium. De tertio latere ſunt feri montes apud intonſa juga alpium. De quarto latere ſunt ſicbeta prorumpentia in præfatum rivum nigrum. Intra præfixos igitur terminos enitet ille locus, qui dicitur* CAMPO MALDULI: *Campus ſpecioſus, et amabilis: ſeptem puriſſimi fontes, et amæna vireta. Hunc igitur locum* DOMNUS ROMUALDUS PIUS EREMITARUM PATER *delegit, et providit aptiſſimum contemplativæ vitæ Deo ſervientium. Conſtructaque inibi Baſilica Sancti Salvatoris, quinque cellulas cum ſuis Tabernaculis ibidem diſtinxit, atque ab invicem ſeparavit. Sed et ſingulis cellulis ſingulos deputavit fratres Eremitas, qui ſæcularibus curis, et ſollicitudine remoti ſoli divinæ contemplationi inſiſtant. Quibus etiã*

Petrum

Petrum Venerabilem Eremitam, tamquam fidelem miniſtrum, et præceptorem dedit. Cui nos quoque cum noſtris poſteris ſucceſſoribus, ut cum denominato SANCTO VIRO ROMUALDO ſcilicet, partem in æterna vita habeamus, donamus largimur prætaxatum locum ſecundùm præfixos terminos ad uſum, et ſumptum fratrum Eremitarum, pro tempore ibidem Deo famulantium &c. Datum anno MXXVII. anno Pontificatus Domni Theodaldi V. Menſe Auguſto, Indictione X.

VI. Ad Rodulphum quartū Camaldulenſem Priorem deflectamus, cujus narratio, tum Petri Damiani, tum Theodaldi ſilentio longè gravior eſt, ac potentior ad prætenſæ Romualdi Viſionis, et Mutationis habitus aſſertores confutandos: hi enim Rodulphum ipſum à ſe ſtare putant, ſuæque ſententiæ Teſtem, ac Vadem producunt, eos, qui hanc tuentur, Rodulpho conſentire, qui reſpuunt, vel in dubium revocant, Rodulphi auctoritatem ſpernere, et impugnare arbitrantur. Sic Fortunius poſt Viſionem Romualdi, et habitus mutationem deſcriptam, ad finem capitis 28. lib. 1. *Beatum Rodulphum in ſuis monumentis cùm de Viſione Scalæ, tum de ædificatione Sacræ Eremi pertractare* aſſerit. Sic Lucas Eremita poſt narratam Romualdi Viſionem,et Eremi Camaldulenſis ædificationem lib. 1. cap. 8. Hiſt. Romuald. demum concludit: *Porrò hæc eſt vera Camaldulenſis Eremi fundatio prima, quam ex dictis Beati Rodulphi, qui quartus ab ipſo Romualdo Prioris auctoritatem ibidem obtinuit, quique primus omnium res Camalduli deſcripſit, veraciter exaravimus; cujus venerabilis Viri auctoritas utique modernioribus poſtponenda videri non debet, Sed quò antiquior, eò veracior*

racior habenda eſt. Sic alius, quem hoc loco nominare, ob Viri ſpectatiſſimi venerationem, prætermitto, poſt Viſionem eandem Romualdo attributam, concludit: *Porrò inſigne hoc myſterium, quod Genethliaci loco naſcenti Eremo affulſit, à Rodulpho Sanctiſſimo Romualdi Succeſſore traditur, et adeò firmo ab omnibus colitur obſequio, ut ingens piaculum ſit illud in quæſtionem vocare*. Quare, ubi conſtiterit et Rodulphum ipſum nihil tale tradidiſſe, niſi, quod ille de Maldulo refert, ad Romualdum nimis oſcitanter transferatur, patebit profectò, Viſionis hujus, ac mutationis traditionem totam huic fundamento ſuperſtructam nutare, atque in ſuasmet ruinas corruere.

VII. Ecce Rodulphi verba in Conſtitutionibus anni 1080. cap. 9. et 10. *Beatus Romualdus, poſtpoſita mundanæ nobilitatis excellentia, cùm ſe ad Monaſterialem tranſtuliſſet disciplinam, et paſtorale magiſterium ſuſcepiſſet, tandem ad ſolitariam tranſivit militiam, et eremiticæ converſationis plura conſtruxit loca, inter quæ Camaldulenſem quoque Eremũ mirabiliter ædificavit; Nam cùm perveniſſet ad partes Aretini territorij, locum idoneum huic propoſito cupiens invenire, occurrit ei quidam Vir nomine Maldulus, dicens ſe Campum habere amænum in alpibus poſitum, ubi cùm aliquando dormiret, inſtar Jacob Patriarchæ, Scalam vidit excelſam, cælum quaſi ſuo vertice tangentem, per quam ſplendentium, atque albeſcentium videbatur aſcendere multitudo: Quo audito Vir Dei, tamquam divino illuſtratus oraculo, mox campum petijt, locum vidit, cellas ibidem conſtruxit, et allocutus Præſulem Aretinum, ſuffragium hujus operis quæſitum impetravit; In*

eodem loco etiam prodigia quædam oſtenſa ſunt , quæ longum eſſet evolvere , præſertim cùm propoſitum nobis ſit, non enumerare prodigia , ſed ſolitariæ vitæ inſtitutionem recenſere . Hactenus Rodulphus, Viſionem Scalæ Maldulo ſoli , ut perſpicuum eſt, tribuens, licèt qui ſemiclauſis, et huc illuc feſtinanter vagantibus oculis iſta perlegeret, poſſet verba , *ubi cùm aliquando dormiret, &c.* ad Romualdum referre, non attendens ſequentia , *Quo audito Vir Dei, &c.* , ubi patet , quæcunque præcedebant, Maldulum Romualdo narraſſe, ut ſibi (Maldulo inquam) evenerant , non verò quaſi Romualdo contigerint, ab ipſo Rodulpho referri. Itane igitur *à Rodulpho Scala Romualdi myſterium, tam firmo ab omnibus colendum obſequio traditur, ut ingens piaculum ſit, illud in quæſtionem vocare?*

VIII. Sed et in alijs Conſtitutionibus anni 1085. recenſet idem Rodulphus Camaldulenſis Eremi ædificationem his verbis: *Notificamus itaque vobis, Fratres chariſſimi, quòd prædicta Camaldulenſis Eremus à S. P. Romualdo Eremita, Sancto ſuggerente ſpiritu, precatu Reverendiſſimi Theodaldi Aretini Epiſcopi ædificata eſt cum quadam Baſilica, quam prædictus Epiſcopus in honorem S. Salvatoris conſecravit milleſimo vigeſimo ſeptimo anno ab ejuſdem Incarnatione. Ædificatis ergo ibi quinque cellulis, religioſos Fratres ordinavit in eis: ideſt Petrus, et Petrus, Benedictus, et Giſſus, et Theuzo. Ex his unum, ideſt Domnum Petrum, qui dicebatur Dagninus, prudentem, et Religioſum Virum præpoſuit alijs quatuor Fratribus, et regulam jejunandi, atque ſilendi, et in cellis permanendi eis tribuit. His ita peractis,* quen-

quemdam inferiorem locum, qui dicitur Fonsbonus, reperit, ibique unam domum conſtruxit, unum Monachum cum tribus Converſis ibi ordinavit, pro adventantium hoſpitum receptione, et dulciſona reſponſione, atque charitativa refectione, et ut Eremus ſemper ſecretior, atque à ſæculari ſtrepitu fuiſſet remota, velut miles loricatus in bello poſitus, qui contra jacula clypeum præparat, et ſicut tabernaculum, quod ſago velabatur, et altare propter varias neceſſitates. Tunc præfato Petro, quem Priorem conſtituerat, quamdam Eccleſiam in prædicto hoſpitio Fontebono conſtruere præcepit, quam ipſe Petrus poſtea, Domino adiuvante, devotè conſtruxit, et aſſumpto ſcripto Antiſtite, conſecrare eam fecit. Quid multa? ad poſtremùm verò B. Romualdus admonuit eos omnes diligenter, et oſculatus eſt illos lacrymabiliter, ad Vallemque de Caſtro profectus eſt &c. ubi manifeſtum eſt, Rodulphum nihil de hac Romualdi Viſione commemorare, quemadmodùm nec de habitus mutatione prętenſa, ſive hic, ſive ibi, ſive uſpiam alibi mentionem ingerit, quę tamen facienda mentio videbatur, dum Eremi ędificationem, Diſcipulorumque ibi poſitorum, et nomina, et ſanctitatem, et propagationem recenſuit; Vel ſaltem in veſtium qualitate determinanda, nempe in primis Conſtitutionibus cap. 29. ſub rubrica *De veſtibus* nullo pacto diſſimulanda erat Romualdi Viſio, ſiquę fuiſſet, atque inducta, ejus auctoritate, coloris mutatio; Aut ſaltem ille ipſe color, qui recèns uſurpari cæperat, fuerat determinandus, ne, juxtà aliorum Benedictinorum prętenſam conſuetudinem, nigri coloris tunicas ſibi permiſſas Eremitę putarent, aliove colore promiſcuè utendi liberam

facultatem ſibi indultam arbitrarentur; Quid autem de veſtibus loco citato Rodulphus determinare contentus fuit? En integra laudati viceſiminoni Capitis verba.

IX. *Veſtimenta verò ante feſtum B. Martini taliter præparentur, ut in ipſa quadrageſima neceſſaria quies non impediatur; quæ talia ſint, ut nec nimia vilitas, nec mundana venuſtas in eis poſſit adverti; quia nec affectatæ, nimiæque ſordes, nec exquiſitæ deliciæ placent; nam primum hypocriſim, ſecundum redolet vanitatem; Sicut qui mollibus veſtiuntur in domibus regum ſunt, non Monachorum, ita qui ſordibus utuntur in ædibus hypocritarum ſunt, non eremitarum; vilitate ſiquidem, et extremitate debemus eſſe contenti, non ſquallore deformes, Vervecinæ igitur pelles, vaccini ſubtalares, cappæ, tunicæ, aliæque veſtes, quales in his provincijs commodiùs inveniuntur, debent præparari. De numero, et quantitate veſtium id obſervetur, quod cęnobialis habet conſuetudo. Ciliciorum indumenta omnibus offerri ſolent, qui uti voluerint, quia in his non neceſſitas imponitur, ſed perſonarum conſideratur poſſibilitas; pleraque nimirum ſunt, quę non ęqualiter omnibus fiunt, quia non æquales ſunt vires omnium; nam qui ex delicatioribus veniunt moribus, non indignum eſt, ſi teneriùs inde tractentur iu pleriſque, quia nonnumquam qui minùs agunt in corpore, plus operantur intentione, et ſępe fit, ut oblatio, quę parva videtur cenſu, æſtimetur affectu; unde Vidua, quę duo minuta tantùm, inter magna donaria divitum, obtulit, teſtimonio Salvatoris, cęteris commendabilior habebatur.* Hæc ibi Rodulphus.

X. Nunc autem, ſervato antiquitatis ordine, ad

alia

alia monumenta excutienda promoveamur, ex quibus conſtabit, adhuc per plura ſæcula Viſionem Scalæ ſoli Maldulo, non Romualdo tributam, et huic adnexam habitus mutationem ęquè ignotam, et inauditam manſiſſe; Nam B. Martinus III. Generalis Prior cùm anno 1253. Ordinis noſtri conſuetudines tribus libris conplecteretur, neque Viſionis, neque mutationis hujuſmodi memoriam iniecit, etſi lib. 3. cap. 1. *De veſtimentis, et calciamentis, et cincturis Monachorum, et Converſorum* tractet, ubi ſcapularia *pellicea* (neſcio an ſemper neceſſariò alba, colorem quippe hìc nullum præſcribit, utì nec Rodulphus loco ſupra laudato vervecinarum pellium, quarum meminit, colorem ullum determinat) aliaſque veſtes *ex pelle* permittit; item cap. 2., quod eſt *De qualitate veſtimentorum*, prohibet quidem alias veſtes, niſi *albas, et clauſas*, quemadmodùm et cap. ſequen. *De veſtimentis Clericorum Converſorum*, prçcipit, Sacerdotes, qui cum Monachis in conventu, et Eccleſia vivunt, *alba, et clauſa* indumenta deferre; nullam tamen rationem hujus determinationis adducit, nec ex ullo myſterio, quale recentiores finxerunt, id coloris retinendum ſuadet; ſed et cap. 4. *De ſtamineis pannis* inſcripto, permittit in locis calidis *ſcapularia dędalica cum parvo filo nigro*, et cap. 8. *De habitu Monialium* loquens, *velamina quidem ſemper nigra* præſcribit, de aliarum autem veſtium colore, altum ſilentium.

XI. Sub annum 1278. die 13. Octobris alias Conſtitutiones edidit Gherardus II. ex Monacho Claſſenſi Gene-

Generalis Prior, qui capitibus 26., et 27. Malduli quidem Viſionem ipſiſſimis Rodulphi verbis ſupra allegatis deſcribit; Romualdum verò adeò cæleſtis hujus myſterij participem non ſupponit, ut lib. 2. cap. 5. ſub rubrica, *De Officio Mortuorum*, agens de Cadaveribus Eremitarum apud Fontembonum decedentium, ad Eremum tamen, ſepulturæ gratia, transferendis, et ibi ſuper *Scalam* reclinandis, id ex alluſione ad *Scalam Maldulo* (non Romualdo) *oſtenſam* fieri doceat, his verbis: *Et cùm fuerit iuxtà portam Eremi delatum, ponatur in SCALA; quod fit EXEMPLO MALDULI Viri Sanctiſſimi, qui in Viſione, ubi nunc eſt Eccleſia Eremi, vidit excelſam Scalam cœlos tangentem, per quam ſplendentium, et albeſcentium videbatur aſcendere multitudo*; Ubi quis neget, debuiſſe potius dici *Exemplo Romualdi* id fieri, ſi ei paritèr, ac Maldulo, Viſio hujuſmodi communis fuiſſet? certè Paulus Juſtinianus, cujus tempore hæc Viſio Romualdo tribui cæperat, in Regula Vitæ Eremiticæ anno 1520. edita, cap. 32. monet Defunctorum corpora *ſupra conſuetam Scalam reponenda eſſe, ob memoriam ejus, quę B. Romualdo* (non jam Maldulo) *apparuit*; ergo ſi Romualdo eidem Viſionem hanc aliquando exhibitam credidiſſet Gherardus, utique ob Romualdinæ Scalę myſterium, non ob Malduli viſionem, conſuetudinis illius ſervandæ neceſſitatem et ipſe commendaſſet.

XII. Adde, quòd anno inſequenti 1279. in Conſtitutionibus Monachorum apud Soci editis, cùm capitibus 8. et 21. *De veſtimentis Monachorum, et de habitus boneſtate* non perfunctoriè tractaret, ſicut et anno 1290.

in

in alijs pariter Conſtitutionibus §. *item ad majus*, ſermonem habens *de albis capellis* ferendis. (pellibus nempè, de quibus tum Rodulphus, tum Martinus loquuntur locis citatis, tum noviſſimè Paulus Juſtinianus in Regula Eremitica cap. 54. dicens: *In antiquis inſuper conſtitutionibus ſcriptum eſt, quòd, ſi voluerint, pelles ſuper humeros deferre poſſunt; quod tamen hoc tempore minùs fieri conſuevit: Sed ſiquis antiquas illas ſequi voluerit conſtitutiones, intelligat ſe pelles, nequaquàm infrà, aut ſubtus alia veſtimenta deferre poſſe, ſed ſuper humeros tantùm in modum melotis ſupra alia veſtimenta, exteriùs habere*) nullam, ex occaſione Viſionis Romualdi, mutationem habitus inductam, vel minimo indicio prodit, nullo vel levis conjecturæ veſtigio manifeſtat.

XIII. Sed neque in quinto Conſtitutionum libro Bonaventurę de Fano Generalis, quem anno 1323. prioribus ſuperaddidit; neque in tot Capitulorum Generalium decretis, etiam *veſtimentorum uſum* concernentibus; neque in copioſiſſimis Actis in cauſa Subiectionis Monaſterij Prataglię ergà Priorem Camaldulenſem, et Libertatis Eremi contra Epiſcopum Aretinum, anno 1183. et 1216. repetitis, in quibus multæ depoſitiones Teſtium ædificationis Eremi traditionem confirmant, ac *veſtium albarum*, quas Guglielmus Abbas à ſuis Monachis ferendas pollicebatur, conſuetudinem ubique intra Ordinem receptam oſtendunt; neque in Monachorum Vallecaſtrenſium, necnon Agnanienſiũ defectionibus à Generali Camaldulenſi, cauſa coloris habitus, excitatis, neque in Apoſtolicis Decretis huc ſpectan-

ſpectantibus, à Fortunio Hiſt. Camald. parte 2. lib. 3. cap. 25. et lib. 2. cap. 4. recenſitis; neque alibi omninò quidpiam occurrit, quod habitus mutationem, Romualdi auctoritate, eòque minùs obiectę ipſi per viſum Scalæ occaſione, inductam oleat, ut propterea ignotam toti antiquitati fuiſſe, tam Viſionem, quàm mutationem prętenſam [quantùm ex omnibus vetuſtis monumentis colligere datur, et quidem ex ijs ipſis, ex quibus dumtaxat eruendam utramque ſperare poterât Recentiores] fateri omninò cogamur.

XIV. Antequàm tamen capitis hujus argumentum dimittam, juvat lepidum ſatis referre colloquium, quod olim inter me, et Amiciſſimum Virum, eruditione, ac pietate conſpicuum, interceſſit. De controverſa Romualdi Viſione loquebamur: Ego ipſius Traditionem non admodùm vetuſtam eſſe contendebam; ille communi Auctorum noſtrorum aſſertione, velut oraculo quodam fretus, ejus fidem, velut indubiam, amplificabat. Rogabam, unde illi notitiam hujus facti haurire potuerint? Ex B. Rodulpho, inquit, is enim primus omnium res ad Camalduli fundationem ſpectantes monumentis tradidiſſe dicitur. At hoc ipſum, repoſui, cauſam horum Scriptorum vel maximè labefactat, in Rodulphi enim ſcriptis nil tale uſpiam legitur: de Maldulo ſcilicet narrat, Scalam illi albeſcentium Monachorum cælitùs oſtenſam; noſtrorum quiſpiam, per ſummam oſcitantiam, totam rei ſeriem ad Romualdum tranſtulit, ob majorem S. Patris celebritatem, et Sanctitatis notiſſimæ opinionem, quæ veroſimi-

ſimilius reddebat, narratam à Rodulpho Viſionem, de Romualdo potius, quàm de Maldulo intelligendam; id ſemel, tam ſine examine, quàm non ſine plauſu, exceptum, pluribus ineditum Rodulphi codicem non legentibus, anſam dedit, Romualdinam Viſionem, pro Maldulea, ſubſtituendi, mox, animadverſis Rodulphi ſcriptis, utramque pariter, alteram ſcilicet Malduli veram, alteram Romualdi gratis confictam, invicem copulandi. Tum ille in iram exarſit, et proh Deum, atque hominum fidem! inquit, itane demum imponenda tot, tantiſque Viris, aut de illis credenda tam ſupina æquivocatio? Cùmque ego nullam, præ facti ipſius apertiſſima veritate, præſumptionis cujuslibet rationem habendam eſſe, reſpondiſſem, atque adhuc B. Rodulphi ſcripta apud Camaldulum legi poſſe, in quibus non Romualdi, ſed ſolius Malduli Viſio deprehenditur, affirmaſſem: Quid homini acutiſſimo in mentem veniſſe putatis? Eſto, inquit, in his, quæ ſuperfuerunt, Rodulphi ſcriptis nil tale occurrat, alia fortaſſe ejuſdem ſcripta, ſiniſtro quodam fato, exciderint, in quibus Romualdi Viſio, cum ſubſequenti mutatione habitus, conſignabatur. Hæc ille: tam altas nempe in ejus mente radices communis egerat præoccupatio, tam intimè ejus animum imbuerat, ut potiùs ad Rodulphi libros, qui jam non extent, provocandum eſſe cenſeret, quàm ut de vulgari opinione vel minimùm dubitaret; quum tamen notiſſimum ſit, non alia per B. Rodulphum opuſcula relicta eſſe, nec alia ab ipſiſmet Viſionis Romualdi aſſerſoribus citari, aut recenſeri,

cenſeri, quàm quę adhuc integra in Camaldulenſi Archivio ſuperſunt, et ex quibus textus num. 7. 8. et 9. ſuperiùs adductos ad verbum exſcripſimus; in ijs verò, quæ nemini nota ſunt, et nuſpiam exiſtunt, neque Viſionem, ac mutationem prætenſam legere ipſi potuerint. Et verò præclarè actum eſſet cum re hiſtorica, ſi ad antiquiorum Scriptorum volumina, quæ perierint, recurſus haberi poſſet, ac quidlibet pro arbitrio fictum eorum auctoritate proponere, ac tueri ęquum eſſet!

CAPUT IV.

Vetera Picturarum, et Scriptorum monumenta, ab anno 1365. ad 1500. de eodem argumento occurrentia, expenduntur.

SYNOPSIS.

In Capitula Angelorum Florentiæ vetuſtum quoddam Scalæ à Romualdo viſæ veſtigium, ſed mutationi habitus nullatenùs favens. n. 1. *De Picturis librorum Chori Angelorum idem obtinet, quibus alia S. Michaelis Piſarum adjungitur, ſed Malduli potiùs, quàm Romualdi Viſionem exprimens.* 2. *Pictorum licentia veterum Scriptorum fidei non præiudicat.* 3. *Symbolis ad hiſtorias exprimendas Pictores utuntur.* ibidem. *Myſticè, non propriè intelligendę complures appari-* *tiones*

tiones ab illis depictæ. ibid. *Interiori inſpiratione B. Michael ad Coronam Domini inſtituendam adductus ex Fortunii, et Leonis X. teſtimonio* 4. *Pictura tamen illum, quaſi à Domino ſibi apparente Coronam reciperet, ſymbolicè exprimunt*. 5. *Romualdus Pſalterij, et Propheticorum Canticorum Interpres, quaſi à Davide, et Prophetis ſibi apparentibus edoctus, depingitur*. 6. *Scala coram Romualdo picta non ejus Viſionem, ſed Montis Camalduli ſymbolum, aut divinę inſpirationis, qua S. P. ad Camalduli ædificationem motus fuerat, ſignum quoddam exprimere potuit*. 7. *Nihil prodeſſe Picturarum antiquitatem, ſi à tempore geſtæ rei plurimùm diſtent*. 8. *Hieronymi Pragenſis de Scalæ Viſione relatio*. 9. *Æquivoca relativi applicatione poſſet à nonnullis de Romualdo exponi*. 10. *Ejus verba ritè intellecta Maldulo ſoli Viſionem tribuere*. 11. *Petrus Delphinus Viſionem, et Mutationem controverſam ignoraſſe videtur*. 12. *Bernardinus Gadolus Romualdum ſcribit determinaſſe candidi habitus delationem, cùm alijs de cauſis, tum ob Viſionem Maldulo oſtenſam*. 13. *Pauli Orlandini epigramma Romualdi Scalam non exprimit*. 14. *Aliorum de his rebus ſilentium notatum*. 15.

I. POſt medium quartidecimi ſæculi, hoc eſt tribus ſæculis cum dimidio poſt aſſertæ Viſionis D. Romualdi tempus elapſis, primum ejus aliquod veſtigium invenire licet, non tamen hiſtorici alicujus calamo, ſed pennicillo Pictoris expreſſum in Ven. Capitulo Monaſterij Angelorum Florentiæ ad Sacellum S. Romualdi ab Joanne Ghibertio [quantùm vetuſtiſſimæ

aureæ litteræ Iconi ſubiectæ indicant] anno 1365. conſtructum: ibi enim in parvis rectangulis, ab inferiori parte Iconem coronantibus, nonnulla S. P. geſta exprimuntur, nempe S. Apollinaris, altare thurificantis, Viſio Romualdo adhuc ſæculari, cum Claſſenſi converſo oranti, exhibita; B. Marini virgam gerentis in Romualdum diſciplina; Dæmonum in eundem S. Patrem orantem incurſio; ac denique Scalę ad Cœlum ex porrectæ apparitio cum Monachis eam aſcendere conantibus, et Romualdo ſeorſim jacente, quaſi illi dormitanti ea ſpecies obiecta fuerit; Quamquàm obſervandum eſt, tum in hujus Viſionis actu Romualdum jam alba cuculla indutum exprimi, tum verò et in *alijs* geſtis Viſionem hanc præcedentibus, et ibidem expreſſis, tam ipſum, quàm Marinum, et Claſſenſem Monachũ, et D. Benedictum in omnibus prorſus picturis, cùm illius, tum ſuperioris, aut inferioris ætatis uſque ad Fortunij tempora, in candido Monaſtico Schemmate repræſentari: evidenti indicio, mutationem habitus huic Viſioni nondum adnexam fuiſſe, nam dumtaxat poſt editionem hiſtoriarum Fortunij uſus invaluit (nec tamen apud omnes invaluit) ut Romualdum in geſtis Viſionem præcedentibus, ac potiſſimùm in ipſo Viſionis actu, nigra cuculla indutum pictores referant, quaſi candidi habitus origo hinc primùm manaverit.

II. Siquibus igitur placuerit, non quidem habitus mutationem, quę certè poſteriùs excogitata eſt, ſed ſaltem Viſionem Scalæ Romualdo accomodatam tueri, hac omnium antiquiſſima effigie, quaſi ſacro quodam

Palla-

Palladio, ſe muniant oportet; Cui addere poterunt altero fermè ſæculo recentiores picturas minio eleganter expreſſas in libris choralibus, tota Europa celeberrimis, ejuſdem Angelici Monaſterij, in quibus pariter Romualdus [albis tamen ſemper indutus] ante Scalam, per quam candidi Monachi aſcendunt, dormiens exprimitur: hæc enim monumenta (quibus nulla in oppoſitæ opinionis favorem antiquiora inveniri queunt) ultrò in medium adducere volui, tum ut pro mea ſinceritate nihil penitus diſſimularem, tum ut quæ reſidua ſit adverſæ traditionis probabilitas, ejus defenſorum nonnullis hæc fortaſſe ignorantibus, candidè indicarem. Imò huc trahere facilè poſſent paris vetuſtatis picturam in magna Icone poſt majorem Aram S. Michaelis in Burgo Piſarum exiſtente, quam Diſſert. I. cap. 6. nu. 6. citavi, ubi pariter hæc Viſio Scalæ exprimitur; quamquàm ſi hęc attentiùs conſideretur, Malduli potiùs, quã Romualdi Viſionem exhibeat, quatenus Scala ibi expreſſa non directè è regione Romualdi reſpondet, ſed alteri cuidam religioſo Viro ante oculos poſita viſitur: Enimverò duo ibi dormientes exprimuntur; alter in Scalæ conſpectu ſedens, capite in cubitum reclinato placidæ indulgens quieti, ſed abſque cuculla, ſolo Cõverſorum habitu amictus, auriculari pileolo caput obtectus, nulliuſque diadematis Sanctorum proprij inſigne præſeferens; alter è diverſo poſt ipſam Scalam, cui terga obvertit, humi diſtentus obdormiens, conſueta monaſtica cuculla indutus, antiquioris, magiſque venerandi Senis aſpectum exhibens, et aureo circa tempora

pora circulo laureatus, binis huic ſuperincumbentibus Angelis, Eremi Camaldulenſis Stemma oſtentantibus. Primus igitur, cui Scala Monachorum aſcendentium oſtenditur, non Romualdus, ſed Maldulus eſſe debet, quem Pictor per anticipationem religioſo converſorum colobio circumdedit, tametſi poſt ipſam dumtaxat Viſionem, et colloquium cum Romualdo habitum, ejus diſciplinæ Maldulus ſe ſubiecerit, et clauſtri Fontisboni ſervitio ſe addixerit, mox in *Virum Sanctiſſimum* (ut loquitur Gherardus Generalis ſupra relatus cap. 3. nu. 11.) mutatus. Secundus verò certiſſimè ipſe eſt S. Pater Romualdus, cui ideò Camaldulenſis Eremi Stemma cælitùs oblatum exprimitur, ut intelligamus S. Patrem, ex Viſione Malduli, ad Sacri loci ædificationem incitatum, Cœlo ipſo ejus conſilium per Stemmatis exhibitionem probante.

III. Atque hinc patet quid his, alijſve picturis, ad artificum arbitrium, juxtà compoſitas rerum ideas, plerumque confictis, ſit deferendum, quidve ex ijs ad hiſtoricam factorum veritatem illuſtrandam poſſimus exſculpere. Ego ſanè non magis Pictorum, quàm Poetarum phantaſijs moveor adversùs Scriptorum ab omni figmenti ſuſpicione immunium auctoritatem, quandoquidem ex Venuſini Vatis ſententia in Arte poetica

Pictoribus, atque Poetis
Quidlibet audendi ſemper fuit æqua poteſtas.

et quidem jure ſuo id faciunt utrique, quod ſuæ artis præceptis conſonum eſt, ac plerumque vix aliter ſenſus ſuos ad vivum exprimere poſſunt, quàm ſiquid ab ima-

imaginatione ſua mutuentur, quod hiſtoriæ additum illam illuſtret, ſi modò (ut par eſt) figuratè non propriè accipiatur, ut in pictura nuper explicata, delatio Stemmatis Camaldulenſis angelicis manibus ſupra Romualdum dormientem expreſſa, non ſpeciem corpoream Angelorum, Inſigne illud columbarum, et calicis è Cœlo deferentium, reipſa interveniſſe ſignificat, ſed interiorem dumtaxat illuſtrationem ſupra explicatam; Neque aliter pictores exprimere conſueverunt, ſanctitate celebres viros interna inſpiratione motos, ut certā orandi formulam, certum devotionis ſymbolum fidelibus proponerent, niſi B. Virginem pingendo, quæ D. Dominico ex. gr. Roſarium, B. Simoni Stochio Carmeliticum Scapulare, S. Ignatio libellum Exercitiorum Spiritualium porrigeret; ſiquis verò corpoream, externamque Deiparæ apparitionem in his omnibus propterea interceſſiſſe contendat, rem quidem poſſibilem affirmabit, ſed cujus veritatis idonea documenta extra has picturas quærenda ſunt, cùm Pictoris ſcopus non fuerit, ut quandoquidem interiorem mentis illuſtrationem pingere, ac per ſuasmet proprias ſpecies repræſentare non poterat, illi exprimendæ Viſionem externam ſubſtituit, hæc ipſa ejus phantaſia in hiſtoriam tranſiret: utinam verò non ſæpe tranſiret!

IV. Domeſtico exemplo rem illuſtremus. Si vitam B. Michaelis Florentini Eremitæ Camaldulenſis, quam primus omnium Fortunius exhibuit Hiſt. Camal. lib. 3. cap. 14. 15. 16., & 17. conſulamus, nulla ibidem D. N. Jeſu Chriſti, coronam B. Michaeli tradentis, Viſio poſte-

poſterorum memoriæ conſignata legi poterit, ſed Inſtitutio ejuſdem Coronæ Dominicę cap. 14. his verbis dumtaxat deſcripta occurret: *Super omnia ſeptem petitiones, quæ in Dominica Oratione continentur, aſſidua commendatione relegere delectabatur, multaque de quotidiano pane eſurientis animæ in vera novitate ſpiritus à Deo jugi oratione à mortalibus expetendo, ſemper majora cogitabat, unde divino monitus oraculo, quomodo Chriſti fideles id munus frequentiori ſtudio conſequi poſſent, ſi Dominicam coronam, ad exemplum coronæ B. Mariæ Virginis, manibus attrectarent, rem cum Majori Patre communicavit, eique Coronam hujuſmodi, tornatis orbiculis à ſe confectam, obtulit, quam cùm ille, aſtipulante Congregatione, ad Leonem Pont. Max. qui Florentiæ agebat, detuliſſet, gaviſus magnus Sacerdos novo hujuſmodi munuſculo, illud apoſtolica auctoritate confirmavit.* Ipſe Leo X. Pontifex in ſua bulla, qua precatoriam illam formulam approbavit, primiſque indulgentijs auxit, inſtitutionem ejuſmodi coronæ ſic factam deſcribit: *Nuper nobis fide digna relatione innotuit, quòd cuidam Seniori Eremitæ intra unius cellæ anguſtias jam quindecim annos in Sacra Camaldulenſi Eremo in magna vitæ auſteritate recluſo commoranti, Domino, ut credere pium eſt, inſpirante, à quo omnis recta procedit cogitatio, in mentem venit, quòd in honorem Salvatoris, et Domini Noſtri Jeſu Chriſti, fideliumque devotionem cedere poſſet, ſi quemadmodùm ex antiquiſſima, valdeque communi inſtitutione Chriſti fidelium in honorem Beatiſſimæ Mariæ Virginis, ſecundùm numerum annorum, quos vixiſſe in hoc mundo creditur, ſexagintatres Angelicas Salutationes, ſeptem interpoſitis Dominicis Orationibus devotè dicere*

cere

cere ſolent, quod orationis genus Coronam Virginis appellant; ita in honorem D. N. I. C. pro commemoratione annorum, quibus ipſe in terris verſatus eſt, ex trigintatribus Dominicis orationibus, quinque interpoſitis Angelicis Salutationibus, quaſi Dominicam Coronam dicere aſſueſcant &c. Dat. Florentiæ ſub annulo Piſcatoris 18. Februarij 1516. Pontif. anno 3. Patet utique, tam ex verbis Hiſtorici, quàm ipſius Pontificis, nullam realem Viſionem, ſed internam dumtaxat inſpirationem in hac Dominicæ Coronæ Inſtitutione B. Michaeli illuxiſſe.

V. Interim tamen, et in privatis picturis, et in publicis Aris ejus nomini dedicatis Romæ, Faventiæ, Piſauri, Senis, Piſis, atque alibi, B. Michael exprimitur, quaſi à Domino Noſtro Jeſu Chriſto ſibi apparente Coronam Dominicam recipiens; idemque, tum varijs formis ære inciſis, tum in diverſis metallicis numiſmatibus in B. Michaelis honorem cuſis, paſſim repræſentatum obſervari poteſt, ut vix alio actu Viri Sanctiſſimi effigies uſpiam referri conſueverit. Num igitur idcircò ferendi vel Hiſtorici, vel Encomiaſtæ, qui myſtica ejuſmodi expreſſione tam generatim recepta abutantur, ac viſibili ſpecie Dominum Jeſum Chriſtum B. Michaeli reipſa apparuiſſe contendant, et ore ſuo monuiſſe deprædicent, ne Vitę, ac Paſſionis ſuæ memoriam poſtponeret, ſed Coronam quoque Dominicam, ad imitationem Mariani Serti, inſtitueret?

VI. Aliud addo, quod ipſius Romualdi geſta concernat: In ornatiſſima Monaſterij Angelorum Florentiæ Bibliotheca, juſſu Reverendiſſimi Præſulis Antonij

Franciſci Laurentij Caramelli, Doctrina, Integritate, ac Prudentia ſpectatiſſimi, qui tùm illuſtre illud Cænobium admiiniſtrabat, eidemque Bibliothecæ magnificentiùs extruendæ, ornandæ, locupletandæ, pro ſuo in rem litterariam ſtudio, incumbebat, pingenda erat à Petro Dandino Romualdi effigies, Pſalterium Davidicum, et nonnulla Prophetarum cantica, ut habetur ex ejus Vita cap. 50. divino monitu interpretantis. Id elegantiſſimè Pictor expreſſit, Sanctiſſimum Patrem in antro ſcribentem effingens, ſed calamo inter digitos ſuſpenſo, ac fronte divino æſtro plena adversùs Regium Pſaltem, alioſque ſibi è nube apparentes Prophetas erecta, quaſi ab illis dictanda, quæ Codici ſuo tranſmitteret, Vir Venerabilis expectaret. Quid ſi igitur ex hac alię, et aliæ picturæ ad idem exemplar efformarentur, reque in vulgus ſparſa, poſt aliquot annorum centurias, hæc perſuaſio ſpectatorum mentes invaderet, eademque opinio apud Concionatores, apud Hiſtoricos paulatim invaleſceret, quòd reipſa Romualdo David, Iſaias, Jeremias, corporea ſpecie apparuerint, ac Pſalterij, et Canticorum interpretationem dictaverint? nonne præter Pictoris mentem, pręter ipſius rei Veritatem, novella traditio ſerperet?

VII. Ita ſanè fieri potuit, ut qui primus Romualdum ſimul cum Scala Camaldulenſi depingere aggreſſus eſt, nihil aliud in animo habuerit, quàm ut ſymbolicè exprimeret idem quod Pictor Piſanus antiquiſſimus, de quo num. 2. per delationem Stemmatis Camaldulenſis ante Romualdum in eadem tabula, ubi

Scala

Scala coram ſolo Maldulo pingitur, intellectum voluit; nimirum ædificationem Eremi Camaldulenſis à Romualdo cælitus inſpirato factam: Vt enim *Nealces*, apud Plinium lib. 35. cap. 11. *ingenioſus, et ſollers in arte habitus eſt, ſiquidem cùm prælium navale Ægyptiorum, et Perſarum pinxiſſet, quod in Nilo, cujus aqua eſt mari ſimilis, factum volebat intelligi, argumento declaravit quod arte non poterat, aſellum enim in littore bibentem pinxit, et Crocodilum inſidiantem ei:* ita non abs re potuit Pictor Camaldulenſem Montem ab alijs diſtinguere appoſita nota Scalæ illius Maldulo viſæ, ut intelligeretur Romualdus in actu ædificationis Eremi Camaldulenſis exprimi, potiùs quàm in conſtructione Sitriæ, Aquæ bellæ, Eremi ad vivum, aut alterius loci; quo quidem ſymbolo Scalæ adiecto etiam ipſa ſolius Camaldulenſis Eremi effigies varijs formis ære, et ligno inciſa deſignari paſſim conſuevit; atque ea præſertim mens fuiſſe videtur celeberrimi Pictoris Sacchii, qui ad inſignem tabulam D. Romualdi Romæ S. Patrem inter Diſcipulos de rebus divinis loquentem depinxit, Scala ſeorſim expreſſa, ut intelligeremus Camalduli Romualdum ad quinque Diſcipulos ibidem collocatos concionantem deſignari, non actu Scalam videre, quod illi dormitanti contigiſſe adverſarij ſupponunt. Quod verò ad alios Pictores attinet, qui Scalam ipſam Romualdi oculis velut obiectam pinxerunt, credibile eſt ad ipſammet divinam inſpirationem indicandam, non quidem novo ſigno Camaldulenſis Stemmatis, angelicis manibus repræſentati, uti voluiſſe (quemadmodum Pictor Piſanæ tabulæ, de qua

G 2 ſupra)

ſupra) ſed immediatè ipſammet Malduli Scalam, velut idoneum Symbolum, uſurpaſſe: quatenus licet ipſi Romualdo minimè oſtensa fuerit corporea illius Scalæ ſpecies, qualis Maldulo apparuit, tamen ex ejus relatione ſibi à Maldulo facta interiùs commotum ſe Vir Sanctiſſimus ſenſit, ut voluntati Dei acquieſceret, atque ædificationi Eremi Camaldulenſis manus admoveret, intelligens, Montem hunc illum eſſe, *in quo beneplacitum erat Deo habitare in eo*; Nam et B. Rodulphus in Conſtitutionibus ſupra relatis, poſt narratum Malduli colloquium, de Romualdo ſubdit: *Quo audito Vir Dei, tanquam Divino illuſtratus Oraculo, Campum petijt, locum vidit, cellas ibidem conſtruxit &c.* Atque ita quæ de Romualdo circumferuntur picturæ, Scalam Camaldulenſem exprimentes, maxima ex parte veræ ſunt, optimaque ratione inſtitutæ, et omninò retinendæ, licet ſoli Maldulo revera facta eſſe dicatur Viſio, de qua diſputamus, non Romualdo.

VIII. Quamquàm non neceſſe eſt has conjecturas ſectemur, dum trium ſæculorum cum dimidio intervallum ita diſiungit aſſertæ Viſionis Romualdi tempus à tempore, quo prima, et omnium vetuſtiſſima ex his picturis formata eſt, ut minimũ habeat ponderis ad perſuadendam hujus myſterij tamdiù occulti, et omnibus hactenus incogniti veritatem; præſertim cùm obvia ſit deceptionis origo ex nomine Malduli, cui ſoli Scala illa apparuit, in nomen Romualdi mutato, vel ex prava applicatione verborum Malduli cum Romualdo colloquentis, juxta Rodulphi relationem, ad ipſum-

ſummet Romualdum, ut ſuperiùs animadvertimus. Nec magnoperè ſpectanda noſtri temporis reſpectu picturarum antiquitas, quæ nonniſi vetuſtatem erroris probare poteſt, immò quo vetuſtiorem ętatem olere dicentur tales effigies, eò ad ſimpliciora, et rudiora tēpora, dictæque æquivocationi magis obnoxia referentur: ſed ad Romualdi ævum, quo tam poſteriores eſſe noſcuntur, illæ ſunt comparandæ, atque animadvertendum eſt, non majorem, tractu temporis, auctoritatem ijs acceſſiſſe, aut olim poſt mille annos acceſſuram, quàm primo die, quo compoſitæ ſunt, obtinerent; tunc autem tantam dumtaxat de hiſtoriæ hujus veritate fidem meruiſſe, quanta deberetur picturæ circa rem à 350. annis prętteritam, nulliſque monumentis aliunde cognitam, recèns effictæ. Cogitemus itaque novam hodie effigiem prodire, quæ B. Bernardo Ptolomæo, aut B. Joanni Columbino, aut B. Petro Gambacurtæ, aut S. Brigittæ Viduę [à quibus ſæculo quartodecimo novæ Religioſæ familiæ ſunt inſtitutæ] viſū currum ex. gr. repræſentet, quo ſui poſteri in Cœlum attollerentur: eritne qui propterea inaudito prodigio aurem præbeat, fidem adijciat, licet nullis hactenus monumentis id innotuerit? Idem planè de hiſce imaginibus, ad Romualdi tempora æquo diſſita intervallo relatis, judicium eſto, quæ licèt nunc antiquiſſimæ habeantur, quondam de re tunc vetuſtiſſima recentes fuerunt, nec ſubſequenti tempore majorem fidem adeptæ ſunt, *Veritati enim nemo præſcribere poteſt*, ut ait Tertullianus de velandis Virginibus.

IX. Et

IX. Et profectò, aut myſticè dumtaxat intellectas fuiſſe oportuit hujuſmodi picturas, modo ſuperiùs expoſito, aut nihili habitas, præ veterum Scriptorum teſtimonio, illarum auctoritatem; ſiquidem adhuc per 150. ferè annos Viſionem Scalæ de ſolo Maldulo creditam fuiſſe nihilominùs conſtat, nec niſi anno 1513. pleno ore Romualdo tribui cæptam eſſe patet, vetera monumenta omnia ejus ętatis iterum excutiendo: in quibus primò Virum Sanctitate conſpicuum B. Hieronymum Alberti Pragenſem Eremitam Camaldulenſem audiamus, qui anno 1429. [ut ex Camaldulenſis Archivi monumentis conſtat] ſermonem copioſum de S. Romualdo in ejus feſtivitate edidit, et mox anno 1433. ad inſtantiam Carthuſianorũ Baſileenſium, apud quos hoſpitabatur Concilij Theologus, iterùm compilavit, et exſcripſit, ut liquet ex ultimis verbis Mſſ. Paderbornenſis Codicis, ex quo Sermonem hunc primus typis vulgavit Joannes Bollandus in Actis SS. Februarij pro ſecunda vita S. P. Romualdi. Ex hujus itaque ſermonis cap. 10. nu. 61. verba ipſa controverſam Viſionem ſpectantia iuvabit hìc in medium afferre; ait ergo: *Veniens itaque Pater Sanctus in Romandiolam, aſcendit altiſſimum Apennini montem, luſtrans alpes per circuitum, cupiens invenire pro Eremitis idoneum locum, cui occurrit quidam Vir nomine Maldulus, dicens ſe habere amænum locum in alpibus, conſueto nomine vocatum Campum bellum. Hunc B. Romualdo offerebat, petens inſtantiùs, ut nomine ipſius Camaldulum vocaretur, ubi dum laſſus quieſceret, vidit, inſtar Jacob, Scalam excelſam, Cœlum quaſi ſuo vertice tangentem, per quam albe-*

Digitized by Google

albeſcentium Monachorum videbatur aſcendere multitudo in Cœlum. Mox S. Pater, tamquam divino illuſtratus Oraculo, Eccleſiam miræ pulcritudinis in eodem loco ædificavit, quam Theodaldus Aretinus Epiſcopus in honore Salvatoris conſecravit, in circuitu autem ejuſdem Eccleſiæ quinque cellas conſtruxit, et totidem Eremitas ibidem collocavit.

X. Hæc Hieronymus, qui ſi credatur, ut primo intuitu videri poſſet, hanc Viſionem de Romualdo narrare, hic primus omnium Scriptorum erit, apud quem hæc traditio litteris conſignata notabitur; neque ab omni veri ſpecie abhorreret, Virum aliàs doctum, prudentem, eruditum, coacervandæ in encomium S. Patris materiæ nimis intentum, non ſatis animadvertiſſe, Viſionem eiuſmodi ſoli Maldulo per Rodulphum adſcribi, eamque Romualdo, non Maldulo (alterutrum enim, non utrumque Hieronymus Scalæ ſpectatorem facit) haud difficili memoriæ lapſu, vel attentionis ad facti circumſtantias, et ſubiecta defectu, tribuiſſe, ut in eodem ſermone cap. 3. nu. 12. ſimili æquivocatione deceptus hic Auctor deprehenditur, dum Romualdo adſcribit, quod immò de B. Petro Biſurcenſi ejus Diſcipulo narrat Petrus Damianus in vita S. Patris cap. 34. de cella ad imitationem S. Hilarionis quatuor cubitorum dumtaxat ſibi permiſſa, id quod ſicut non cogit nos Damiano fidem propterea denegare, qui de Petro Biſurcenſi, non de Romualdo tantam extremitatem apertiſſimè retulit, cùm potior ſit, et clarior Scriptoris magis antiqui, quàm junioris auctoritas, ita nec perſuadere poteſt, nos ab expreſſo Rodulphi, pri-

mi

Digitized by Google

mi harum rerum Scriptoris, teſtimonio recedere, qui Maldulo manifeſtè, non Romualdo Scalam viſam cõmemorat; eadem quippè eſt facti utriuſque paritas, et conditio.

XI. Verùm ut ab hac nota Hieronymus ipſe liberetur, obſervandum eſt, revera Viſionem Scalę prędictæ etiam ab hoc Scriptore non ad Romualdum, ſed Maldulum referri, ut ipſa verba paulò attentiùs relegenti conſtare poteſt; licet enim tantillùm ambiguus ſenſus eſſe videatur in clauſula: *Ubi dum laſſus quieſceret &c.* an Romualdum, cui campus oblatus erat, an Maldulum offerentem reſpiciat; nihilominùs, dum abeſt rectus caſus Romualdum indicans, cui clauſula hæc regenda committatur, ſolus autem Maldulus in recto pręcedit, *dicens ſe campum habere amænum &c. quem B. Romualdo offerebat, petens inſtantius, ut nomine ipſius Camaldulum vocaretur*, quis dubitet, verba *immediatè* ſuccedentia, *ubi dum laſſus quieſceret &c.* ad eundem referri? Profectò longè planior, commodiorque ſenſus Hieronymi eſt, ſi de Maldulo hìc continuatim loqui intelligatur, tantùmque ad Romualdum redire, cùm ſubdit. *Mox S. Pater tamquam divino illuſtratus oraculo, &c.* cohærenter ad textum Rodulphi ſuperiùs ſæpe citatũ, *Quo audito Vir Dei, tamquam divino illuſtratus oraculo, &c.* Undè apertiſsimum videtur, necdum temporibus Hieronymi Pragenſis ſomniaſſe aliquem, Scalam ab Romualdo viſam, ſed aliquantò poſteriùs, et quidem fortaſſe ex ejus verbis faciliùs, quàm ex Conſtitutionibus Rodulphi, utpotè ęquivocationi magis obnoxijs

occa-

occaſionem ſumptam fuiſſe, Apparitionis hujus Romualdo, tamquàm celebrioris nominis Viro, et majoribus Sanctimoniæ titulis apud omnes Clariſsimo, potiusquàm Maldulo adſcribendę, et inter noſtros primùm, deinde et apud exteros evvlgandę.

XII. Neque tamen id generatim omnibus probatum, exceptumve ſtatim invenio, ſed ſęculo dumtaxat ſequente; nam cùm anno 1487. Petrus Delphinus Generalis à Priore Angelorum Florentiæ Guidone rogatus eſſet, ut ipſo permittente ſibi liceret, ac ſui Monaſterij Monachis habitus formam tantiſper immutare, ſtatìm repoſuit Vir Graviſſimus, et moris antiqui tenax lib. 1. ep. 71. hanc ſententiam minimè ſibi probari, atque in eo ſe habitu vivere malle, quem omnes retrò Patres noſtri geſtaverāt, mox ſubdens in ejus commendationem: *Quam enim nos in præſentia cucullam vocamus, licet majoris, ut ſcribis, ſumptus ſit, ut duplicem quiſque habeat, et faſtidioſum judicio tuo videatur, totiens diù noctuque illa indui, exuique oportere: ab omnibus tamen ubique ſummoperè laudari audivi, et Venetijs in primis, ubi præ cæteris noſter habitus Camaldulenſis, et graviſſimus, et honeſtiſſimus ſemper exiſtimatus eſt:* Ubi ſanè, ſi Cœlo probatum colorem hujuſmodi, et veſtium formam credidiſſet, veroſimile eſt, non diſſimulaturum fuiſſe, ac Viſionem Scalæ Romualdo per ſomnum obiectam hoc veſtimenti genus conſecraſſe, magnificè prædicaturum: longè acriùs certè Guidonem hac in re obiurgaſſet Fortunius noſter, qui part. 2. Hiſt. Camald. lib. 4. cap. 21. hanc ejus cupiditatem *temeritatem* appellat à Delphino *acriter*

obiurgatam, eamque indicium affert Viri in deteriorem mutati.

XIII. Sed quid de Bernardino Gadolo dicemus, Viro ſui ſæculi longè doctiſſimo? Hic in libro de Origine, et ſucceſſu Camaldulenſis Ordinis, licet albi coloris, quo paſſim utimur, cauſas inquirens, et quamvis inter alias, quas coniectando congerit, et hanc proponat de Scalæ Monachorum albeſcentium viſione; ipſam nihilominùs ad Maldulum dumtaxat refert, non ad Romualdum, utì oportuerat, ſi tempore illo Romualdi æquè, ac Malduli Viſio recepta fuiſſet. Eccum ejus verba: *Ordo Camaldulenſis circa annum Domini 950. initium ſumpſit à B. Romualdo, qui ædificatam Eremum in Campo cujuſdam Malduli Camaldulenſem appellavit, imò omnes ejus ordinis Monachi Camaldulenſes ſunt poſteà appellati. Et cùm antea indiſcreti coloris veſtibus quilibet Monachus uteretur, recenſens illud ſacræ Scripturæ dictum: omni tempore veſtimenta tua ſint candida, et alibi, quòd Sancti amicti Stolis albis ſequuntur Agnum quocumque ierit, et propter VISIONEM MALDULO OSTENSAM, qua ſibi apparuit Scala protendens à terra in Cœlum, per quam alborum multitudo aſcendebat, voluit, ut qui eum ſequerentur Monachi deinceps nonniſi albis induerentur veſtibus, non mutata tamen cucullæ, cæterique monaſtici habitus forma*. Ita quidem Gadolus anno 1496. ut patet ex ejus Nuncupatoria ad Jacobum Philippum Bergomatem, huic opuſculo, quod in Bibliotheca S. Michaelis Murani MS. ſervatur, præfixam; ubi conſtat, neque tunc adhuc receptam, vel certè à Gadolo contemptam prætenſæ Viſionis Romualdi

mualdi traditionem ; Coloris verò habitus non tam mutationem (quaſi anteà ſoliùs nigri uſus invaluiſſet) quàm ſolam determinationem [*cùm indiſcreti*, inquit, *coloris veſtibus*, adeòque etiam, ut plerumque ex nativo lanę colore citra ullam tincturam occurrebant, albis, *quilibet Monachus uteretur*] à Romualdo quidem factam ſupponi primò ex alluſione ad duo Scripturę loca, quę Gadolus citat : ſecundò, et quaſi acceſſoriè [quod nunc principale motivum prętendunt] ex Viſione illius Scalę, non tamen Romualdo, ſed Maldulo exhibitę.

XIV. Sequenti verò ſęculo jam ineunte, invenio quidem inter Pauli noſtri Orlandini carmina in Bibliotheca Angelorum Mſſ. titulum Epigrammatis anno 1500. conſcripti, qui hanc Scalę Viſionem ſupponere, ipſique alludere videri poteſt, ſic enim habet: *Ad Sanctum Romualdum Dormientem in Viſione ſua* ; at in ipſo Epigrammate nihil deinde eſt, quod exprimat ſive Viſionem ſcalæ, ſive habitus mutationem, adeòut perinde ad alias Romualdi revelationes, atque ad hanc, de qua loquimur, referri queat. Ecce integrum epigramma titulo prępſcripto ſubiunctum.

Inclyta magnanimùm ſoboles Romualde Virorum
Surgito, et interitum ne patiare tuum.
Cælica nonnè vides furtim præcepta relabi,
Claræ cùm pereant Religionis opes ?
Aſpira nobis, quibus hic tua Numina curæ,
Jam quoque congeſtum perfice mentis opus.

Digitized by Google

Nam te per certum vulgamus carmine nomen,
Teque per alternos pergere narro modos.
Gymnaſium quodcunque vides celebrare per orbem
Geſtimus: placeant munera noſtra tibi.

XV. Porrò nullos, niſi domeſticos auctores expendere hactenus conſultò placuit, ne controverſam Viſionem, et habitus mutationem, privata dumtaxat noſtrorum traditione, exteris incognita, ad nos uſque demandatam exciperent adverſarij: quamquàm ſiqua fuit hiſce temporibus de Scala S. Romualdi, et innovatione cucullæ perſuaſio, non video cur tanti Arcani diſciplina inter noſtros dumtaxat cuſtodienda eſſet, quandoquidem hoc tempore ſingulis hoſpitibus ſuis, qui religionis cauſſa Sacram Eremum Camaldulenſem maxima frequentia inviſere ſolent, hanc, vel fabulam, vel hiſtoriam paſſim inculcant; Neque eſt, cur potiùs hac ætate, quàm præcedentibus ſeculis, Camaldulenſium interſit, rem hanc latiùs evulgari, et conſtantiſſimè retineri. Itaque fermè incredibile eſt, Divum Antoninum, Franciſcum Petrarcham, Jacobum Philippum Bergomatem, alioſque, qui de D. Romualdo, deque inſtituto per ipſum Camaldulenſi Ordine non perfunctoriam mentionem ſuis operibus inſeruerunt, prætermittere potuiſſe, aut voluiſſe Viſionem aſſertã, atque habitus mutationem prætenſam, ſiquid de utralibet inaudiſſent, aut eorum diligentiam ſubterfugiſſe tam indubiam, qualẽ adverſarij aſſerunt, traditionẽ, ſiquę tunc, vel apud omnes paſſim, vel ſaltem apud no-

noſtros, quos illi auctores conſulere debuerant, viguiſſet.

CAPUT V.

Reliqua ab initio ſæculi ſextidecimi uſque ad Hiſtoriam Fortunij occurrentia monumenta examinantur.

SYNOPSIS.

Ut loci, ſic temporis intervalla teſtium fidem imminuunt. nu. 1. Idque in duplicata diſtantiæ ratione, ut monumentis pro Scalæ Romualdinæ Viſione hoc ſæculo prodeuntibus centuplò minor fides, quàm Rodulphi ſcriptis debeatur. 2. Monumenta Camaldulenſia anno 1513. edita. 3. Quomodò illa cum Rodulphi narratione conciliare tentaverint. 4. Nullum horum monumentorum veſtigium Camalduli extat vel Baroncini teſtimonio. 5. Lapſus videtur monumentorum Auctor, mutato Malduli nomine. 6. Alia ejuſdem errata. ibidē *Hujus editoris conciliatio cum Rodulphi narratione, tolerabilior, quàm Fortunij, et aliorum. 7. Nicolai del Biada narratio Viſionis Scalæ Romualdi 8. Variorum diſcrepantia in circumſtantijs hujus narrationis, de falſitate ſuſpecta 9. Sabellici de Viſione Malduli non Romualdi teſtimonium. 10. Pauli Juſtiniani narratio Viſioni Romualdi, non mutationi habitus favens. 11. Chriſtophori Marcelli deſcriptio Camal-*

maldulenſis eremi, ſine ulla Scalæ, vel habitus mutati mentione. 12. *Mugnotij relatio Scalæ MS. ſine ullo mutationis indicio, mox edita cum hac adiectione*. 13. *Paulus Morigia donationis Malduli, atque Eremi ædificationis meminit, nulla Romualdinæ Scalæ, habitusque mutati mentione inſerta*. 14. *Idem habet Calzolarius, licet de variorum colorum, in Monaſtico habitu, cauſis ſe locuturum propoſuiſſet*. 15. *Venturæ Minardi Monachi noſtri relatio fundationis Eremi, et donationis Malduli, Scalæ controverſæ, ac mutationis habitus expers*. 16. *Hactenus dictorum concluſio*. ibid.

I. AD ea devolvimur tempora, quæ prout magis ab ætate Romualdi recedunt, magis etiam adverſariorum ſententiæ propitia deprehenduntur: at infirma ſuffragia ſunt, quæ à teſtibus tanto intervallo diſtantibus petuntur, ut enim pro locorum, ita pro temporum ſpatijs decreſcere ſolet narrantium authoritas. De re Piſis geſta idoneum eſt ejus, qui Piſis tunc degebat, teſtimonium; Florentiæ habitantis paulò debilius; Romæ commorantis longè debiliſſimum; extra Italiam exiſtentis fermè nullum; extra Europam poſiti planè intolerabile. Nec diſſimili ratione æquum eſt, magni ponderis eſſe ejus, qui hiſtoriam ſui ſæculi deſcribit, authoritatem; hiſtorici autem uno ſæculo poſterioris, minorem; et duplici ſæculo junioris, adhuc inferiorem; poſt tria verò Sęcula narrantem, fermè nullam fidem invenire; poſt quatuor demum, quinque, aut ſex ſæcula factum aliquod referentis, omninò

nò contemnendam, explodendamque aſſertionem: hìc enim, ſicubi aliàs, locum habet celebris illa ſollertiſſimi, doctiſſimique Cardinalis Baronij regula, jam alibi à nobis laudata ex tom. 1. annal. initio num. 12. *Quod à recentiori Auctore de rebus antiquis, ſine alicujus vetuſtioris auctoritate, profertur, contemnitur.*

II. Non diſquirimus autem, qua proportione, juxtà loci, vel temporis diſtantiam, momentum credibilitatis decreſcat, ne ad res analyticas, vel geometricas, intempeſtiviùs, et cum lectorum tædio, deflectamus. Monuiſſe ſaltem ſufficiet, decrementum hoc procedere, ex Clariſsimi Mathematici ſententia, juxtà duplicatam diſtantiæ rationem, adeò ut, ex hoc calculo, teſtimonium duplò diſtantius ſit quadruplò infirmius, et pro diſtantia tripla noncuplò debilius, atque ita deinceps; unde in noſtro propoſito, momentis pro Viſione Scalæ S. Romualdi, et habitus mutatione prætenſa, ſæculo ſextodecimo occurrentibus, centuplò minor fides habenda erit, quàm Rodulpho, qui ne decima quidem tanti temporis parte ab ævo S. Romualdi ſemotus eſt, ſi vel maximè ſub initium præfati ſæculi accipiantur, ac rurſus minor, ſemperque debilior poſteriorum authorum magis adhuc diſtantium credibilitas habenda erit, vixque tantilla demùm, quæ ſobrio, prudentique animo ad aliquem debilem aſſenſum inclinando par eſſe poſſit.

III. Alacri igitur pede quod reliquum itineris eſt conficiamus, atque ad cætera, quę Romualdinæ Scalæ Viſionem, et habitus innovationem concernunt, indicia

indicia quælibet accuratè colligenda, et expendenda progrediamur. Anno tandem 1513. die 20. Januarij Florentię impreſſa prodijt Vita S. P. Romualdi, magnis privilegijs Leonis X. Pont. Max. adnexa, cui neſcioquę antiqua Eremi monumenta subjuncta leguntur, Romualdi Scalę Viſionem expreſsè, et apertè declarantia, his verbis:

De Prima Inſtitutione Eremi Camaldulenſis
Ex antiquis Eremi monumentis

Anno ab Incarnatione Domini DCCCCVI. B. Romualdus Ravennæ Civitatis ex illuſtri Ducum ſtirpe, cùm eſſet annorum XVII. relicta ſæculi pompa, divitiarumque, ac deliciarum copia abiecta, in Monaſterio Claſſenſi ſub regula Sancti Benedicti habitum Sanctæ converſationis ſumpſit. Anno verò Domini MXII. idem Beatus Romualdus cupiens locum idoneum Eremiticæ converſationis invenire, pervenit ad iſtum locum Camalduli: ubi dum laſſus paululùm requieſceret, raptus in ſpiritu vidit ad inſtar Jacob Scalam excelſam, ſuo vertice Cœlum tangentem, per quam ſplendeſcentium, atque albeſcentium videbatur aſcendere multitudo: Qui mox divino admonitus Oraculo, Eccleſiam in eodem loco ædificavit in honorem Sancti Salvatoris Domini noſtri Jeſu Chriſti, et in circuitu ejus quinque cellas conſtruxit, in quarum una ſeipſum aliquanto tempore recluſit, et magnis ibidem corruſcavit miraculis: requievit autem in Domino ipſe Beatiſſimus Bater Romualdus anno Domini MXXVII. Cujus corpus jacet in Monaſterio Vallis de Caſtro in Marchia Anconitana.

IV. Tum relato Rodulphi teſtimonio, quamvis aliquantulùm interpolato, ut monui Diſſert. II. cap. 6. n. 10.

n. 10. ex quo Scalę Viſionem Maldulo factam fuiſſe conſtat, ſtatim ſubditur: *Hæc etiam omnia ſine ulla varietate à Gherardo Priore Eremi, qui anno Domini* 1278. *Ereniticas ſcripſit Conſtitutiones, earumdem capitulis XXVI., et XXVII. enarrantur*. Tum conciliator accedit Monachus horum editor [quem olim conijciebam fuiſſe D. Nicolaum Biadi, à Ractio in deſcriptione Sacræ Eremi cõmemoratum, qui admonitioni huic cohærentem fundationis Eremi Hiſtoriam, inter aliarum Religionum origines, traditam monumentis reliquit] Viſionem tum Romualdo, tum Maldulo exhibitam fuiſſe apertè contendens his verbis: *Neminem autem perturbet, quòd alibi à Beato Romualdo, alibi verò à Maldulo viſa Scala referatur: quoniam ab utroque viſa fuiſſe exiſtimatur. Unde Sanctus Romualdus Maldulo Scalæ Viſionem narranti, non priùs ad plenum credidit, atque animum ad Eccleſiam, cellulasque ibi conſtruendas induxit, niſi poſtquàm ipſe locum adiens eadem vidit. Quod (ut in multis accidit) per memorias hominum tráditum, uſque hodie tamquam noviſſimè factum fuiſſet conſervatur, et antiquiſſimæ in Eremo picturæ idem teſtantur.*

V. At quam fidem apud cordatos Viros Camaldulenſia hæc præclara monumenta mereri poſſunt? Nullius certi Auctoris nomen præferunt, nullam definiti temporis, quo deſcripta fuerint, notam exhibent, nec ullum determinati loci, ubi ſerventur, aut unde tranſumpta fuerint, indicium deſignant: Nulla inſuper eorum veſtigia ſuperſunt, ſive inter Bibliothecæ Sacræ Eremi Codices Mſſ., ſive inter Camaldulenſis Archivi (aliàs integri, illibatique, nec flammarum, nec bello-

 rum,

Digitized by Google

rum, nec prædonum, nec alluvionum diſcrimen hactenus paſſi] paginas, membranas, volumina, quæ ſumma diligentia, ac ſollertia diſcuſſit, examinavit, in ordinem redegit, indicibus copioſiſſimis, ad expeditam eorum inventionem, illuſtravit Vir Eruditiſſimus D. Odoardus Maria Baroncini Eremita Camaldulenſis, nunc Cortonæ Prior; diſcuſſis autem, examinatis, reviſis omnibus, epiſtola ad me data ex Sacra Eremo pridie Idus Maij 1698. reſcripſit: *De habitus quidem mutatione, nihil certi uſpiam ſe reperiſſe, patere verò, SCALAM MINIME' VISAM FUISSE A' SANCTISSIMO PATRE NOSTRO ROMUALDO, cùm Maldulo tantùm tribuatur.*

VI. Ad hæc, quandoquidem ijsdem planè verbis, ac ſimilibus clauſulis deſcribitur in hujuſmodi monumentis Romualdi Viſio, quibus à Rodulpho, Gherardo, Hieronymo Viſio Malduli traditur, manifeſtum eſt, unam, eandemque Viſionem utrobique ſignificari, quam certior Rodulphi authoritas Maldulo, incerta verò hæc monumenta Romualdo adſcribunt; quę etſi vetuſta ſupponerentur, non tamen Rodulphi ætatem ſuperarent, nec cum ejus teſtimonio forent ullatenus conferenda, præſertim ob palmares errores circa ætatem, et converſionem S. P. Romualdi, maniſeſtiſſimè Petro Damiano adverſos: nam ſi *anno* 906., *cùm eſſet annorum* 17. *habitum ſanctæ converſationis Romualdus accepit, requievit autem in Domino anno* 1027. oportuit ſanè Virum Sanctiſsimum annos omninò 138. vixiſſe, quorum 17. in ſęculo expenderit, ac totos 121. in Religione

gione trànſegerit, cùm Damianus aſſerat, *vixiſſe Virum Beatiſſimum* 120. *annis, quorum viginti expendit in ſæculo, tres duxit in Monaſterio, reliquos nonagintaſeptem in eremitico tranſegit propoſito*. Ineptè igitur, et inutiliter allaborat Scholiaſtes ille, dum hæc præclara monumenta cum Rodulphi narratione conciliare nititur, utrique reipſa viſam Scalam affirmans, Romualdo nempe, et Maldulo, cùm alterutri tantùm tribuatur, tam in his monumentis, de Maldulo prorſus ſilentibus, quàm in Rodulphi ſcriptis, de Romualdi Viſione nihil indicantibus: evidenti ſigno, mutatum dumtaxat ab horum monum. Auctore *Malduli* in *Romualdi* nomen, huic cõfuſioni, et ęquivocationi cauſam dediſſe, cui tollendæ non alia conciliatio debeatur, quàm veri nominis *Malduli* in Scalæ Viſione reſtitutio, prorſus contempta horum monumentorum fide, utpotè incertorum, recentium, ac de alijs erroribus convictorum, de quibus actum eſt etiam Diſſert. II. cap. 6. n. 10.

VII. Cautiùs tamen Scholiaſtes hic utramque Viſionem compoſuit [quemadmodùm et Nicolaus Biadi in libello Mſſ. Monaſterij S. Joannis de Prato Veteri, quem Ractius noſter citat in deſcriptione Sacrę Eremi cap. 2. et nos infra per extenſum adducemus num. ſeq. ſive hic idem fuerit cum laudato Scholiaſte, ut olim conjeceram, ſive alius ab ipſo] dum Romualdum, poſt Malduli Viſionem, locum ipſum adijſſe, ac ejuſdem Viſionis compotem factum ſcribit; Cautiùs, inquam, rem ita compoſuit, quàm Paulus Juſtinianus, Andreas Mugnotius, ac denique Auguſtinus Fortunius cum

ejus aſſeclis, et concellitis Ractio, Minio, exteriſque per hos edoctis, qui utriuſque Scalæ Myſterium hoc modo componunt, ut primò quidem Romualdus illam viderit, tum Maldulum obvium habuerit, qui ejuſdē myſterij ſe pariter compotem olim fuiſſe detexit: Hoc enimverò è diametro pugnat cum B. Rodulphi narratione, in qua refert, quòd poſt colloquium cum Maldulo, Campum Romualdus petijt, locum ipſum inviſurus, ubi propterea non anteà fuiſſe, eòque minùs tam mirabilem Viſionem, narratæ ſibi à Maldulo conſonam, habuiſſe cenſendus eſt: En Rodulphi verba: *Quo audito Vir Dei, tamquam divino illuſtratus oraculo, mox campum petijt, locum vidit, cellas ibidem conſtruxit*; Qua ſaltem circumſtantia cùm lapſi fuerint hi authores, vix in ipſa ſubſtantia Viſionis Romualdo tribuendæ fidem ullam merentur, etiamſi tam multa, quæ ſupra expendimus, illam commentitiam, et ex errore, aut æquivoca vetuſtiorum authoritatum expoſitione S. Patri affictam non probarent. *Ita quæ à Veritate non veniunt, ſeſe ipſa ſubvertunt*, ut ait Auguſtinus lib. 7. de Civ. cap. 19.

VIII. Intereà temporis, aut paulò antea conſcriptus videtur Codex D. Nicolai del Biada Monachi noſtri, olim Prioris S. Benedicti extra Florentiam, cujus apud Moniales S. Joannis Evangeliſtę de Prato veteri exiſtentis meminit Sylvanus Ractius in deſcriptione Sacræ Eremi cap. 2. cujus verba ad hanc Viſionem attinentia huc ex eodem Ractio tranſcribam: ait ergo: *Dal quale partitoſi capitò finalmente* (de Romualdo loquitur

tur ex B. Marini conſortio divertente, quaſi valde finitima fuerint tempora decem fortaſſe luſtris diſcreta] *ad Arezzo in Toſcana, dove avenne, dimorando quivi, che un Cittadino di quella terra, chiamato Maldolo degli Allegri, fatta domeſtichezza con eſſo lui, gli manifeſtò un ſuo ſecreto, dicendo: Padre, io voglio, che voi ſappiate, che avendo io fatto edificare in Caſentino, vicino ad un mio luogo, un Oratorio, dove andiamo alcuna volta i miei compagni, ed io à fare noſtre divozioni; abbiam veduto alquante volte, ſtando quivi, una Scala da Cielo à terra, et uomini veſtiti di bianco, i quali ſalgono sù per queſta ſcala, e vanno in Cielo. Vorrei ſapere quello, che queſto vuol dire. Riſpoſe Romoaldo, io voglio venire in ſul luogo, e ſe coteſta viſione verrà anche à me, io ti dirò quello arrai da fare. Andato dunque Romoaldo indi a non molto con queſto Maldolo in detto luogo (tanto è) quella viſione venne ancora a lui. Onde rivolto al detto Maldolo, ſappi, gli diſſe, che queſto Oratorio, lo quale ai fatto, è poco alla volontà di Dio; però fa quì un luogo, et un Oratorio tale, che ci ſtia un Convento di Santi Monaci, i quali dì, e notte laudino Dio, et il detto Oratorio ſia dedicato al nome del Salvatore Gesù Criſto. Piacque a Maldolo il conſiglio del Padre, e perche aveſſe effetto, donò tutto quel paeſe, e carteggiò à S. Romoaldo, dandogli piena commeſſione ſopra il fare queſta ſanta opera. E così fece ſubito edificare San Romoaldo l'Eremo di Camaldoli, e miſevi ſuoi Diſcepoli, che teneſſono vita Eremitica, e ſpirituale. E quanto al nome, eſſendo Romoaldo Ravignano, et avendo qualche anno dimorato a Venezia, ne i quali paeſi ſi dice Cà in vece di Caſa; egli, et inſiememente i ſuoi Diſcepo-*

li,

li, ſeguendo l'uſo loro, ſi crede cominciaſſono à dire Cà Maldoli, in quel modo, che in quelle parti ſi dice da Cà Quirini, da Cà Contarini, e ſimili: e che da cotal voce ſia avvenuto poi, che quel luogo, e queſto Ordine ſia ſtato chiamato di Camaldoli, ò vero Camaldolenſe.

IX. Subdit autem Ractius loco citato, longè diverſis circumſtantiis hæc ab alijs authoribus narrari, ait enim: *Altri dicono, che eſſendo Romoaldo venuto dove oggi è l'Eremo, il qual luogo in que' tempi era detto (per l'amenità, e piacevolezza del ſito) Campo Amabile, vidde dormendo à piè d'una fonte, e ſotto un albero la detta Scala: e che di quivi ſcendendo a Fontebuono, ſi ſcontrò in Maldolo per la via, al quale diſſe ciò, che aveva veduto, e che Maldolo diſſe a lui, avere anch' egli avuto più volte la medeſima viſione: Ma non importando, chi di loro foſſe primo a dirlo all'altro, baſta che ambidue ebbero la ſteſſa viſione; e ne ſeguì, non pure la detta edificazione, ma anche* (quod Leonardus Biadi, ut ſibi incompertum omiſit, Ractius verò hìc ex Fortunio ſupplet) *che Romoaldo, il quale prima veſtiva d'abito nero, ſi veſtì di bianco, et il medeſimo fece fare à tutti i ſuoi diſcepoli in tutti i luoghi, che egli edificò, i quali furono molti, come nella ſua vita ſi legge.* Similem authorum variationem in hac hiſtoria referenda, notat etiam Lucas hiſpanus Hiſtor. Romual. lib. 1. cap. 8. *Hoc in loco varij varia tradunt, qui certe parùm inter ſe conſtare videntur, quorum alter Romualdum Aretij commorantem ab ipſo Maldulo fuiſſe præventum, eoquòd primus ſomnium de Scala præfata ſomniaſſet; alter et Romualdum, et Maldulum eundem vidiſſe viſum affirmat; alius eo-*

rum

rum aſſerit, Monaſterium Fontisboni, palatium fuiſſe Malduli, et rurſus Maldulum in ipſa Eremo habuiſſe ſacellum, in quo ipſe cum paucis quibuſdam ſocijs ſæpe orabat &c. Ita, ubi ſemel commentitiis circumſtantijs hæc Hiſtoria cœpit adornari, variam, et inconſtantem falſitatis ſpeciem aſſumpſit; *Veræ* ſiquidem *Hiſtoriæ indicium eſt* (inquit ille) *ſi de eiſdem rebus omnes eadem dicant, atque conſcribant*. Varietas verò, ut Teſtium, ſic Scriptorum, falſitatis, et figmenti juſtam ingerit ſuſpicionem.

X. Sed hæc obiter inſeruiſſe ſufficiat: Chronologicam ſeriem ne abrumpamus, in qua proximus ſe nobis ſiſtit egregius Hiſtoricus Sabellicus, qui licèt aliquantò anteà ſcripſerit, tamen hoc primùm loco à nobis commemorari potuit, quia ejus librum anno 1517. editum dumtaxat accepimus. Is ergo Æneade 9. lib. 2. ſic ædificationem Camalduli deſcribit: *Incidit demum Romualdus in Etruria in Maldulum Apennini incolam, qui de Religione, ut æquum eſt credere, appellatus, teſtatus eſt, habere ſe agellum in ſummo Apennino, ubi per quietem viſus eſſet ſibi cernere Scalas in Cœlum ſurrectas, in quibus innumeri mortales candido amictu Cœlum ſcanderent; motus ea imagine non minùs, quàm divino quodam Oraculo Romualdus, locum ab hoſpite, et petiit, et impetravit: Oratorium condidit: candidam dat cucullam ijs ferendam, qui loco initiandi eſſent, in argumentum nocturnæ illius imaginis, cùm anteà Monachi indiſcreto amicirentur colore: dedit et Camaldulenſium nomen ferre à Camaldulo campo &c.* Hæc M. Antonius Sabellicus, cui patet ignotam fuiſſe D. Romualdi Scalam, cùm de Viſione Malduli dumtaxat loquatur, habitus

verò

verò candidi, non quidem ex nigro mutationem, ſed ſolam determinationem, ex *indiſcreto*, quo prius utebantur, *colore*, à Sabellico agnoſci, tamquam ex nocturna illa *Malduli* imagine, non ex *Romualdi* Viſione derivatam, idque juxta mentem Gadoli ab ipſo laudati, cujus ſimile teſtimonium ſuperiori capite num. 13. adduximus.

XI. Sed progrediamur, atque huc pertinentem B. Pauli Juſtiniani textum, ex ejus proœmio in Regulam vitæ eremiticæ anno 1520. impreſſæ, in medium afferamus, ubi de Romualdo ſic loquitur. *Cùm in Hetruriæ finibus ad partes Aretini Territorij, anno ab eadem Incarnatione Domini milleſimo duodecimo deveniſſet, et per aſpera apennini juga iter faceret, inter altiſſimas ſylvas campum valde invenit amænum, lucidiſſimis, ac dulcibus aquis irriguum, in quo dum, vel labore feſſus, vel loci amænitate delectatus, paululùm quieſceret, raptus in ſpiritu, inſtar Jacob, Scalam vidit excelſam nimis, et ſuo vertice cœlum tangentem, per quam divino quodam ſplendore fulgentium videbat Monachorum aſcendere multitudinem: qui mox deſcendens, Virum quendam Nobilem Aretinum, nomine Maldulum invenit, cujus ille campus in alpibus poſitus proprius erat; Qui B. Viro Romualdo obviam factus, audito, quòd locum ad Eremiticam converſationem idoneum quæreret, campum eundem illi obtulit, aſſerens ſe, cùm aliquando ibi dormiret, Scalæ cujuſdam mirabilem Viſionem vidiſſe, per quam ad Cœlum uſque Monachorum aſcenderet multitudo. His Vir Dei in divino Oraculo confirmatus, oblatum à Maldulo Campum accepit, et Venerabilis Viri Theodaldi Aretini Epiſcopi, qui tunc tempo-*

ris

Digitized by Google

ris Etruriam penè univerſam utraque regebat poteſtate, ſuffragio facillimè impetrato, ibidem Eccleſiam in honorem, et titulum S. Salvatoris noſtri, et quinque in circuitu ejus cellas conſtruxit, in quibus religioſos Fratres ordinavit, et Regulas jejunandi, ſilendi, atque in cellulis permanendi, aliaque Eremiticæ vitæ inſtituta perfectè tradidit, una ſibi reſervata, quæ uſque ad hæc tempora, omnium, quæ in Eremo ſunt, antiquior, et anguſtior, Beatiſſimi Romualdi cella nuncupatur. Hæc ille, quem, ut perſpicuum eſt à partibus ſtetiſſe aſſerentium, Viſionem Scalæ Romualdo factam, ita manifeſtè liquet, utramque Malduli, ac Romualdi apparitionem ita compoſuiſſe, ut Rodulphi narrationi penitus opponatur, quatenus Rodulphus Romualdum refert, poſt Malduli colloquium, ad Campum Malduli ſe contuliſſe, ut locum inviſeret, quemadmodùm ſupra num.7.obſervavimus. Notari tamen meretur, de mutatione habitus etiam Juſtinianum prorſus ſilere, qui adeò nihil myſterij in colore aſcendentium Monachorum agnovit, ut neque illos *albeſcentes* fuiſſe indicet, ſed *fulgentes* dumtaxat, ibi: *divino quodam ſplendore fulgentium videbat Monachorum aſcendere multitudinem.*

XII. Sequentis anni 1521. Autumno, Camaldulenſem Eremum inviſit, et Florentiam redux, epiſtola ad amicum data, prolixam ejus deſcriptionem, quæ vulgò circumfertur, edidit Chriſtophorus Marcellus Archiepiſcopus Corcyrenſis, ubi et vivendi morem, et cellarum diſpoſitionem, et veſtium formam, ac totam loci ſpeciem deſignans doctiſſimus Præſul, pijſſimam quoque *De natura abietum* meditationem abs ſe conce-

ptam refert, quam poſtmodùm longis epiſodijs auctam, interpolatamque, ipſimet Divo Romualdo adſcripſit Fortunius part. 1. l. 1. cap. 24., ut infrà nos Capite ſeq. num. 4. videbimus. De Scala verò ne muſſitat quidem graviſſimus Præſul, quemadmodùm de mutatione pariter habitus ſilet, tantumque ait: *Habitus Benedictini, et Candidi Ordinis eſt Eremitis, oblongis, et impexis barbis ſe habentibus, tonſo crine, relicta circumquaque corona, ut conſuevit*; cùmque adeò minutè cellas omnes, omneſque illarum angulos, armariola, et ſecretas ſedes, *fatis numquam moveri conceſſas* nihilominùs deſcribat, mirum ſanè, ut de Viſionis Scalę loco, et fonte, ac cella deſuper conſtructa penitus ſileat!

XIII. Similem Camaldulenſis Eremi deſcriptionem anno 1569. adornavit Andreas Mugnotius Conchenſis Hiſpanus, quę poſtmodum Romæ anno 1570. edita eſt, ac Pio V. Sanctiſſimo Pontifici dicata: ubi mirari ſubit, cur habitus mutatio inſerta fuerit, quum in ejuſdem vetuſto Mſſ. Exemplari, quod in Bibliotheca Angelorum Florentiæ habetur, nihil ad illam pertinens uſpiam legatur, ſed tantùm Scalæ Viſio Romualdo adſcipta, conformi penitus traditione cum Paulo Juſtiniano ſupra relato; ait enim Mugnotius: *Qui* [Romualdus] *longo, aſperoque itinere defatigatus, ſopore gravi perfuſus, coruſcantes Scalas ab ipſius montis vertice ad Cœlum uſque erectas, et Monachos complures fulgentiſſimos per illas conſcendentes (inſtar Patriarchæ Jacob) videre meruit; Qua re expergefactus, tantaque Viſione territus, ad Dominum effundere preces non ceſſavit. Accidit autem, ut obvius*

Digitized by Google

ei fieret nobilis quidam, ac probus Vir Aretinus, nomine Maldulus, qui [*ſicut Domino placuit*] *eandem rem mirabilem viderat; cùmque de ijs inter ſe aliquantulùm agerent, ipſeque Maldulus ea omnia divino nutu accidiſſe crederet, Sanctiſſimo Viro Romualdo, et locum ipſum, et domum per duo ferè milliaria diſtantem, quam ipſe tunc habitabat, quæ apud Fontem, quem appellant bonum, extructa erat, ac in ea hodie religioſum ejuſdem Ordinis cænobium in Dei laudem erectum eſt, gratis, et liberè dedit. Ab illo nempe Maldulo* [quò ad denominationem puto] *Ordo Sacer Camaldulenſis exordium ſumpſit. Poſt hæc Vir Sanctus ſacrum, ac religioſum templum, Epiſcopo Aretino aſſenſum præbente, Servatori noſtro dicavit, et quinque domunculas, quarum anguſtiorem inhabitabat anno Virginei partus milleſimo duodecimo, conſtruxit, ac Sacram Eremum Camaldulenſem, toto terrarum orbe celebrandam, meritò appellavit*. Tùm immediatè ſequitur in manuſcripto ejus temporis Codice prælaudato: *qui tandem ſenio confectus, annum agens vigeſimum ſupra centeſimū, ab hac luce ad æternam feliciſſimè migravit*. At in impreſſo libello, poſt verbum *appellavit*, inſeritur habitus mutatio his verbis deſcripta: *Illa autem admirabili Scalarum, ac Monachorum fulgentium, per illas conſcendentium, viſione, Sanctus ipſe glorioſus, qui Divi Benedicti habitum, in cujus Ordinem, et Collegium adoleſcens juravit, per multos annos geſtaverat, commotus, colorem indumenti nigrum in candidum vertit, eodemque tenore continuò ſervandum per ejus Alumnos, quos copioſè per univerſum propagavit, inſtituit. Qui tandem ſenio confectus &c.* ut ſupra. Suſpicionem profectò minimè levem ingerit hæc interpolatio, quòd Mugno-

tius Florentiam redux, ſparſam à Fortunio, qui tunc Hiſtorijs ſuis ſcribendis vacabat, mutationis habitus famam primùm audierit, eaque notitia relationem ſuam locupletare voluerit; Nam ſi et apud Camaldulũ traditionem ejuſmodi Mugnotius inaudiſſet, veroſimile non eſt, quòd in manuſcripta eadem relatione omiſſurus fuiſſet hoc, quicquid eſt, ad Camaldulenſis Eremi gloriam ſpectans, ejus honoris ubique ſtudioſiſſimus Scriptor. Verùm ad alia pergamus.

XIV. Sub annum 1569. prima editio prodijt Hiſtoriæ omnium Religionum à Paulo Morigia deſcriptę, qui licet fundationis Eremi Camaldulenſis, ac Donationis Malduli, noſtrique habitus mentionem inijciat, de Viſione tamen Scalæ Romualdi, deque mutatione coloris veſtium altiſſimè ſilet. En ejus verba cap. 25. *Edificò Romualdo molte Badie in Toſcana, nella Marca d' Ancona, nella Romagna, e nelle parti d'Iſtria, e le riempì di Monaci. Fabricò anco quel tanto famoſo, e celebrato luogo di Camaldoli, dal quale tutta la Congregazione è nominata Camaldoleſe; Et acciochè ſappiate dove è queſto luogo, vi dico, che è in Italia nella bella Toſcana, e nel Territorio d'Arezzo Città antichiſſima, et è così chiamato da Maldo gentiluomo Aretino, il quale conoſciuto la Santità di Romoaldo, autore di queſta Congregazione, gli donò quella parte dell'Apennino, dove è ora il Sacro, e divoto Eremo, Capo di detta Congregazione. E che così ſi chiamaſſe dal nome del già nominato Maldo, è manifeſto per queſto, che ſi vede in detto luogo, che così ordinò Romoaldo, che ſi chiamaſſe, per moſtrarſi grato del benefizio ricevuto.* Et infrà: *Reſta ſolo a dirvi*

dirvi, che ſi veſtono di bianco, di veſtimento Monacale, et oſſervano la Regola di S. Benedetto.

XV. Petrus quoque Calzolarius è Monachis nigris, Vir certè eruditus, in ſua Monaſtica hiſtoria anno 1571. edita, Diario primo, cùm circa varios Monachorum colores ita propoſuiſſet: *Circa i varij colori delli abiti, non ho che dirvi; ſe non che S. Benedetto dice nella Regola, che non ſi cura del colore de' veſtimenti, ma ſi bene de' buoni coſtumi, quantunque egli, come ſi trova per le ſcritture antiche di Monte Caſſino, portaſſe la Cocolla nera, e l'altre veſti erano, ſecondo ch'io poſſo intendere, tanè, o volete dire berertine. Hanno cauſati ancora tanti varij colori alcune viſioni, et accidenti, come a luoghi loro ſi dirà.* Poſt quæ verba, quis non expectaret, referendam ab hoc Scriptore Romualdinæ Scalæ Viſionem, cujus occaſione, Camaldulenſibus color albus fuerat deſignatus? Et tamen ibidem, ſtatim, eadem pagina [ne propoſiti ſui oblitum ſuſpicari poſſimus] de D. Romualdo, ejuſque Congregatione Camaldulenſi agere incipiens, iiſdem penè Morigiæ verbis Donationem Malduli Romualdo factam narrat, undè Camaldulo nomen, in totam Congregationem derivatum, ſcribit; At de Scala, deque mutato habitu, ne muſſitat quidem: evidenti indicio, tantum myſterium acuratiſſimo huic monaſticarum rerum ſcrutatori, eo tempore, fuiſſe incognitum, vel ſatis firma traditione fultum viſum non eſſe, ut illud in rem ſuam tutò uſurparet.

XVI. Incognitum æquè fuit eodem anno 1571. Venturæ Minardo Atheſtino Monacho noſtro, qui in

ſuis

ſuis Dialogis de balneis Calderij, cùm non pauca de Camaldulenſis Eremi fundatione, totiuſque Ordinis origine, et ſplendore, ac Viris ejus, doctrina, et ſanctitate illuſtribus, diſſerat, Maldulum quidem commemorat, ſed Romualdi Viſionis, ſeu penitus incompertę, ſeu nihil in Scala ejuſmodi, etiam ad Maldulum relata, myſterij recognoſcens (de mutatione habitus certè non cogitans) nullam prorſus mentionem ingerit; ait enim: *Fù già in Toſcana dell'anno di noſtra ſalute novecento cinquanta (ſiccome nel quintodecimo libro del ſupplemento delle Cronache ſi legge) uno nobile della Città d'Arezzo, diſceſo già (come altri vogliono) da Maldolo, Caſtello di Marta, e Maria Maddalena, chiamato Maldulo; padrone d'un gran territorio nelle parti di Caſentino fra l'alpi, il quale veduta l'eremitica, e ſanta vita di Santo Romualdo nobile di Ravenna Città di Romagna, e Fondatore di queſta noſtra Religione, gli donò tutto quel ſito, caſe, e campi, di maniera che, fabricatogli un belliſſimo Monaſtero, e non molto ivi lòntano in dette alpi uno quaſi incomparabile romitorio; dalla caſa di Maldolo fu chiamato Camaldoli, e poi da eſſi luoghi tutta queſta antica Religione Camaldulenſe.* Hæc ille; ex quo, et pręcedentibus, juxta annorum ſeriem hucuſque perductam, recitatis, ſatis ſuperque patet, ante conſcriptam Fortunij hiſtoriam, neminem de mutatione habitus nigri in candidum, ob Romualdi Viſionem facta, quidpiam tradidiſſe (ſolo Mugnotio, qui ex ore Fortunij audivit, ut illam in editione ſuæ deſcriptionis addere diſceret, excepto) attributam verò Scalæ Viſionem Romualdo, in Camaldulenſibus

illis

illis apocryphis monumentis, anno 1513. editis, et ſupra num. 3. relatis, primò aſſertam, paucis impoſuiſſe, cùm præter Nicolaum Biadi, Paulum Juſtinianum, et Andream Mugnotium, non alius ejus ſæculi Scriptor illam amplexus fuiſſe videatur; Picturis vetuſtioribus, aut ſoli Maldulo Scalam apponentibus, aut juxta Romualdum ſymbolicè dumtaxat expreſſam oſtentantibus, nihil certè contra antiquiſſimos ædificationis Eremi Scriptores, qui Viſionem hanc ſoli Maldulo tribuunt, prævalentibus.

CAPUT VI.

Fortunij aſſerta referuntur, ac refelluntur.

SYNOPSIS.

De Fortunij Patria, Ingenio, et Hiſtoria. num. 1. *Exemplo Abbatum S. Michaelis Piſarum ejus incuria demonſtratur.* 2. *Meditatio de natura abietis Romualdo tribuitur à Fortunio.* 3. *Ex Marcello Archiepiſcopo Corcyrenſi imitata oſtenditur.* 4. *Viſio Scalæ, varijs adiectis de novo circumſtantijs, à Fortunio deſcripta.* 5. *Romualdi colloquium de candido habitu, et Malduli occurſus* 6. *De Helemperti interventu variè loquitur Fortunius in Hiſtorijs, et in Apologia.* 7. *Romualdus à Dæmone impulſus, ſaxo cedente, à præcipitio*

pitio eripitur. 8. *Colloquium cum Petro Dagnino circa Dæmonis poteſtatem* . ibi . *Romualdo affiƈta parænesis de doƈtrina peripatetica fuga* . 9. *Theodaldo occurrit* . ibi . *Hiſtoriæ leges à Fortunio prætermiſſæ* . 10. *Exercendi calami gratia pleraque ab illo deſcripta, nec niſi Viſionem Scalæ, Habitus mutationem, et præcipitij Fugam seriò tradita ab ipſo fuiſſe*. 11. *Ex his primam ex Viſione Malduli traduƈtam, poſtremam alijs circumſtantijs ab Hieronymo Pragenſi relatam, ſecundam ab ipſis Romualdinæ Viſionis fautoribus in dubium vocatam eſſe*. ibid. *Lucas Eremita mutationem habitus deridet*. 12. *Fortunius Apologiam in illum ſcribens, in ſolo participio* albeſcentium *ſententiæ ſuæ vim collocat*. 13. *Quàm futilis, et pædagogo digna obſervatio!* 14. *Participium* albeſcentium *etiam à Juſtiniano, et Mugnotio prætermiſſum*. 15. *Candoris, et Lucis affinitas apud varios Scriptores*. 16. *S. Benediƈtus, et S. Maurus in veſte alba quandoque apparuerunt* . 17. *Sanƈtorum Viſiones cliertum phantaſiæ , ac naturali apprehendendi modo paſſim accomodatæ*. 18. . . . . .

I. ANno reparatę ſalutis 1575. Hiſtoriæ Camaldulenſis, cui conſcribendæ ſe duodecim annos impendiſſe narrat, Partem Primam Florentiæ typis Sermartellianis edidit Auguſtinus, cognomento Fortunius, patria Feſulanus, ut è Regiſtris Monaſterij Angelorum, in quo Monaſticen amplexus eſt , conſtare vidimus , atque ut ipsemet in Apologia Hiſtoriarum ſuarum, anno 1592. impreſſa, fateri demum non eſt dedignatus, licet ſe Florentinum in hujus Hiſtoriæ frõ-

Digitized by Google

te inſcribi maluerit. Sed Florentiæne, an Feſulis, an utrique [ob Patris, et Matris genus] alumnum hunc ſuum referre debeat acceptum Camaldulenſis Religio, parùm intereſt. Hujus certè Scriptoris celeberrimi ſtudio, ac labori nos plurimùm debere, nemo ibit inficias, qui animo comprehenderit, quanta Camaldulenſium Virorum egregia facinora, quot locorum noſtrorum præclara monumenta in lucem eduxerit, quæ adhuc in tenebris neglecta jacerent, vel [ut pleriſque ad eam diem contigerat] ſitu, et ſquallore obruta perijſſent, niſi Fortunij cura, et ſollicitudo majoris jacturæ cumulum, ſua induſtria, prævenifſet. Et quidem tam multiplici eruditione, tam preclaro ingenio, tamque inſigni eloquentia hanc provinciam eſt executus, ut ſi parem diligentiam, ac ſoliditatem his coniunxiſſet, nec diſerti modò, ſed accurati etiam Scriptoris laudem affectaſſet, nihil planè ad antiquitatis Camaldulenſis illuſtrationem deſiderandum nobis reliquiſſet. Verùm Ordinis ipſius primordia non è ſuo fonte deducta, plurima ſcitu digna in his prætermiſſa, palmares anachroniſmi frequentiſſimè occurrentes, perfectioris hiſtoriæ votum excitant, cui utinam præſentes Diſſertationes, apparatus, et prodromi loco, proluderent!

II. Ne verò laudatiſſimi Scriptoris manibus gratis inſultare videar, ſpecimen aliquod hic obiter inſeram, ad ſeriem Abbatum hujus Cænobij S.Michaelis in Burgo Piſarum pertinens, quam ab ipſo valde interpolatam, corruptamque demonſtrare breviter poſſum ex monumentis Archivij hujus Ven. Monaſterij, quæ

L nunc

Digitized by Google

nunc ad manus occurrunt, quibus et renovandæ Camaldulenſis hiſtoriæ neceſſitas apparebit, et quantùm ipſius Fortunij fidei, authoritatique ſit deferendum pariter innoteſcet. Docet Fortunius part. 2. lib. 2. cap. 9. et 10, B. *Bonum*. Abbatem, prælaudati Cænobij Inſtitutorem, anno 1070. Deum adijſſe, poſt hunc *Leonem* Abbatem, tum *Petrum* cænobium adminiſtraſſe, qui mox Archiepiſcopus Piſanorum electus, ſucceſſorem habuerit *Ludovicum*, atque huic ſubrogatum fuiſſe *Ildebrandum*. At ex authenticis venditionum, locationum, et donationum paginis, adhuc in prædicto Archivio exiſtentibus, patet B. *Bonum* circa annum 1018. Monaſterium ædificaſſe, cui poſt 30. annos decedenti ſucceſſit *Martinus*, mox *Ruſticus*, hinc *Leo*, tum *B. Petrus Moriconius*, quo ad Archiepiſcopales Piſarum infulas evecto ſuffectus eſt *Joannes*, tum *Ludovicus*, hinc *Gherardus*, mox *Albertus*, dein *Petrus II.* cui poſt paucos menſes ſucceſſit *Ildeprandus*. En quot Antiſtites à Fortunio in unius cænobij ſerie prætermiſſi, atque poſtpoſiti! *ex ungue Leonem*: ſimilia enim in Prioribus Angelorum Florentiæ, in Generalibus ipſis, in alijs illuſtribus Sanctimonia, Dignitate, et Doctrina Viris, quorum pleroſque ſubticuit, commiſiſſe ne dubites.

III. Nunc ad rem noſtram. Mirum eſt quot apoſtrophis, epiſodijs, parergis, atque inauditis prorſus circumſtantijs Viſionem Scalæ S. Romualdi, ejuſque occaſione ſubſecutam habitus mutationem, ſimul cum Camaldulenſis Eremi, et Fontisboni ædificatione nobis deſcribat Fortunius part. 1. lib. 1. à cap. 23. ad 39.

Nimi-

Nimirum S. Patrem per abietum ſilvam ad Campũ Malduli deducit; ejus ſpecie cum diſcipulis ſummopere recreatum, ad fontem Eccleſiæ nunc proximum conſediſſe docet: precibus Deo fuſis, ſumptoque cibo in pulcherrimam de loci ſpecie, et Abietis natura meditationem incidiſſe affirmat, nec affirmat ſolùm, ſed illam per partes ita deſcribit, ut jurares, aut illum præſentem omnibus interfuiſſe, aut alicubi manu Romualdi deſcriptam rei ſeriem nactum eſſe. Longum foret, ac faſtidij plenum ſingula perſequi; Summa hæc eſt. Quatuor charitatis virtutes, de quibus Paulus Chor. 13. *omnia ſuffert, omnia credit, omnia ſperat, omnia ſuſtinet*, in abiete conſiderabat: nimirum in *radice*, quòd *Charitas omnia ſuffert*, juxtà illud *in Charitate radicati, et fundati*; atque hìc Noe Patriarchæ tolerantiam, qui cum feris in arca per annum converſatus eſt, relegebat, tum quaſi ad omnem hominum multitudinem concionaretur, illos ad amplexum Crucis, et ſpritalem Noe imitationem invitabat, ut paſſionibus, quaſi beſtijs dominarentur, et Cordis contriti (ut ille mundorum animalium) ſacrificium Domino offerrent, juxtà illud *Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus &c.* Deinde ad ſecundum ſuæ meditationis punctum progreſſus in *Caudice alto, recto, et nodoſo* virtutem Charitatis, quæ *omnia credit* altiùs penſitabat, juxta exemplar Abrahæ, nam *credidit Abraham Deo &c.* Deinde ad omnes mundi principes, et nobiles converſus, illos urgebat, ut cum Abraham è paterna domo egreſſi peregrinarentur, terram promiſſionis quæſituri, cor ſuum

Digitized by Google

quaſi unigenitum filium, poſcenti Domino traderent, atque ex abietis natura, *quæ nullum patitur cultum, nullamque ſobolem ex radice profert, ut cæteræ plantæ*, ad corporis contemptum, animique ſolius culturam, pro charitate adipiſcenda, erudirentur. Similiter in tertio puncto meditabatur S. Romualdus *in ramis tam intervallo, quàm numero prægrandibus, quibus infixa ſunt folia ſemper viridantia, rara tamen, et ſerrata, in extremitateque pungentia*, Charitatem, quæ *omnia ſperat*, præcipuè in Patribus, et populo Iſrael, de quibus ſcribitur: *In te ſperaverunt Patres noſtri, ſperaverunt et liberaſti eos &c.* Tum verò quaſi in conventu Religioſorum verba faceret, monebat ſervos Dei, ut Iſraelitas ex Ægypto fugientes, ac per deſertum à nube per diem, et ignea columna per noctem deductos ſequerentur, hoc eſt, poſtpoſitis ſæculi deſiderijs, per Eremum ad cæleſtem patriam anhelarent, amoris divini manna paſcendi, et mel de petra, quæ eſt Chriſtus, ſucturi. Ad quartum denique punctum conſiderabat Romualdus, quòd abies *non eſt fragilis, ſed nervoſa, lignoſæque apparentis medullæ, cujus truncum rami triplici numero totam gradatim complent*. ex quibus deducebat Charitatem, quæ *omnia ſuſtinet*, relegens quanta bona Verbum caro fecerit, et quanta mala ſuſtinuerit, unde exclamabat: *ò pietas, ò magnum myſterium &c.* hinc proſequebatur, ut Charitas Deum è cœlis in terras deduxerit, Diaboli tentationes, Diſcipuli proditionem, populi odia, linguam, inſultus, crucem denique, ac mortem ipſam perferre docuerit. *Nec mora*, inquit Fortunius omnium teſtis oculatiſſimus,

per-

Digitized by Google

pernici curſu abietem amplexatus, intulit: O felicem arborem, jure rami tui Crucis figuram referunt, jure triplici numero eos transfundis: atque hic rurſus nonnullis de Crucis, Trinitatis, Incarnationis myſterio ponderatis, ad ſe Diſcipulos vocat, et quaſi cor ſibi in partes ſcinderetur, ob Charitatis ardorem, ſic illos alloquitur. *Hic locus, filij, cæleſtis paradiſus in terris mihi conſitus eſſe videtur, haud enim amœniorem uſquam me inveniſſe memini, quotquot abditiſſimas ſilvas per univerſam Europam luſtraverim; maximè verò ex pulcherrima hac abietum corona quanta ſit Dei erga humanum genus Charitas elicitur:* longam hìc concionem de mundi contemptu, deque æternis bonis conſectandis proſequitur; tum ex oleo, quod ex abiete transfunditur, in Chriſti nomen, regnum, et Sacerdotium celebrandum inducitur, ac Charitatem oleo comparatam commendans, ut lucernas ſuas probè aptatas conſervent, adhortatur.

IV. Hæc ſumma eſt Capitis illius 24. cui Fortunius titulum hunc præfecit. *De Meditatione, quam fecit S. Romualdus in campo Malduli circa proprietatem Abietis Arboris.* ubi quis non putaret rem verè geſtam à Fortunio hiſtoricè deſcribi, peculiari Capitulo illi deſtinato? Et tamen nihil horum penitus contigit: ſcripſerat Chriſtophorus Marcellus Archiepiſcopus Corcyrenſis anno 1521. 16. Kal. Novembris epiſtolam de Camaldulenſis Eremi, et Alverniæ Montis, quæ loca tum inviſerat, ſitu, et religione, ubi inter alia hæc habet: *Non poſſum profectò ſibi æquis verbis exprimere, quanto fuerim primo aſpectu captus amore illius loci, quem cùm egregijs*

illis

illis abietibus cinctum, atque ornatum inſpexerim, divino quodam munere, et ingenio factum exiſtimavi; Nullus enim commemoratus, quem ipſe adiverim, Deo dicatus eſt locus, qui ex tam frequenti arbore conſito nemore ambiatur..... Eſt abieti, ut phyſiologi referunt, et ipſa experientia comprobat, ima radix, ut intelligat eremi cultor, imam ſe, et profundam Charitatis, à qua virtutes aliæ prodeunt, habere radicem, cujus ampliſſimæ laudes, cùm apud Apoſtolum frequentiſſimè habeantur, mihi ſunt omittendæ &c. Altus, rectuſque abieti caudex, ut ille ipſe noſcat, ab eo virtutis principio parari ſibi aſcenſum in cælos. Rami prægrandes ordinati, tam intervallò, quàm numero recti, et quodammodò infixi &c. triplici ſingillatim numero totam, ubi oriri cæperint, arborem rami compleat, &c. nodoſa eſt etiam abies, unde bonarum actionum varietates &c. Sunt ei rara folia, atque ſerrata, et in ſua extrèmitate pungentia &c. Nullum abies patitur cultum, ut ex negligentia corporis animus coli, et ornari pluiimùm intelligatur. Surſum à radice nullum habet locum, unde proferat ſobolem &c. Eſt etiam nervoſa abies, lignoſa, et apparentis medulla &c. Quas abietis proprietates à Marcello myſticè ponderatas, quis non videt eaſdem ipſas eſſe, atque iiſdem ferè verbis expreſſas, quas meditationi S. Romualdi Fortunius applicat, licet uberiùs explicatas, atque ad concinnam textus Apoſtolici, *Charitas omnia ſuffert &c.* paraphraſim accomodatas? Tota ergo hæc Romualdi Meditatio, quemadmodùm et ejuſdem in abietis amplexum excurſio, et colloquia ad diſcipulos, merè ficta ſunt, quaſi ſpiritualem quamdam repræſentationem varijs ſcenis diſpoſitam dare Fortunius voluerit,

erit, quam ſic ſequenti cap. 25. proſequitur.

V. *Dum hæc Romualdus ad Diſcipulos concionaretur, factum eſt, quemadmodùm feſſis interdiù accidere ſolet, ut Pater Sanctus nonnihil dulci, ac placida quiete, murmurantibus aquis, levique aura cacuminibus abietum circùm latè obſtrepentibus, correptus ſit, raptuſque in ſpiritu, vidit in ſomnis, inſtar Jacob Patriarchæ, Scalam ſtantem ſuper terram, ſublimem, in Cœlum uſque ſuo vertice pertingentem, perquam divino ſplendore rutilante fulgentium, atque albeſcentium aſcendebat, deſcendebatque* (deſcendiſſe etiam primus omnium hic author animadvertit, aut de ſuo ſupplevit, exemplo Angelorum Scalæ Jacobeę) *Monachorum multitudo, inter quos anima Romualdi delata eſt ante Deum* (hanc quoque coniunctionem Viſionis Scalæ cum Viſione Animæ, quam Damianus narrat Romualdum in Sitria habuiſſe, primus omnium Fortunius cudit) *Ibi verò, ſicuti quondam D. Paulo contigit, Romualdus arcana Dei intuitus, quæ non licet homini loqui, mox præ magnitudine myſterij lætabundus evigilat, et majori, quàm dici poſſit, amore Dei repletus, fixo in cœlum oculorum obtutu, toto corpore quaſi in aera ſuſpendi viſus eſt, et in cœlum indeſinenter aſpicere, perinde ac ſi Scalam ipſam corporea mole aſcendere poſſe ſibi perſuaſum haberet* [id certè nemo ante Fortunium, nemo poſt Fortunium, nemo præter Fortunium memoriæ prodidit] *Quando Diſcipuli, qui procul Patrem obſervabant, novitatem rei admirati, feſtinabundi propiùs ad eum rurſum acceſſerunt, et ad ſydera oculos intendentes, partem lucis, quæ adhuc non exigua erat, videntes* [imitatum ex Servando Diacono ad Viſionem S. Benedicti vocato, qui et ipſe

accur-

accurrens partem lucis exiguam vidit] *cæleſtem revelationem ei factam fuiſſe apertiſſimè cognovere. Itaque quid novi ſibi accidiſſet percontantibus Vir Dei reſpondit: parcat vobis Deus, filij, parcat vobis Deus, qui me ex ſtatu tranquillitatis veri, ſummique boni rurſus in hanc miſeriarum vallem veſtro adventu revocaſtis. Petentes illi ſuppliciter veniam, et quid res ſit, cognoſcere utcunque inſtantes, quomodo mirabilem Scalæ Viſionem vidiſſet, et voluntatis divinæ eſſe, ut illic loci Eremum ſub nova candidi habitus inſtitutione conderet, ab eo inſolita cordis jubilatione arcanum referante, demum extorſere; noluit tamen Vir Sanctus, quomodo ante Deum delatus fuiſſet præ humilitate eiſdem detegere, &c.*

VI. *Porrò Romualdus* [ſequitur Fortunius cap. 26.] *divino illuſtratus oraculo, hunc eſſe locum concupiſcenti animo perquiſitum, ubi nova famulantium Altiſſimo Deo albis veſtimentis decora Congregatio ſurgere deberet; quæ cæterorum locorum à ſeſe erectorum* (non igitur nova erit Congregatio) *atque erigendorum Principem locum eſſet obtentura, cumulatiſſimas gratias agere Deo non deſinebat; jamque cum Diſcipulis per declivia montis in inferiorem vallem lætabundus deſcendens, cum illis de proprietate candidi veſtimenti colloquium habere cæpit: cujus myſterium plena mentis cogitatione animo ſecum volutans ajebat: Animadvertite filij, quomodo hic color omnium aliorum colorum eſt longè nobiliſſimus, qui utique Angelo verè dignam munditiam cordis deſignat ſimul, et corporis. Meditamini quomodo Aaron ſummus Sacerdos, ſucceſſoreſque filij Ephod lineo albo, præcepto Dei ad Moyſem facto, uſi fuere. Meditamini cur Ezechieli eximio vati Vir lineis veſtitus apparuerat. Ecce autem interea Maldulus, de*

quo

quo mentionem fecimus, et loci Dominus, per prærupta venator forte fortuna ſit obviam, et ſermocinationis telam interſecat [mox cap. 27. interiecta Malduli Genealogia, ſic proſequitur] *Quem dum Vir Dei ſolito lucrandarum animarum ſtudio ad benefaciendum, amoris Jeſu Chriſti, ejuſque immenſę charitatis intuitu, hortaretur. Factum eſt, ut Maldulus ejus venerabili aſpectu, verborumque virtute adeò ſit commotus, adeò in interiori homine collectus, ut ſubitâ quadam cordis compunctione ad vitæ renovationem ſe urgentiſſimè impelli perſenſerit; itaque, tamquàm vox Sanctiſſimi Patris vox Dei fuiſſet. Maldulus pientiſſimi Patris perſpecto deſiderio non ſolùm locum ipſum, ſed cætera ſua bona Viro Dei obtulit, ac liberali donatione largitus eſt; ſeque ipſum præterea diſcipulum eidem dedidit, ac devovit, aſſeverans, ſe quoque, cùm aliquando ibi dormiret, eandem Scalæ mirabilem viſionem vidiſſe.* Hæc ibi; quæ manifeſtè opponuntur relationi B. Rodulphi, dicentis, quod Romualdus dumtaxat poſt Malduli colloquium *căpum petijt, locum vidit*, utì ſupra obſervavimus.

VII. *Romualdus itaque in divino oraculo confirmatus* [pergit Fortunius cap. 28.] *occaſionem, quam nactus fuerat, Malduli ſtudio, atque opibus urgere ſatagens, Helempertum Sanctæ Aretinæ Eccleſiæ Pontificem ſine mora adijt, qui eo tempore non modicam Etruriæ partem ſpirituali, temporalique regebat poteſtate; cujus ſuffragio, liberalitateque facillimè uſus, egregiam Eremum in ipſo Campo Malduli inſtituit. Ibi igitur ante omnia Baſilica venerabili ad honorem Dei, et D. N. Jeſu Chriſti Salvatoris Mundi constructa, exinde quinque in circuitu poſuit cellas Eremiticas, in quibus quinque Di-*

M *ſcipu-*

Digitized by Google

ſcipulos Monachos albis veſtimentis indutos , juxta Viſionis prædictæ Myſterium, locavit, et conſtituit, qui albo candore ſic circumdati excitarentur ferventiſſimè in anachoritico propoſito ad angelicæ munditiæ æmulationem. Quod ipſum tamen paulò aliter deſcripſit poſtmodum hìc idem Auctor in Apologia Hiſtoriarum ſuarum, dicens, quòd ipſe Helempertus *ad Campum ipſum Malduli, digna comitante caterva, veniens, ſine mora, tum primarium Oratorij poſuit lapidem, nec non quinque inter ſe diſtantium Cellularum Eremiticarum; tum verò quinque ex Diſcipulis S. Romualdi albis veſtivit indumentis, quos S. Pater in ipſis conſtituit cellulis, docuitque ſuo exemplo eremiticæ obſervantiæ diſtrictum tenere rigorem*. Quæ omnia quàm conſonent dictis Rodulphi, et Gerardi, ac Theodaldi ipſius Aretini Epiſcopi, jam vidimus Diſſert. II. cap. 6.

VIII. Capite demum 29. Fontisboni ædificationem noſter Hiſtoricus narrat, et cap. 30., ac 31. Deſcriptionem Sacræ Eremi, et Cænobij ac officinarum ejuſdem Fontisboni affert, in quibus nihil examine noſtro dignum occùrrit; Sed cap. 32. Romualdum in Eremi deſcenſu juxta fluvium deducit, atque huic inſidiantē Dęmonem, Diſcipulis aliquantò procul de poteſtate Diaboli ſecum invicem diſputàntibus: Dæmon è ſaxo in fluminis gurgitem præcipitem Romualdum agere cònatur, qui, invocato Jeſu nomine, manu ſaxum arripit, eique ſuarum manuum veſtigia impreſſa relinquens, illæſus evadit. Accurrunt Diſcipuli, veniam de nimia diſtantia deprecantes, Deo gratias agunt pro tanti periculi declinatione, et ex his primus Petrus Daginus

gninus

Digitized by Google

gninus S. Patri exponit, quomodo de impugnatione Dæmonis ſermonem habuiſſent; Cui Vir Sanctus, benedictione erga omnes præmiſſa, odium, et invidiam Diaboli exponit, ob ſedes homini deſtinatas, è quibus ipſe dejectus eſt, *non quidem* inquit, *quòd appetierit ſe eſſe Deum, ut quidam temerè crediderunt, quod ſciebat eſſe impoſſibile; neque quòd appetierit eſſe æqualem Deo ſimpliciter, ſed ea potiſſimùm ratione, quia videlicet ſicut Deus eſt Beatus à ſe ipſo, et non ab alio beatificatus, ita Lucifer ſe beatum eſſe appetijt, ſed non veluti à Deo: ſicut nec credidit propria virtute felicitatem ſupernam habiturum, ſed peccavit, quia nec de ſua, nec de Divina virtute cogitavit &c.* (nimirum ut ſe nobis magnum Theologum probaret Fortunius, S. Patrem ſcholaſticis hiſce quæſtionibus proludentem induxit) tum nos præ Dæmonibus melioris conditionis eſſe ait, ob gratiæ divinę, et Angelorum Cuſtodum auxilium, ex illo Eliſæi, 4. Regum 6. *Noli timere, plures enim nobiſcum ſunt, quàm cum illis*. Tum Petrus Daggninus S. Patrem interrogat, quid rei ſit, cur Dęmonem aliquando non pœniteat; et Dei miſericordiam ſibi propitiam non experiatur, ut ex Pſalmis, et Ezechiele perſuaſum vellet; cui Romualdus ex inflexibilitate Angelorum (juxta Thomiſticam ſententiam) ſatisfacit. Hinc rurſum Petrus interrogat, An Dæmones tentandis hominibus fortaſſe incumbant, quòd ex eorum caſu, et ſocietate propria minuatur pæna, ut ſolent impij alieno malo exultare? Quem Pater Sanctus ſtatim docet, duplicem locum Dæmoni ad pænam aſſignatum, alios in infernum detruſos, ubi cruciandis

M 2 dum-

dumtaxat impijs, divinę juſtitiæ juſſu, dant operam, alios in caliginoſo aere mediæ regionis relictos ad hominum, quos perpetuò impugnant, exercitium, ſemper tamen ignis æterni cruciatum ſecum ferentes, ubicunque conſiſtant. Subiungit verò idem Petrus interrogationem, quomodo Dæmones corpora vexantes interiùs operentur, an commovendo carnem, ſanguinem, et membra per vitales ſpiritus? Quem ſtatim Romualdus monet, Deum non permittere, ut quiſpiam juſtorum interiùs à Diabolo torqueatur, ſed exteriùs dumtaxat, quod exemplo Job perſuadet; vexatos autem interiùs à Dæmone eos dumtaxat, qui peccato aliquo irretiti eſſent, quemadmodùm et in porcos (Peccatorum figuras) Dæmones ingredi Dominus juſſit, et Datius Mediolanenſis Epiſcopus, ex Dial. Magni Gregorij, domum à malignis ſpiritibus habitatam, varijs beſtiarum clamoribus frementem audijt.

IX. Poſtmodùm S. Patrem Fortunius inducit, quaſi prolixa paræneſi nos ad Ariſtotelis doctrinam averſandam adhortaretur, his verbis: *Ea recordatione quaſi Pater Sanctus cum tota philoſophorum ſchola loqueretur, ſubjunxit: mementote peripateticorum Doctrinam fugere, qui imaginationi humanæ Dæmonum effectus tribuère*; Et poſt multa adducta ad vim Dęmonum perſuadendam in movendis, alterandis, colorandis corporibus ex Divo Auguſtino, et B. Antonio Abbate, atque hominibus interiùs vexandis, modo quem Dagninus propoſuit, idque etiam ſecundùm Lunę incrementa, tum ut illam Dei creaturam infament, tum occaſione ſumpta

ex

ex cerebro natura ſua humidiſſimo, et operationi Lunæ ſubiecto, concludit: *Videte ergo quàm Platonici Peripateticis in hoc præſtent, qui non humanæ imaginationi, ut illi, ſed ut res ſe habet, ſpirituum ſupernorum effectibus Dæmonum operationes tribuant, et Chriſtianæ Veritati mirabiliter adhæreant*. Hinc varios Dæmonum effectus, nationum omnium conſenſu, ac maximè Ægyptiorum, Job, Saul, Achab, Dionis, Bruti, et ipſiuſmet Salvatoris exemplo comprobat, nec omittit ex Actis Apoſtolicis, ex Lucæ Evangelio, ex Joannis Apocalypſi, et ex Joſepho Hebręo auctoritates id concernentes, plura dicturus, niſi illis ad hoſpitium Fontisboni propiùs adventantibus occurriſſet *Theodaldus Vir Religioſiſſimus Aretinus*, *qui* non tunc (Fortunij ſententia) ſed *poſtmodum Epiſcopus factus eſt*; Is enim cum quibusdam Præsbiteris, Laiciſque Aretinis, ut Fabricam novi hoſpitij videret, et ut S. P. Romualdum viſitaret, illuc aſcenderat; Quia verò *Sermocinantem S. Romualdum præceſſerant* (inquit totius ſcenæ hujuſmodi Actor, ſive Auctor Fortunius) *quidam alij hoſpites, qui ab Eremo venientes ex alia parte fluminis miraculo Sancti Viri interfuerant, et quid factum fuiſſet artificibus ædificij ſurgentis, ipſique Theodaldo enarraverant*; ideò Theodaldus *locum feſtinabundus adire voluit, ibique Sacellum, ſuffragante Maldulo, erigendum ad perpetuam rei memoriam curavit; Quod uſque hodie Sancti Romualdi caſella vernacula lingua propterea nuncupatur: Quod exinde, quoties ob pluvias, vel atros nimiùm nimbos ad Eremum Patri Sancto noctis tempore redire non daretur facultas, illic ſuper ipſo nudo ſaxo excubare, ac placi-*

dam

dam quietem capere conſueſſet ; Verumtamen ibidem manuum ſuarum impreſſio ad miraculi teſtificationem omnes ad banc diem liquidò admirantur.

X. Difficillimum planè fuerit inter tot commenta, ad ſcribentis arbitrium ficta, et Romanenſis fabulæ more diſpoſita, ac theatralis actionis, cui ſolus ad poeſim numerus deſit, imaginem prçſeferentia, ſolidi quidpiam excerpere, verumque à falſo ſecernere ; Atquè hæc eorum pæna eſt, qui Veritatem fucatis ornamentis circumveſtiunt, et aliunde quæſitis mendacium circumſtantiarum technis infarciunt, ut ne quidem cùm vera dicunt, ijs tutò quis poſſit credere, nam ubique par timor inſurgit, an propriè, vel figuratè loquantur, et an ſuç phantaſiæ ideas, an ſeriam Hiſtoriam deſcribant; Quocirca Diodorus Siculus Hiſtoriæ conſcribendæ præceptor optimus, *non injuria*, inquit, *eorum inſtitutum aliquis improbaverit, qui Hiſtorijs ſuis prolixas, aut crebras nimis orationes admiſcent; Nam Hiſtoriæ natura ſimplex eſt*. Cui monito ſi Fortunius auſcultaſſet, tot dialogis ſuperiùs indicatis, totque alijs concionibus, quas paſſim inſerit valde prolixas in ore Romualdi part. 1. lib. 1. cap. 37. et par. 2. lib. 1. cap. 11. in ore Petri Dagnini part. 1. lib. 2 cap. 47., in ore Rodulphi ibid. cap. 66. prudens abſtinuiſſet, ejuſmodi verboſa additamenta, Gallorum potius Palatinorum Ducum facinoribus deſcribendis, quàm ſinceræ, ac ſeriæ Hiſtoriæ convenire animadvertens. Nimirum, ut prçclarè Cicero lib. 1. de legibus docet, *aliæ ſunt in hiſtoria leges obſervandæ, aliæ in poemate*; Cultores ſuos Apollo expatiari

Digitized by Google

tiari uberius permittit, ſuoque arbitrio indulgere, quippe, ut ex illo grege canit Ovidius:

Exit in immenſùm fæcunda licentia Vatum,

et Claudianus de Poeta inquit:

Obligat Hiſtorica nec ſua verba fide.

At anguſtum callem, imò latitudinis expertem lineam, quæ ad Veritatem ducit, ſuis veſtigijs premant Hiſtorici neceſſe eſt, nec ab illa vel latum unguem declinare fas fuerit, cùm *dempta ex Hiſtoria Veritate*, ut ait Polybius lib. 1. *narratio omnis inutilis ſit*, nam prima Hiſtoriç lex Veritas, ſecunda iterum Veritas, tertia pariter Veritas: quod alijs verbis, ſed eodem planè ſenſu Tullius in Oratore commendat, dicens: Primam legem Hiſtorico datam, *Ne quid falſi dicere audeat*, deinde *Nequid veri non audeat*, poſtremò *Nequa ſuſpicio gratiæ ſit in ſcribendo, nequa ſimultatis*.

XI. Cæterùm ex tanta Fortunij dictorum farragine, quæ vel in compendium redacta utramque nobis paginam non ſemel impleviſſe vides, candide lector, non crediderim certè meditationem illam de Abietis proprietatibus, aut Dialogum Romualdi cum Petro Dagnino de natura Dæmonum, ab ipſomet Fortunio nobis, quaſi rem verè ita geſtam, atque Hiſtoricè credendam, proponi; ſed exercendi calami gratia dumtaxat conſcriptas ejuſmodi veluti digreſſiunculas, ipſummet, ſi viveret, facilè arbitror conſenſurum. Itaque ad Scalæ Romualdi Viſionem, habitus mutationem, et præcipitij ſibi à Dæmone intentati fugam, ſaxo ejus manibus cedente, divinitus proviſam, tota illa

illa narratio reducitur; Hęc enim tria, patet, ipſum ſeriò, atque ex animi ſententia tradidiſſe, omnemque ad eadem, velut certiſſima, nobis perſuadenda conatum, et operam collocaſſe, quamvis pari tenore cęteras etiam circumſtantias inculcare videatur. Prima tamen (velit nolit) à Maldulo ad Romualdum tranſlata, atque accomodata eſt, et ſi Romualdi verè fuiſſet, non ijs tamen circumſtantijs erat conjungenda, quas illi, contra B Rodulphi mentem, Fortunius addidit. Ultima quò ad ſubſtantiam vera eſt, quò ad modum verò à Fortunio deſcriptum, non item; nam ab Hjeronymo Pragenſi Viro Sanctitate conſpicuo in vita S. Romualdi apud Bollandianos edita cap. 10. num. 65. ſic enarratur. *Poſt hæc S. Romualdus redibat ad præfatam Eremum Camalduli, ſed laſſus in medio itineris requievit paululùm ſuper ingens ſaxum, quem Diabolus apprehendens per cucullam, conabatur præcipitare in vicinam fluminis foſſam. Sed Romualdus ſaxum præfatum manibus arripuit, et duro lapidi, ac ſi mollis cera fuiſſet, ſic veſtigia manuum, et pedum infixit; et cum clamaſſet Jeſum, ante oculos ejus repentino terræ hiatu omnis furia Diaboli abſorpta eſt* Confer ſodes cum circumſtantijs à Fortunio adductis, et cognoſces, quàm ſibi liberum duxerit Hiſtoricus noſter à Veterum traditione recedere, et geſta maiorum ſuis inventis interpolare. Secunda denique, nempe habitus immutatio tam falſa eſt, ut ab his etiam, qui Romualdo Viſionem Scalæ tribuunt, velut omninò commentitia rejecta fuerit.

XII. Lucas enim Barchinonenſis Eremita Montis Coro-

Coronæ anno 1587. ſuam Romualdinam Hiſtoriam, Patrum decreto probatam, in lucem aſſeruit, ubi mutatæ, ob Viſionem, tunicæ fabulam, à Fortunio recèns fabricatam [licet jam per Sylvanum Ractium, et Mugnotium in exteros divulgatam, ab illiſque receptam, probabili in ſpeciem noſtri candidi habitus origine illam commendante] penè riſu excipiens, eandem, velut nulla, certè non recta, nec conſtanti traditione, aut legitima auctoritate ſuffultam, contempſit, unde lib. 1. cap. 12. de Prioratu B. Petri Dagnini verba faciens, ait: *non pauci, tum nobiles, atque illuſtres, tum vulgares Viri, Spiritu Sancto afflati, rejectis ſæcularibus curis, omnibuſque renunciantes, Evangelicum conſilium ſecuti, monaſticum habitum de manu Petri ſuſceperunt, NON EQUIDEM QUALE DEPINGIT QUIDAM SOMNIASSE ROMUALDUM, ſed vile, et abiectum, quo uti verè pauperes ſolent*; et mox lib. 5. cap. 1. de vario Romualdi, ejuſque Diſcipulorum habitu diſſerens, ſubdit: *Nec refert, quod quidam SINE FUNDAMENTO aſſerat, ROMUALDUM, poſt Angelorum Viſionem, NIGRUM HABITUM IN ALBUM MUTASSE; adeòne vecors fuit, alioqui diligentiſſimus, Petrus Damianus, qui in tam prolixa Hiſtoria, certo amictu indutum dare neſciverit? Apud quem modò abiecto cultu, modò excalciatum, modò pellibus ornatum S. Patrem legimus. Adde, quòd de Eo, et Diſcipulis in Pereo manentibus ſic loquitur Auctor: Quis enim non obſtupeſceret, quis non immutationem divinæ dexteræ prædicaret, cùm vidiſſet eos uno birro contentos, incluſos, diſcalceatos, incultos, et tanta abſtinentię ariditate contritos? In ſumma nulla*

N *fuit*

fuit antiquitus definita Romualdinis veſtium norma, neque ſpecies, vel qualitas prohibita, dummodò honeſtatis, paupertatiſque eremiticæ metas non excederet, &c.

XIII. Hæc Lucas Eremita de tum ſuborto hujuſmodi ſomnio, quamquàm circa ſubſtantiam Viſionis Romualdo aſcriptæ, ab Inſtitutore ſuo Paulo Juſtiniano, cujus verba num. 11. capitis præcedentis ſupra retulimus, minimè differat, imò iactet ſe illam ex B. Rodulphi ſcriptis [perperam ſcilicet intellectis, et relata ad Romualdum Viſione, quam ille de Maldulo narrat] hauſiſſe, ut aliàs monuimus ex fine capitis 8. libri primi ejus Hiſtoriæ. Nec tamen diſſimulo, Fortunium paulò poſt, anno videlicet 1592. edita in Lucam ipſum Apologia pro ſuis Hiſtorijs, aſſertæ mutationis, quam hic inſugillaverat, defenſionem ſuſcepiſſe, ſed quæ ſuæ cauſæ debilitatem propè demonſtrat, atque opinionis, quam ſuccollare nititur, ſtabilitatem penitus labefactet; Nihil enim ibi Fortunius in ſuæ ſententiæ præſidium aſſumit, quàm participium *albeſcentium* Monachis per Scalam Malduli (iuxta Rodulphum) aut Romualdi (juxta ipſum, et Camaldulenſia monumenta, quæ ſuperiùs excuſſimus, et in quibus totam vim ponit) aſcendentibus attributum: *Albeſcens* enim ab *Albeſco*, quod eſt *Albus fio* deduci notat; Hinc noſtras tunicas *ex nigris albas factas* ibidem ſatis ſignificari contendit. Ecce ipſa Fortunij verba, ne quis me in pravum, et ridiculum ſenſum Apologię hujus ſummam detorſiſſe ſuſpicetur. *Quod enim*, inquit, *ad album veſtimentum attinet, cùm ipſe* (Lucas Eremita) *fortaſſe non legerit*

legerit ea, quæ ex antiquis Eremi noſtræ monumentis à Patribus Vitæ S. Romualdi addita fuere, quæ impreſſa fuit ſub auſpicijs Leonis X. Pont. Max. anno 1513. *propter obtenta anno ejus primo inita novæ Congregationis noſtræ privilegia, in quibus quidem monumentis hæc habentur verba: Anno verò Domini MXII. Idem B. Pater Romualdus, cupiens locum idoneum eremiticę converſationis invenire, pervenit ad iſtum locum Camalduli, ubi dum paululùm laſſus requieſceret, raptus in ſpiritu vidit, ad inſtar Jacob, Scalam excelſam, ſuo vertice Cœlum tangentem, per quam ſplendeſcentium, atque Albeſcentium videbatur aſcendere multitudo. Nil mirum profectò, quòd participium ALBESCENTIUM ab ipſo ſubtrahatur* (nam in referenda Viſione Lucas Eremita loco cit. dumtaxat *Monachorum multitudinem aſcendere* per Scalam Romualdo viſam aſſeruerat) *ſeu fides cæleſtis oraculi non fuerit integrè ab eodem notata; ALBESCO namque verbum ALBUS FIO apud Grammaticos ſignificat: quemadmodùm videlicet Diſcipuli S. Romualdi antea tunicis nigri, propter ipſam cæleſtem Viſionem*, *in ALBOS jamjam immutari incipiebant.*

XIV. En igitur quàm ſubtili argumento univerſam iſtam habitus mutationem à Neoterico Scriptore nobis imponi patimur, quia Maldulus, vel [ſi placet] iuxta ejus opinionem, etiam Romualdus ALBESCENTIUM MONACHORUM ASCENSUM cognoverunt! [ſi quod enim aliud, aut ex Traditione, aut ex Hiſtoria, aut ex alia ratione excogitabili fundamentum rei hujus ſuppetijſſet, illud utique adverſario ſuam fabulam irridenti objicere non omiſiſſet] At ò quæ iſtæ ſunt nugę! Non *Albeſcentes* modò, mi Bone, ſed et *Splen-*

Digitized by Google

deſcentes Monachos illos, præter Rodulphum, Gerardum, Hieronymum, Malduli Scalam referentes, Camaldulenſia ipſa illa tua monumenta, Viſionem Romualdo aſcribentia, atque à te tantoperè deprædicata, nobis deſcribunt: et *Splendeſco* apud Grammaticos *Splendidus fio*, æquè ac *albeſco*, *albus fio*, juxtà pædagogicam obſervationem tuam, ſignificat; An ergo et rutilantes cucullos ad ipſorum normam Romualdus cum ſuis, poſt Scalę Viſionem, deferre cępit?

XV. Quid? quòd tantum abeſt, ut quicquam Myſterij in voce illa *albeſcentium* antiqui Patres noſtri recognoverint, ut B. Paulus Juſtinianus, et Andreas Mugnótius, locis cap. præced. num. 11. et 13. relatis, eam Monachorum Viſionem hac ſimplici phraſi, præciſo albeſcentium nomine, reddiderint, nimirum: *Per quam divino quodam ſplendore fulgentium videbat Monachorum conſcendere multitudinem*; Et rurſus: *Scalę cujuſdam mirabilem Viſionem vidiſſe per quam ad Cælum uſque Monachorum aſcenderet multitudo*; et iterùm: *coruſcantes Scalas ad Cœlum uſque erectas, et Monachos complures fulgentiſſimos, per illas conſcendentes, ad inſtar Jacob Patriarchæ videre meruit*. Numquid ergo in Juſtinianum, et Mugnotium Fortunius calamum (aut ferulam) ſtringet, violatæ Religionis invidiam movebit, aut ſubleſtæ fidei reos traducet, quòd participium *albeſcentium* (ut fecit Lucas Eremita) ſubtraxerint, et ſuperſtitioſam notationem ſuam, aut ignoraverint, aut neglexerint?

XVI. Sed, ut dicam quod res eſt, idem exiſtimo voce *albeſcentium* apud Rodulphum, quod voce *fulgentium*

tium

tium apud Juſtinianum ſignificari, nec majus myſterium ab illo, quàm ab hoc, utrolibet termino, deſignatum contendo: Quidquid enim in illa Viſione albicavit, *candor* fuit *lucis æternæ*, Angelicis illis corporibus affuſus, qualis cœleſtes Viſiones afficere ſolet, eoquòd is color maximè cum luce coniunctus ſit, et ex luminis in fulgidos radios circumundique ſparſos diffuſione reſultet, ut Phyſici docent, atque Optici oſtendunt: quin et paſſim per *Lucem*, *Candor*; *Lux* per *Candorem* apud optimos Auctores promiſcuè ſignificata legitur. Ita S. Germanus Patriarcha Conſtantinopolitanus de Sacerdotalibus indumentis differens, ait: *Tunica, quæ ALBA eſt, divinitatis SPLENDOREM indicat, et Sacerdotis SPLENDIDAM converſationem*. Divus Auguſtinus de Nat. et gr. cap. 29. *Oculus Corporis, etiam pleniſſimè ſanus, niſi CANDORE LUCIS adiuvetur, non poteſt cernere*. Auctor vitæ B. Petri Urſeoli apud Mabillon. Sæc. 5. Benedictino num. 20. *Viſa ſunt*, inquit, *ſuper ſepulcrum ejus divinitus accenſa luminaria, quæ miro CANDORE REFULGEBANT per omnia loca illius Clauſtri*. Sed et SS. Martyres puero illi apud D. Gregorium lib. 4. Dial. cap. 12. apparentes, *CANDOREM veſtium, vultuum ſuorum LUCE vincebant*. Et Eccleſia in hymno ad Veſperas Feriæ 4. canit. *Qui LUCIDUM centrum poli CANDORE pingis IGNEO*. Hinc quod in Math. cap. 17. de Domino noſtro Jeſu Chriſto Transfigurato vulgata lectio habet: *Veſtimenta autem ejus facta ſunt ALBA ſicut NIX*, omnia græca exemplaria legunt: *ſicut LUX*; et è contrario Petrus Damianus

anus in ipſa S. Romualdi vita cap. 51. ait: *cujus anima delata eſt ante Deum SPLENDIDA velut NIX*; Et ſic de ſexcentis alijs; Et ne Fortunius grammaticos apices ab Authoribus ſacris minùs aliquando religioſè obſervatos criminetur; antiquis etiam, et probis auctoribus expoſitionem noſtram firmabimus, ut Plauto in Menechemis. *O! Solem vides ſtatim ut obcæcatus eſt præ hujus corporis CANDORIBUS*. Apulejo lib. 11. metamorph. *Mulieres CANDIDO SPLENDENTES amicimine.* Et Cicerone lib. 2. de Nat Deor. dicente: *nam Solis calor, et CANDOR ILLUSTRIOR eſt, quàm ullius ignis.* Itaque *Lucis* ea ſpecies eſt, ut ipsamet per ſe *albeſcat*, ea natura *Candoris*, ut puram *lucem* oculis referat, ſuaque vi *refulgeat*, idemque proinde ſonat *albeſcentes* monachos vidiſſe, quod *ſplendeſcentes*, ſeu *fulgidiſſimos*.

XVII. Verùm eſtò ſubſiſteret, Candorem inter, et Lucem qualiſcunque diſcretio, an ex candido Monachorum eorundem cucullo inferre liceret, legem Romualdo cęlitus latam, veteris tunicæ abijciendæ, novique pallij candore adſcito, inter Diſcipulos encænijandi? Quis ignoret, plenas eſſe Propheticas ęquè, ac Evangelicas litteras, nec non alias paſſim Eccleſiaſticas Hiſtorias ſimilibus propemodum exemplis, quibus admonemur, quàm ſolemne Angelis, Sanctisque Viris fuerit, in Candidæ Stolæ decore mortalium oculis ſe conſpicuos exhibere? An non ipſe Sanctiſſimus Parens noſter Benedictus, quem nigris tunicis uſum mordicus tradunt, nedum ejſdem ornatus multis apparuit, apud Mathæum Lauretum De exiſten. Corp. S. Bened. in

Monte

Digitized by Google

Monte Caſſ. lib. 1. cap. 32. Sed et aliàs *candidiſſima indutus cuculla* viſus eſt, tum B. Eliſabeth Schounagienſi lib. 1. Viſion. ſuar. cap. 5. tum alijs quibuſdam apud Leonem Oſtienſem in Chronico Montis Caſſini? An non B. Maurus S. P. Benedicti Alumnus, et Diſcipulus, quem etiam nigris tunicis uſum plerique perſuaſum habent, Jacobo Abbati Cormaticenſis Monaſterij *Candidiſſimum Monachi præferens habitum* apparuiſſe legitur apud Oddonem Glanafolienſem Abbatem in Hiſtoria Translationis S.Mauri num. 9. quæ uſque ab anno 869. conſcripta fuit? Quid ergo myſteria iſthæc in ſola Malduli, aut Romualdi Viſione conſectamur!

XVIII. Omitto, quòd variæ imaginationi Clientũ ſuorum, ac phantaſiæ diſpoſitioni favere Superi ſolent, eaque ſpecie ſe illis videndos tradunt, quæ illorum apprehenſioni magis reſpondet; profectò ſi apud Æthiopes color niger ita in delicijs eſt, ut candidum penitus averſentur, et S. Michaelem fuſca facie, Dæmonem alba exprimere conſueverint; putamusne Cælicolas, pijs ex illa gente hominibus, juxta albam Europæorum ſpeciem apparituros? immò ſe illorum ideæ accomodabunt, nigramque faciem proculdubiò exhibebunt. Facillimum ergo eſt, ut nobis cæleſtia corpora ad modum candidiſſimarum nubium plerumque concipientibus, albeſcentes æque, ac ſplendeſcentes cæleſtes cives videantur, citra ullum proptereà æmulandi per noſtras veſtes eorum candoris, utì et ſplendoris, myſterium, quod nemo ante Fortunium animadverterat, utì ex ſuperiùs adductis clariſſimum eſt.

CAP.

Digitized by Google

CAPUT VII.

Prima Obiectio eliditur, et Color albus à noſtris Monachis ex antiquo retentus, non ex nigro mutatus aſſeritur.

SYNOPSIS.

Nigrum Cluniacenſium habitum à Romualdo in Claſſe aſſumptum opponunt. 1. *Claſſenſe Monaſterium nullo indicio Cluniacenſis Ordinis fuiſſe probatur.* 2. *Idem impoſſibile oſtenditur, ex quo Abbates, et Priores in Cœnobijs Ordinis Cluniacenſis per Abbatem Cluniaci inſtituerentur.* 3. *Novitij cujusvis Monaſterij apud Cluniacum profitebantur.* 4. *Romualdus à Claſſenſibus Monachis in Abbatem electus, in manibus Imperatoris Abbatiam dimittit, quam poſtmodum à ſimoniaco Abbate purgat.* 5. *Claſſenſe Cænobium ad ſummum poſt Romualdi converſionem à Sancto Majolo Cluniacenſi reformari potuit.* 6. *Idque dubium remanet ex vitis S. Majoli* 7. *Claſſenſes ex commercio Avellanitarum Albi oſtenduntur.* 8. *Romualdus in Eremum ſecedens, utì cucullam depoſuit, ita colorem mutare potuit.* 9. *Melotes, et Birrum alba veſtimentorum genera, quibus Romualdus, et Diſcipuli ante Camaldulum uſi ſunt.* ibid. *Variæ candidi habitus cauſæ à varijs aſſignatæ.* 10. *et* 11. *Non aſſumptum, ſed retentum à noſtris album colorem, benedicendi habitus*

Digitized by Google

bitus Collecta demonſtrat. 12. *Faciliùs albos Monachos veſtem nigram aſſumpſiſſe, quàm nigros in candidam mutaſſe multa exempla declarant*. 13. *Mabyllonius, et Martene pro hac opinione ſtantes*. 14. *Ratio candoris habitus veterum Monachorum, ex quo lavari oporteret*. 15. *Item ex quo nativus lanæ color ex Regula aſſumendus, qui paſſim eſt albus* 16. *Idem ex Picturis colligitur*. 17. *Multiplici etiam authoritate veterum Scriptorum ſuadetur*. 18. *Reſponſio ad Conſtitutum Lateranenſis Concilij de exemptione Monachorum nigrorum* 19. *Nonnulli ex Monachis etiam nigri conceduntur, et fortè è Diſcipulis Romualdi, quem nigro habitu ſepultum tradunt* 20. *Petri Bleſenſis de hoc argumento ſententia*. ibid.

I. SUpereſt ut obiectionibus occurramus, quarum prima, eaque potiſſimi roboris in hoc negotio haberi ſolet, quòd non alia noſtrarum veſtium candoris cauſa aſſignari poteſt, quàm Viſio albeſcentium Monachorum, per Scalam Camaldulenſem aſcendentium juxta Viſionem Romualdo, ſeu Maldulo ſaltem oſtenſam; ſi enim, ut conſtans opinio tradit, Romualdus in Claſſenſi Monaſterio, quod Cluniacenſium juris fuiſſe creditur, nigrum cucullum aſſumpſerat, quonam honeſtiori titulo dicemus, Romualdum, ejusque poſteros, et ſucceſſores candidæ veſtis uſum, antea penes Monachos incognitum, induxiſſe? uno verbo: Monachorum habitus antiquis temporibus Niger fuit, nunc apud Camaldulenſes eſt Candidus, ergo ab aliquo mutatus eſt, cur autem non ab ipſo Parente

Digitized by Google

Romualdo? quòd ſi ab ipſo, num ſuſpicabimur id temerè contra priſcam conſuetudinem attentaſſe, et non gravi ratione, ac maturo conſilio, morem Patribus ſuis antiquiſſimum innovaſſe? profectò neceſſe eſt divino nutu impulſum Virum Sanctiſſimum, ut id moliretur: quando autem, vel quo medio, divinam voluntatem circa negotium hujuſmodi agnoſcere potuit, niſi Monachos albis cucullis decoros in Cœlum aſcendentes per viſum aſpexiſſet?

II. Verùm hæc non urgent, quantocumque vulgi plauſu efferantur; nam primò oſtendant velim, Claſſenſe Monaſterium, in quo S. P. Romualdus Monaſtico Schemmate eſt initiatus, Cluniacenſium juris reverà fuiſſe, ut præfidenter aſſeverant; nullum enim hujus ſubiectionis veſtigium occurrit, ſive in cathalogis Monaſteriorum à Cluniaco pendentium, ſive in ſcriptis Cluniacenſium Abbatum, ſive in tota demum Cluniacenſi Bibliotheca. Nulla etiam hujus nexus Claſſenſium cum Cluniacenſibus mentio in ullis Archivij Claſſenſis paginis; cùmque toties inter noſtros, et Archiepiſcopum Ravennatem de jure Claſſenſis Monaſterij decertatum ſit, nihil cauſæ nobis cum Abbate Cluniacenſi interceſſiſſe videtur.

III. Imò hæc Abbatiæ Claſſenſis ſubiectio poſitivè oſtenditur impoſſibilis, nam Prioratus, et Abbatiæ ex Cluniacenſi Monaſterio pendentes, à ſolo Cluniacenſi Abbate inſtitutum Priorem, aut Abbatem recipiebant, nec ſibi Prælatum ſuum eligendi jure petiebantur, excluſa etiam Regis, vel Imperatoris, vel Patroni cujus-

libet

libet nominatione, vel immiſſione. Teſtis eſt Ludovicus Craſſus Galliæ Rex in ſuo Privilegio dato anno 1119. Relato in Cluniacenſi Bibliotheca pag. 576. *A fundatione*, inquit, *Ordinis Cluniacenſis eſt obſervatum, quòd Abbas Cluniacenſis Prioratus ſuos committit regendos, et cuſtodiendos, ſicut rem ſuam propriam, cuicunque voluerit de ſuis Monachis, ſine aliqua diſtinctione, electione, vel certæ perſonæ requiſitione, vel nominatione, et eoſdem removet quando ſibi bonum videtur, et utile;* quo ex Privilegio, et ex Innocentij IIJ. Epiſt. 191. regeſt. 15. colligit Thomaſinus de Benef. par. 1. lib. 3. cap. 68. num. 6. quòd *Cluniacenſis Abbas, nullo ſe Patrono, ſeu Laico, ſeu Clerico, in his interſerente, Priores ipſemet nominabat, et revocabat ad nutum, cùm ex re eſſet*. Idemque circa Abbates in Abbatijs ſibi commiſſis exequebatur, nam, ut laudatus Thomaſinus ubi ſupra num. 9. obſervat, cùm anno 1077. Vvillelmus Aquitaniæ Dux in ſuburbio Pictavienſi Abbatiam extruxiſſet, illam Hugoni Cluniacenſium Abbati ſubdidit, ut in ea Abbates inſtitueret, *nolens à ſe vel ſuis ſucceſſoribus nominari, vel à Monachis eligi, ſed ab ipſo deſignari Abbate Cluniacenſi, quod propiùs aberat à moribus Cluniacenſium*; Neque id mirum, nam, ut num. 5. idem notaverat, *Cluniacenſis Congregatio prima omnium fuit, quæ longè plurima Monaſteria uni Abbati Generali ſubiecta complecteretur, et ſi per longè remotiſſimos Epiſcopatus diſſipata eſſent*; undè S. Oddo Cluniacenſis Abbas conſtitutus, quaſi Generalis Præpoſitus illo Elogio in Bibliotheca Cluniacenſi pag. 15. ornatus legitur: *Abbas ordinatus Franciarum, Aquitaniarum, Hiſpaniarumque partium,*

atque Romanæ Urbis circumſtantium Cænobiorum effectus eſt Dux, et Pater dulciſſimus; hinc ergo alios Cænobiorum Rectores inſtituendi, ac deſtituendi pleno jure fruebatur; nam Abbatis electio ſolis Monachorum ſuffragijs tamdiù dumtaxat in Ordine Monaſtico celebrari conſuevit, quandiù ſingula Monaſteria propriam Congregationem ab alijs independentem conſtituerunt: ubi verò in unam Congregationem plura collecta ſunt ſub uno Generali Patre, tamquam membra ſub uno Capite conſtituta, ſtatim Prælatorum electio, vel ſaltem confirmatio, ad ipſum ſupremum omnium Generalem Abbatem devolui cæpit, ſine cuius authoritate, etiamſi votis omnibus ſubditorum quis in Præſulem poſtularetur, non poterat liberam Cænobij regendi poteſtatem, et adminiſtrationem capeſcere.

IV. Inſuper idem Thomaſinus loco cit. animadvertit, ad firmandam, et validiùs agglutinandam hanc tot membrorum cum ſuo Capite ſocietatem, decretum fuiſse, *ut apud Cluniacum tantùm in manus Cluniacenſis Abbatis omnes prorſus profiterentur*; undè ſubdit laudatus Scriptor: *quidquid erat uſquam Tyronum ordinis, et Novitiorum, Cluniacum proficiſci cogebatur, et ibi obedientiam Abbati Generali profiteri*: Quamquàm ſuſpicari fas eſt, ſtabilitatem aliquam in ſuo Cænobio Tyrones interim jurare conſueviſſe, pleniorem verò, et ſolemniorem profeſſionis cæremoniam Cluniaci implendam, dum opportunitas illuc eundi ſe offerret, diſtuliſſe: narrat enim Petrus Cluniacenſis in Bibliotheca pag. 1305. quòd Matthæus ille, qui poſtmodum Cardinalis Epiſcopus Albanenſis fuit, in

in Cænobio Pariſienſi S.Martini de Campis, *corpori Monaſterij, quantùm tunc fieri potuit, vel debuit, aſſociatus eſt: parvo temporis ſpatio emenſo Cluniacum venit, quod ei de profeſſione ſcripta, vel de Monachi uſitata benedictione defuerat, à Cluniacenſi Abbate ibi benedictio ſuppletur, et jam integer Monachus evadit &c.* Tempus autem trienij ab eodem Petro Venerabili Abbate Cluniacenſi ſtatutum fuerat [ex eadem Bibliotheca pag. 1366.] intrà quod niſi Cluniaci Tyrones ſe ſiſterent, Regulam profeſſuri, non poſſent vel Ordinibus initiari, vel celebrare myſteria, vel ullo prorſus officio fungi; atquè hæc conſuetudo ad uſque Leonis *X.* tempora obtinuit, qui primus Priori S. Martini de Campis propè Lutetiam conceſſit, ut Novitios ad plenam profeſſionem et ipſe admitteret, *quia Monachis grave nimis, et diſpendioſum exiſtebat ad Cluniacenſe Monaſterium pro emittenda in manibus Abbatis, vel ipſius in ſpiritualibus Vicarij Generalis profeſſione, juxta inſtituta, et laudabiles conſuetudines dicti ordinis, accedere. &c. Datum anno* 1523. Undè Cluniacenſis Abbas Priorem S. Martini prædictum Vicarium ſuum Generalem, et perpetuum ſtatim declaravit, ut Novitios ad profeſſionem ſuſciperet, ac tali privilegio, citra ſui juris diſpendium, uteretur.

V. Conſtat porrò Claſſenſem Abbatiam nunquam Abbates à Cluniacenſi Generali inſtitutos accepiſſe, ſed vel ab Imperatore, vel ex communibus Monachorum ſuorum ſuffragijs; nam Petrus Damiani in Vita S. Romualdi cap. 22. ait: *Eodem verò tempore junior Otho Imperator Claſſenſem Abbatiam ordinare deſiderans, optionem fratribus*

tribus

tribus dedit, ut quem ipſi vellent, indubitanter eligerent; At illi continuò expetunt Romualdum: En Abbatis electionem à Cluniacenſi Generali penitùs independentem. Rurſus cùm Romualdus reluctaretur hoc regimen aſſumere, non Cluniacenſis Abbatis authoritas invocata eſt, ſed Rex ipſe *excommunicationem, et anathema ab omnibus Epiſcopis, Archiepiſcopis, et toto Synodali Concilio minatus fuit*, ut regimen vel coactus acciperet Romualdus; cùmque Abbatiam ipſam Vir Sanctus dimittere voluit, non Cluniacenſem Abbatem, ſed eundem *Regem impiger adijt, et eo non leviter reluctante unà cum Archiepiſcopo Ravennate, in utriuſque conſpectu Virgam projecit, et Monaſterium dimiſit*, ex cap. 23. Similiter cap. 42. cùm Romualdus Claſſenſe Monaſterium Simoniaco Abbati eripere ſtuduit, non ad Cluniacenſium Patrem provocavit, ſed ipſemet *illuc protinùs ire Miles Chriſti impiger ſtuduit, diverſiſque modis ex eo Monaſterium purgare tentavit*. Liquet inſuper, Romualdum in Claſſenſi Cænobio ſuam profeſſionem emiſiſſe, totoque triennio ibi degentem, nunquàm de ſuſcipiendo Cluniacenſi itinere cogitaſſe, ut benedictionem apud Cluniacum acciperet, atque in Abbatis conſpectu ſolemnitate omni ad pleniſſimam profeſſionem requiſita fungeretur. Imò ne quidem cùm in Gallias migravit, atque inibi viginti fermè annis eſt converſatus, ullum Cluniaci viſitandi deſiderium foviſſe videtur; evidens igitur eſt, Romualdi tempore nullum fuiſſe Cluniacenſium cum noſtris Claſſenſibus commercium, ſed ſui juris Claſſenſe Monaſterium fuiſſe, ſub Imperatoris tutela dumtaxat, et Raven-

Ravennatis Archiepiſcopi ditione conſtitutum.

VI. Quid ergo reponendum eſt Viro erudito, qui in litteris ad me datis, Claſſenſe Monaſterium ſub nigris Cluniacenſiū veſtibus meruiſſe probat, ex quo ſub cura S. Maioli Cluniacenſis Abbatis fuerit ab Othone II. anno 966. repoſitum? Primò reſpondebimus, quòd ſi ab anno dumtaxat 966. Cluniacenſem reformationem Claſſenſis Abbatia ſuſcepit, nondum igitur quidpiam cum Cluniacenſibus commune habebat anno 927. vel 937. quo S. Romualdus Monaſticen amplexus eſt, neque adeò quidpiam cogit aſſerere, nigram Cucullam tunc à Romualdo aſſumptam fuiſſe. Secundò non plenam, et perpetuam Congregationi Cluniacenſi ſubiectionem tunc paſſum eſſe Claſſenſe Cænobium, ſed perfunctoriam tantùm viſitationem Majoli Abbatis, quem Otho eò direxerat pro morum reformatione; id quod S. Majolus efficere poterat, abſque eo quòd veſtium colorem mutandum, et Cluniacenſium nigredinem æmulandam Claſſenſibus traderet, ſola ſpirituali directione in his, quæ ad Regulæ obſervantiam facerent, Claſſenſibus relicta; nullam enim idcirco poteſtatem in Claſſenſe Monaſterium acquiſivit Cluniacenſis Abbas, cujus poteſtatis, ut vidimus, nullum extat veſtigium, ſed conſuetudo potiùs Cluniacenſium juri contraria vigebat, ut ſupra oſtendimus.

VII. Tertiò demum negare quis poſſet, Majolum Claſſenſis Monaſterij curam reipſa unquam ſuſcepiſſe, etiamſi quoddam S. Apollinaris Ravennatis Monaſterium illi ab Imperatore commiſſum fuerit pro ipſius

ſius reformatione: dum enim in vetuſtis authoribus de hac re loquentibus nulla *Claſſis* mentio occurrit, dubitare licet, an de alio quopiam Monaſterio æquivocum S. Apollinaris titulum præferente ſint intelligendi. En textum ex vita S. Majoli apud Bollandum Tomo II. Maij die 9. auctoribus Syro, et Aldebaldo coævis lib. 2. num. 36. *Per idem tempus B. Apollinaris cænobium, quod per vigintiquatuor ſtadiorum ſpatium à Ravennate Urbe fertur ſepoſitum, ad B. Benedicti inſtituit tramitem, ibique ſuum ordinavit Abbatem; præterea Imperatricis non contemnendæ petitionis tunc exoratus inſtantia juxta Ticinenſem Urbem S. Salvatoris deſudare cæpit in fabrica*. En aliud prolixius teſtimonium ex Majoli vita Auctore Nalgodo S. Viri Diſcipulo apud eundem Bollandum cap. 2. num. 21. *Otho igitur Reipublicæ Imperator, et Adelaides uxor ejus, qui juſtitiam, atque fidem virilibus ſtudijs excolebant, per Heldricum jam Monachum, olim inter Aulæ Regiæ palatinos præcipuum, S. Viri notitiam ſe attigiſſe gaviſi ſunt. Miſſa legatione ad eum, litteras quoque invitatorias deſtinarunt, deſiderabilem Majoli præſentiam devotis ſupplicationibus ambientes. Qui à Burgundia tandem egreſſus, et preſentem ſe offerens Imperatoriæ majeſtati, ſolemni reverentia, qua decebat, exceptus eſt, cùmque diu inter ſe familiari jungerentur colloquio, præcibus apud eum Imperator obtinuit, ut Eccleſias Imperij, in quibus Ordinis fervor tepuerat, reordinans, in melius ſuſcitaret. Acquievit boneſta petenti, et in Eccleſia B. Apollinaris Ravennatis poſuit Religionis Abbatem: juxtà Ticinum, ideſt Papiam, in honore S. Salvatoris conſtruxit Eccleſiam: Monaſterium, quod vulgò Cella Aurea dicitur, et collapſum penè*

fue-

fuerat in ruinam, reſtauravit ad unguem. Vides hìc nullam *Claſſis* mentionem, ſed Monaſterij S. Apollinaris dumtaxat; veroſimile autem non eſt, omittendam fuiſſe tam celebris cognominis appellationem ab ijs omnibus Scriptoribus, ſi de illo Claſſenſi Cœnobio intelligi voluiſſent. Et certè ſi Claſſenſe Monaſterium anno 966. Majoli Abbatis ſtudio Cluniacenſem reformationem ſuſcepiſſet, cur Otho junior anno 995. illud idem in melius ordinare in votis habuit, et quomodo tam corruptos adhuc Monachorum mores ibidem Romualdus expertus eſt, ut ad dimiſſionem Abbatiæ compulſus fuerit?

VIII. Porrò Claſſenſium Monachorum habitum album fuiſſe conijcere poſſumus ex B. Petri Damiani Epiſtolis lib. 2. Ep. 4. et 12; et lib. 6. Ep. 15. et 26. ex quibus cùm ingens pateat inter illud Claſſenſe Monaſterium, et Sacram Avellanæ Domum communicatio, quando, et Abbas Claſſenſis ſæpe Avellanam petebat, et Avellanitas in Claſſenſi Aſceterio recipi conſuetudo erat, ſicut viciſſim in Avellanæ clauſtro B. Joannes Claſſenſis antea Monachus Damiani tempore vixit, et Damianus ipſe non raro in Claſſe habitavit, egregijs cantoribus Bonino, et Petro ibi familiariter uſus; quando etiam idem Damianus ſuis ipſe manibus in Claſſenſi Monaſterio monaſticum habitum Marino Fratrueli ſuo tradidit, ut ipſe refert initio Ep. 26. cit. Cùm, inquam, hæc conſtent, mihi facilè perſuadeo, non admodùm ab Avellanitarum habitu Claſſenſium veſtes diſtaſſe, non enim ita commodè potuiſſent in-

vicem ſociari, nec congruum fuiſſet, ut Marinus Claſſenſis Monachus fieret ab Avellanita Damiano, in Claſſenſi Eccleſia diſcolorem ſuo habitum miniſtrante, ex Innoc. III. cap. *Cùm cauſam* extra de elect. et Gloſſa ibid. de hominibus diſparis habitus in eodem Monaſterio non ſociandis: quare cùm ſupra cap. 2. num. 9, et 10. probatum fuerit, Avellanæ Monachos albis veſtibus uſos, idem facilè de Claſſenſibus prçſumi poſſe quis dubitet?

IX. Cæterùm qualiscumque fuerit à S. P. Romualdo ſuſceptus in Claſſenſi Cænobio regularis habitus, quis vadem ſpondere ſe auſit, Virum Beatiſſimum, cùm perfectioris vitæ deſiderio, de Abbatis ſui licentia, ad Marini Eremum ſe contulit, ejuſque diſciplinæ se ſubdidit, non habitum pariter, ac vivendi conſuetudinem innovaſſe; ac veluti mollem cænobitarum Cucullam cum rudi ſolitariorum Pallio commutavit, ſic etiam ſervandæ veſtium nigredinis ſollicitudinem nullam habuerit, atque ut habitus formam, ita et colorem tunc negligendum decreverit, quò S. Patri Benedicto conformiùs viveret, qui cap. 55. Regulæ ſancitum voluit: *De colore non cauſentur Monachi?* Sanè proprium Eremitarum habitum *Melotem* fuiſſe, monaſticarum antiquitatum periti conſentiunt, quam propterea congruum eſt, Romualdum à Marino accepiſſe; nec dubium, quin hoc veſtimenti genere S. Pater indutus coram Henrico Imperatore apparuerit, cùm ſcilicet [cap. 65. vitæ] à Theutonicorum pietate tantùm non depilatus extricare ſe potuit, *villos enim pelli-*

cea

ceæ veſtis, quæ erat indutus, anxiè decerpentes, pro ſacris reliquijs in Patriam portaturi, ſtudiosè recondebant. Quid eſt verò Melotes, niſi pellis caprina *alba?* Nam Regula S. Pachomij ab Angelo tradita, apud Palladium Hiſtoriæ Lauſiacæ cap. 28. præſcribit, *Vt habeant ſinguli Melotem, ideſt Caprinam Pellem confectam ALBAM*; cuiuſmodi pelles, ſive *albas capellas*, ut aiunt, ad imitationem S. Romualdi deferebant quoque Camaldulenſes noſtri Eremitæ ex Conſtitutionibus Rodulphi, Martini, Gherardi, ac demum Juſtiniani, quas ſupra cap. 3. num. 12. recenſuimus; nec diſſimile fuerat *Birrum*, quo refert Damianus Diſcipulos Romualdi contentos in Pereo fuiſſe cap. 26. *Quis non immutationem divinæ dexteræ prædicaret, cùm vidiſſet priùs homines ſericis, imò deauratis veſtibus indutos, nunc eos cerneret uno BIRRO contentos?* cujuſmodi veſtem in uſu fuiſſe apud priſcos etiam Camaldulenſes, colligitur ex verbis vetuſtiſſimæ paginæ Archivij S. Petri de Luco, ſacculo E, cartula 64. ubi habetur: *recepi ego prædictus Abbas S. Petri* [de Muſcheto] *à te prædicto Rodulpho Priore, vice, et utilitate prædictæ Eccleſiæ, BIRRVM unum, ſive veſtimentum monaſticum, valentem ſolidos centum, et centum miſſas, et totidem pſalteria*. Actum apud Eccleſiam *S. Petri de Luſciano, anno MLXXXVI. menſe Julio, Indictione IX.* At hoc pariter veſtimenti genus album fuiſſe ſuaderi videtur ex S. Gregorio Papa lib. 7. Ep. 5. ad Januarium. *Cùm imaginem illic Genitricis Dei, Dominique noſtri, et Venerandam Crucem, vel BIRRVM ALBVM, quo de fonte ſurgens indutus fuerat, appoſuiſſet*. Conſtat autem, ſive Me-

lotem, ſive Birrum à Romualdo apud Claſſenſes aſſumptum non fuiſſe, cùm hæc non eſſent cænobitarũ propria veſtimenta, ſed ſolitariorum dumtaxat, et tamen hæc in uſu habuit S. Pater ante omne Viſionis Scalæ myſterium; non igitur ab hoc expectare debuit veſtium in Claſſenſi monaſterio aſſumptarum immutationem, ſive formam, ſive colorem illarum ſpectemus.

X. Ut autem propiùs rationem attingere incipiamus, cur Camaldulenſium habitus, et olim ſemper, et ad hanc uſque diem candidus pariter fuerit, varias, quæ à diverſis prætendi ſolent, hujus conſuetudinis cauſas in medium afferemus. Primò generatim dicere liceret, iiſdem ipſis motivis Parentes noſtros induci potuiſſe ad candidi ſchemmatis delationem, quibus tot alij Monachorum Chori, Avellanitæ, Ciſtercienſes, Carthuſienſes, Montis Virginis &c. æquè album habitum aſſumere decreverunt, citra ullius Scalæ myſterium. Secundò Petrus Damiani lib. 6. ep. 14. quam cap. 2. num. 7. adduximus, album Monachorum, et Eremitarum habitum humilitatis indicio aſſumptum prædicat, ad exemplum Chriſti, veſte alba per Herodem illuſi; legantur S. Doctoris verba loco ſupra citato. Tertiò Bernardinus Gadolus præcipuam hujus conſuetudinis rationem ponit in authoritate ſcripturæ dicentis: *Omni tempore veſtimenta tua ſint candida*, Eccleſiaſt. 9. Et rurſus: *Sancti amicti ſtolis albis ſequuntur Agnum quocunque ierit*, cap. 7. et 14. Apocalypſis; Cui addere poterat ex cap. 3. *Qui vicerit veſtietur veſtimentis*

tis albis, et non delebo nomen ejus de libro vitæ, et alia multa, oſtendentia hunc Angelorum proprium colorem eſſe, qui *in albis ſedentes, et cooperti ſtola candida* in Reſurrectione, et Aſcenſione Chriſti Domini apparuerunt, imò ipſiuſmet Chriſti exemplo colorem hunc conſecratum eſſe, cujus veſtimenta in Transfiguratione candida visa ſunt Math. 17. *Lucæ* 9. Marci 9. Subiunxit tamen idem Auctor, velut minùs præcipuam, et acceſſoriam rationem, ex *Viſione Maldulo* (nimirum non Romualdo) *oſtenſam*, ut patet ex ejus verbis cap. 4. num. 13. ſuperiùs allatis.

XI. Quartò Venturas Minardus ad interioris animi candorem ſignificandum veſtes candidas, utì et Columbarum Stemma, apud noſtros invaluiſſe cenſet, de Balneis Calderij lib. 1. dicens: *E per ſignificare con queſte candide Colombe la candidezza dell'animo, che dobiamo avere noi tutti, conforme al bianco noſtro veſtire;* Cui conſonant Patres Montis Coronæ in ſuis Conſtitutionibus anno 1670. Romæ editis, et à Clemente IX: ſpeciali forma approbatis, in cap. 55. Regulæ num. 3. decernentes: *Tutti gli Eremiti della noſtra Congregazione portino l'abito bianco, ſenza miſtura d'alcun altro colore, acciò per mezzo della candidezza delle veſti di fuori venghino avviſati dell'innocenza interiore, che devono avere*. Sed et PP. Eremitæ Sacræ Eremi Etruriæ in Cõſtitutionibus 1671. Florentiæ impreſſis, atque à Clemente X. ſpeciali forma pariter confirmatis, eodem cap. et num. totidem verbis idem inculcant. Omitto Lucæ Hiſpani rationem, quam in Hiſtor. Romual. lib. 5. cap. 1. haud

ſatis

ſatis explicatè tradere videtur, dum recenſitis varijs Monachorum coloribus, ſubdit: *Inter has varietates, viſum eſt Camaldulenſibus Patribus albi colorem ſibi eligere: nimirum candida columba Eremitica vita apud candidos Auctores appellari ſolet*. Denique ſi Camaldulenſes omnes interrogare libeat, quid in ſua quiſque Monaſtici ſchemmatis conſecratione ex ore Prælati audierit, nihil planè aliud reſpondere poterit, quàm complexam ex Damiano, et ex relatis Conſtitutionibus rationem, videlicet *Humilitatis, et Innocentiæ indicium*, velut unicã noſtri candidi habitus cauſam ſibi tunc aſſignatam fuiſſe; Formula enim vetuſtiſſima, atque ab omnibus retro Patribus noſtris in benedictione veſtium pro Novitij initiatione, et ſollemni poſt annum profeſſione, uſurpata ſic habet: *Domine Jeſu Chriſte, qui tegmen noſtræ mortalitatis induere dignatus es, obſecramus immenſam tuæ largitatis abundantiam, ut hoc genus veſtimenti, quod Sancti Patres noſtri AD INNOCENTIÆ, VEL HVMILITATIS INDICIVM ferre ſanxerunt, ita benedicere digneris, ut hic famulus tuus, qui hoc indutus fuerit, te induere mereatur; Qui vivis &c.*

XII. Hem! Si hoc veſtimenti genus *ad Innocentiæ, vel Humilitatis indicium Sancti Patres noſtri ferre ſanxerunt*, quid hìc circa mutationem habitus ex illa Viſione deducendam contentiosè nugamur? An non, ſiqua mutatio interceſſerit, ex ſolis cauſis in prefata Collecta Ritualis noſtri aſsignatis, atque in B. Petro Damiano, ac Conſtitutionibus prædictis, alijſque probatis auctoribus, fundamentum habentibus, proceſsiſſe dicenda ſit,

ſit, quàm ex iſta, vel fictitia prorſus, vel undecunque nutante Romualdinæ Scalæ Viſione? Quanquàm hæc ipſa Oratio nos monere videtur, candorem hunc, non tam ex dictis rationibus per noſtros de novo aſſumptum, quàm, ex dicendis, ab omni antiquitate, his ijſdem motivis illum probante, per noſtros potius retentum, et ad hoc uſque tempus religioſiſſimè conſervatum; Neque enim à noſtris primitùs iuventa eſt hæc Collecta, ſed omnnibus ferè Monachis communis anteà fuerat: eandem quippe ex Rituali Anianenſi recitat Martene de antiquis Monachorum ritibus pag. 692. num. 26. item ex illo S. Germani à Pratis (ibi pag. 695. num. 32.) ac rurſus ex Corbejenſi (ibi pag. 698. num. 46.) quemadmodùm et ex Carthuſiano (ibi pag. 702.) Liquet etiam ex Rituali Romano in Ordine ad benedicendum Abbatem, hac ipſa collecta regularem Abbatis habitum ab Epiſcopo benedici debere; nec niſi ob inſignem Orationis hujus antiquitatem, adhucdum à nigris Monachis, putà Caſsinatibus [pro ut etiam in vetuſto Caſsinenſi Ordinario tempore Oderiſij Abbatis conſcripto reperitur, teſte Martene lib. 5. cap. 4. nu. 7.] uſurpari ſolet in veſtium Monaſticarum benedictione, quanquàm illorum nigro colori jam nullatenus adaptetur, ut quæ propria erat candidi cuculli, quo et ipſi pridem amiciebantur; Etſi enim niger color ad *Humilitatis* ſignum trahi poſsit, nullo certè modo *Innocentiam* indicare valet, candidus verò utramque ſimul exprimit, juxtà Petrum Damianum, et Conſtitutiones ſupra relatas.

XIII.

XIII. Et ſanè longè facilius fuit, Monachos antiquum veſtium candorem in fuſcedinem commutaſſe, ut habitum toties lavandi tædium, et incommodum fugerent, quàm ut veſtes nigras in albas convertere aliquando voluerint; ac reipsà nullum aliud mutationis hujus ſecundæ exemplum occurrit, præter hoc adeò controverſum, illius verò primæ longè plurima poſſumus exempla in medium afferre: Nam Vallumbroſani primò Griſei, ſeu pallida quadam albedine perfuſi, certè magis ad album, quàm ad nigrum vergentes, ob Camaldulenſium ſympathiam (inquit Abbas Didacus Franchus in Hiſtor. S. Jo. Gualb. pag. 188.) immò uſque ad annum 1445. Scapulare album ferentes, nũc ex integro nigri evaſerunt. Id paſſim Monialibus è Regularium juriſdictione ſubductis, atque Ordinarij curæ commiſſis, ſolet contingere. Narrat Venturas Minardus Atheſtinus in libro de Balneis Calderij, Moniales Aveſæ in Patavina Dięceſi, primùm tota veſte candidas fuiſſe, mox nigrum cucullum induere coactas. Simili fato Moniales pariter noſtræ B. Antonij Peregrini Patavij florentes, album amictum nunc temporis depoſuiſſe noſcuntur, et cum nigris tunicis commutaſſe. Sed et Monaſterium Roſani ad pontem Sevis prope Florentiam Camaldulenſium juris anteà fuerat, et Cænobio Monialium Prati Veteris ſubiectum, cujus Abbatiſſæ viſitationem olim ſuſcipiebat (quemadmodùm et illud S. Benedicti Aretij) ex Hiſt. Camald. lib. 2. cap. 9. nunc ſub Diæceſani juriſdictione viget, ac Moniales ex albis nigræ factæ illud incolunt, nullo Viſionis

ſionis Scalæ reſpectu habito. Moniales pariter S. Nicolai Florentiæ pridem albæ fuerant, ut nedum ex vetuſtis picturis, ſed ex earum antiquis libris ſat conſtat; nunc verò nigram cucullam induunt, Confeſſarij arbitrio, et nutu, candidarum veſtium ſollicitudinem, citra ullum ſcrupulum deponere quondam edoctæ; Sic et Moniales Cænobij Geniſtę apud Montem Varchij Camaldulenſium juri dudum ſubditæ, quibus ex noſtro Buldronenſi Virginum Parthenone Abbatiſſæ deſtinabantur (Hiſtor. Camald. part. 1. lib. 2. cap. 21.) candidum quidem habitũ tyrocinij tempore obſervãt, ſed nigris deinceps veſtibus poſt profeſſionem utuntur. Omitto Moniales S. Annæ Piſarum, quas dudum ſub cura Abbatis noſtri S. Sabini floruiſſe conſtat, tum ex vetuſtis illarum monumentis, tum ex vita B. Mariæ Monialis apud ipſas [tunc Pugnani extrà urbem ad Cænobium D. Pauli habitantes] Recluſæ, quam Domnus Marinus S. Sabini Monachus, et Monaſterij Confeſſarius, Monaſtica tunica, cuculla, cilicio, ac velo inter Miſſarum ſolemnia indutam, Cellæ priùs benedictæ incluſit, atque Eremiticam vitam agere permiſit: quæ tamen Moniales de priſtino veſtium candore ſolã tunicam retinuerunt, Scapulare, et Cucullam nigram aſſumentes, qua nunc, ſub Ordinarij jure conſtitutæ, uti conſueverunt; atque ita de ſexcentis alijs. Quod ſi id in ſequiori ſexu, qui priſtinæ tamen conſuetudinis tenacior eſſe ſolet, adeò frequenter eſt uſurpatum, an non de Monachis idem paſſim eveniſſe par fuerit ut ſuſpicemur? Profectò ad litteram intelligi mihi poſſe

Digitized by Google

videntur hoc in propoſito verba illa S. Benedicti apud Divinum Etruſcorum Poetam Dantem in Paradiſo Cant. 22.

E ſe guardi al principio di ciaſcuno,
Poſcia riguardi là, dove è traſcorſo,
Tu vederai DEL BIANCO FATTO BRUNO.

XIV. Ne verò ſuſpicari quis poſſit, proprij habitus affectum hos à me ſenſus contra veritatem extorſiſſe, Doctiſſimos Viros Mabillonium, et Martene, Clariſſima Litterariæ Reipublicæ, ac Monaſtici Ordinis Lumina, audiamus, qui licet nigrum habitum in Congregatione Gallica S. Mauri ſuſceperint, ſuiſque egregijs Operibus illuſtrarint, pro antiqua tamen *Albi* monaſtici Schemmatis traditione liberè, ac conſtantiſſimè ſtare non dubitarunt. Videatur Martene quidem in Comment. ad cap. 55. Regulæ S. Benedicti, Mabillonius verò in Præfatione ad Sæculum V. Benedictinum pag. 40. ubi multis coacervatis, quæ vulgò afferri ſolent, pro nigro colore, rationibus, et auctoritatibus, tandem uterque Scriptor *Album colorem* magis antiquis Monachis in uſu fuiſſe concludit; Quod et ratio ipſa convincit, et antiquæ picturæ demonſtrant, et veterum confirmat auctoritas.

XV. Ratio quidem, quia, ut citato loco Mabillonius obſervat, tunica tunc temporis cuti adhærebat, ut varijs teſtimonijs probari poteſt, laneæ enim interulę pręter Regulæ authoritatem poſteà invectæ ſunt, undè Petrus Cluniacenſis lib. 1. Epiſt. 28. Ciſtercienſes redarguit, dicens: *Simplici flocco, et cuculla contenti eſſe*

non vultis, et ultra Regulæ metas, quæ nihil de his loquitur, multiplices, et quotquotlibet tunicas induitis, et eas abſque aliqua diſcretione defertis. Hanc ergo tunicam (quæ talaris, et domeſtica veſtis erat, licet cuti adhærens, atque cucullæ immediatè ſubjecta) quia ſæpiùs lavari ad munditiem Monachorum propriam decebat, candida potius, quàm nigra lana compoſitam dicere neceſſe eſt; nam, ut ait Haeſtenus diſquiſ. Monaſt. lib. 5. tract. 8. diſquiſ. 1. *niger, vel alius quicunque tinctus color, abluendo, dilutior fit, et in alium ſenſim faceſſit.* Alba igitur antiquitus fuit Monachorum *tunica:* imò et *cuculla;* De utroque enim hoc veſtimenti genere S. P. Benedictus expreſsè aſſerit, lavari ſubinde oportere: *Sufficit*, inquit Regula cap. 55. *Monacho duas tunicas, et duas Cucullas habere propter noctes, et propter lavare ipſas res;* Quid autem lotione opus eſſet, ac crebra mutatione, ſi nigræ paſsim fuiſſent Monachorum cucullæ pariter, ac tunicę? an rudi ejus temporis Solitariorum cultui conveniſſet, fuſcas veſtes aqua ſubigere, ut molliores fortaſſis evaderent, atque ad rugas, et plicaturas concinnè ſuſcipiendas diſponerentur?

XVI. Accedit, quòd genuina illius Regulæ textus (*de quarum rerum omnium colore non cauſentur Monachi*) interpretatio ea ſemper habita fuit, *ut nullum lanæ colorem ex induſtria ſuperinducerent;* unde in id, quod decernit Clemens V. in Concil. Viennen. relato in Clementina *Ne in agro* de ſtatu Monachorum, videlicet: *Statuimus, ut ſuperior veſtis ipſorum habitui proxima, nigri aut albi coloris exiſtat,* Gloſſa ibi, verbo *Coloris* ita explicat;

 quia,

quia, inquit, *iſti colores ſine tinctura ex lana poſſunt haberi, et ideò potius approbati*. Quod ipſum fuiſſe Monachis antiquiſſimum oſtendit Beda in vita S. Cuthberti Benedictini apud Surium 20. Martij, ubi cap. 16. dicitur: *Uſque hodie in eodem Monaſterio, exemplo eius, obſervatur, ne quis varij coloris habeat indumentum, ſed ea maximè veſtium ſpecie ſint contenti, quam naturalis ovium lana miniſtrat*. Idem cavetur in Regula Tartanenſi: *Veſtes ſimplici erũt, et nativo colore procurandæ*; unde Gaufredus in vita Bernardi Abbatis Tirolenſis, de ejus Monachis loquens, num. 17. ait: *Habitum quidem Monachi habentes, ſed vilem, incultum, villoſum, ovibus ipſis, à quibus ſumptus fuerat, valdè conſimilem*. Porrò *nativus ovium color*, inquit Martene, *eſt communiter albus*, adeòut ne centeſima quidem ejuſmodi gregum pars nigra obſervetur; paſſim igitur candida fuit antiquorum Monachorum veſtis, rariſsimè autem nigra eſſe poterat, ſi nullo tingi colore, ex Regulæ præſcripto, lanæ debuerant.

XVII. Ex Picturis rurſus eadem veritas elici poteſt, quas huic ſententiæ plerumque favere in vetuſtiſsimis Bibliothecarum libris manuſcriptis, minioque eleganter ornatis deprehendere licet, non in noſtris dumtaxat, ſed in ijs etiam Monaſterijs, quæ nigrorum hodie Monachorum ſunt domicilia. *Tunica*, inquit Mabillonius loco ſupra laudato, *albi paſſim coloris erat ante annos octingentos, ut in varijs Rabani, et aliorum Iconibus obſervavimus, atque etiam in Rituali Ananienſi*, cuius verba apud Martene, de antiquis Monachorum Ritibus lib. 5. cap. 2. num. 4. hæc ſunt: *Quo induto veſtibus albis*

per

per totum, præter Cucullam; Loquitur autem de Novitijs ad habitum Monaſticum admittendis. Sed et antiquus ille Vaticanæ Bibliothecæ codex, in quo [ut notat etiam Conſtantinus Cajetanus in lib. de Monachatu S Gregorij, loquens de Codice Dialogorum S. Gregorij Papæ, et Victoris III.] quàm plurimæ Abbatum, et Monachorum *Tunicam album* deferentiũ effigies exprimuntur, idipſum ſuadet; itemque Codex alter Chronicorum S. Vincentij de Vulturno in Barberina Bibliotheca ſervatus, Monachum præfert *Tunica alba* expreſſum; quod et ſexcentis poſſet alijs exemplis ſimilibus confirmari.

XVIII. Denique infinita propemodum Scriptorum vetuſtiſſimorum teſtimonia hâc albi Monaſtici Schemmatis antiquitatem indubiam faciunt; nam vel ipſas Monachorum primitias, poſt Apoſtolos, albo indumento inceſſiſſe, ex Joſepho, Porphirio, et alijs tradit Lezana Tom. 1. Annal. Carm. ad annum Mundi 3545. num. 29. et Tom. 2. Appar. cap. 3. num. 17, Album fuiſſe magni Antonij habitum probat Bollandus 17. Januarij ex ejus vita cap. 23. ubi *candente præcinctus tunica ſuo Judicem provocaſſe dicitur aſpectu*; Jam ex Palladio vidimus ſupra num. 9. S. Pachomij Regulam ſingulis Monachis indicere *Caprinam pellem confectam albam*. S. Joannes Chriſoſtomus hom. 70. in Math. de Monachis loquens ait: *Cur ad illos Angelos non gradiemur, cur non candidas veſtes ſumamus?* S. Patritius apud Jocelinum in ejus Vita cap. 185. in Hibernia *Cuculla candida amiciebatur*. S. Apollonij Diſcipuli numero

mero quingenti, *tota veſte candidati erant* apud Palladium Hiſtor. Lauſiacæ cap. 52. Item Monachi illi, et Martyres, quos S. Eulogius in Memoriali SS. lib. 3. cap. 10. commemorat, *albicantis coloris veſtibus induebantur*. Vita quoque S. Columbæ Abbatis Hyenſis à Cummeneo deſcripta num. 26. idem tradit, dicens: *Candidam Tunicam B. Viri, qua in hora exitus ſui indutus erat, in aere levaverunt*. Mackalle Epiſcopus, utì auctor eſt Cogitoſus in Vita S. Brigidæ Virginis num. 5. *Pallium album, et veſtem candidam ſuper ipſius venerabile caput impoſuit*. Cæſarius Monachus Arelatenſis in Regul. ad Virgines num. 42. et alibi earum indumenta nulla tinctura, *niſi laija, et lactina* infecta denunciat; Aurelianus etiam in Regula Monachorum cap. 26. *Veſtimenta*, ait, *alio colore non induatis, niſi laija, lactina &c.* Idipſum Regula S. Donati, Tartanenſis, et aliæ commendant. Vulfinus Boetius in Vita S. Juniani, qui eodem cum S. Mauro floruit ſæculo, num. 7. ait *Veſtis eius cilicina de caprarum pilis, quæ in modum eſt Caracallæ, quam nunc Cappam vocamus, uſque hodie apud nos perſeverat, ut nihil vetuſtatis redoleat, candido colore perfuſa*. Argeſiſus etiam in Conſtitutione de victu, et veſtitu Monachorum Fontanellenſium, *ad Saccos XV. comparandum Griſeos ſiccifcos aſſignat, unde cappæ* [ideſt cucullæ] *fiant*; Griſeum autem antiquum colorem, magis ad album, quàm ad nigrum accedere ait laudatus Martene, quod et confirmat Didacus Francus occaſione Griſei Vallumbroſanorum veterum coloris, quem albedini Camaldulenſium analogum fuiſſe ſtatuit in Hiſt. S. Joannis Gualberti

pag.

Digitized by Google

pag. 188. Quemadmodùm et noſter Lucas Hiſpanus Hiſtor. Romuald. lib. 5. cap. 1. album Coronenſium Eremitarum pallium *Griſeum Palliolum* vocat, et lib. 3. cap. 5. Paulum Juſtinianum noſtrum *birrea, vulgò griſea, rudi videlicet, birſutaque tunica ad carnes ſine tunicello indutum demonſtrat:* undè confirmes quæ de *albeſcenti birro*, diſcipulorum S. Romualdi [ante Camalduli ædificationem] in Eremo Perei converſantium, diximus ſupra num. 9.

XIX. Neque eſt quod opponas cum eodem erudito Viro, quem num. 6. citavi, tam certum eſſe, Monachorum indumenta primitùs nigra fuiſſe, ut ipſiſſmet Concilijs *Nigrorum Monachorum* appellatio ſit conſecrata: quippe in *Conſtituto*, ſeu Decreto Lateranenſis Concilij ſub Gregorio I. titulum hunc præferri aſſerebat: *Decretum Concilij Lateranenſis, in quo tractatur de quiete, libertate, et exemptionem Monachorum nigrorum*. Nã, ut quondam illi reſpondi, ſic iterum inpræſens aſſero, Titulum ejuſmodi Monachorum nigrorum longè recentius eſſe ætate Romualdi, nedum ætate Gregorij; et ſanè in Labbeana Conciliorum editione hæc inſcriptio nullatenus legitur ad Monachos nigros contracta, ſed habetur dumtaxat in editione Colonienſi, vel alijs fortaſſe, quas Monachi nigri curandas ſuſceperunt, atque ex præoccupatione, quòd ſoli Nigri Monachi tempore Gregorij Magni regnarent, illud epitheton adiunxere; cùm tamen in toto illo *Conſtituto* generatim de Monachis, et Abbatibus loquatur Gregorius Papa, nulla reſtrictione addita, ſive ad albos, ſivè ad nigros; quod

indicio

Digitized by Google

indicio eſt, nequidem in titulo colorum diſcretionem feciſſe, undè et Cardinalis Baronius, qui primus è Vaticana Bibliotheca Decretum illud extraxit, et ad annũ 601. ſuis Annalibus Eccleſiaſticis inſeruit, nullum ejuſmodi titulum profert, ſed tanquam de Monachis absolutè intelligendum proponit. Prӕterquàmquòd, etiamſi titulus ille: *De exemptione Monachorum nigrorum*, huic Decreto appoſitus reipsà legeretur, hoc potiùs indicaret non omnes paſſim Monachos tunc temporis nigros fuiſſe, ſed aliquos etiam tunc albos, ad quorum diſtinctionem *Monachi nigri* appellarentur; Quemadmodùm enim nemo dixerit, *Jeſuitarum nigrorum* Inſtitutum approbatum eſſe à Concilio Tridentino, quum nulli, niſi nigri Jeſuitӕ exiſtant, ita etiam non dediſſet Gregorius exemptionis, et libertatis privilegium *Monachis nigris*, ſi tales omnes Monachi fuiſſent, nullis colorem album ſervantibus.

XX. Erant ergo et tunc temporis qui albis tunicis induerentur; nec mihi propoſitum eſt veteres omnes Monachos dealbare: pleroſque dixi candidos fuiſſe, non quoslibet, utì non omnes oves candidas eſſe fateor, ſed ut plurimùm tales eſſe contendo, cùm tamen nigrӕ non deſint, à quibus ſuum habitum illi deſumpſerint, qui nigro amictu induti Cӕnobitӕ incedebant, quos dumtaxat deſignant authoritates, quӕ pro vetuſtate nigri coloris adduci ſolent, non alios albos excludunt; Nam neque omnes D. Romualdi Diſcipuli, nec ipſe ſemper S. P. Romualdus albis indutus fortaſſe inceſſit, cùm Vallecaſtrenſes Monachi, etiam poſt Scalӕ myſterium

rium nigrum habitum ſervaverint, et in eo, ut quidam coniiciunt, S. Patrem noſtrum ſepelierint, qua de re Fortunius p. 2. l. 1. c. 23. ſic ſcribit: *Sunt qui monumentis mandaverint, Sanctum Patrem Romualdum in habitu nigro, quem in Cænobio Claſſis induerat ab exordio converſionis, defunctum eſſe vita, in eoque ſepultum. Quę quidem res, licet poſſibilis, admirationem movet, cùm veriſimile eſſe videatur* (en tota mutationis habitus certitudo ad meram veriſimilitudinem, ab ejus præcipuo Authore manſuetiùs ſcribente deducta) *illum propter viſionem Scalæ, in inſtitutione Sacræ noſtræ Camaldulenſis Eremi in habitu albo, ex tunc albis veſtimentis uti cæpiſſe: et talis forſitan etiam fuit ſua pellicia veſtis, ex qua Theutonici Stipatores corporis Imperatoris villos decerpſere, ut prædictum eſt. Quod iſti argumentum hoc ſumant ex nigro quodam cucullo, quod ad eorum uſque tempora ad Cænobium Vallis caſtri, Religionis cauſa, fuerat aſſervatum, equidem id factum crediderim, vel quia Diſcipuli, qui habitum nigrum non mutaverant, in ſuo ipſorum habitu Magiſtrum ſepelire maluerint, vel quia S. P. Romualdus aliqua nigra mutatoria veſtimenta quondam ibi reliquiſſet, ante conſtructionem Sacræ Eremi*; Itaque nihil repugnat, indifferentem fuiſſe eo tempore Monachorum colorem, dummodò nativus eſſet, adeòque albus, aut niger, ſæpius tamen album, qui, ut communior, potuit à noſtris conſervari, reliquis majorem uniformitatem, et lavandi compendium ſectantibus, nigrum colorem deinceps præferentibus, ipſiuſmet lanæ ex albis ovibus reſectæ tincturam procurando; Verùm pudet longum contentionis funem ulteriùs circa noſtri candoris origi-

nem protrahere. Audiatur Petrus Bleſenſis Ep. 97. ad quendam Abbatem. *Chriſtus*, inquit, *diviſus non eſt; ſive in alba, ſive in pulla veſte, in omni profeſſione, et ordine, in omni gente, quicunque operatur voluntatem Domini, acceptus eſt illi: inter album, et nigrum habitum non diſtinguit ille, apud quem non eſt diſtinctio Judæi, et Græci: attendit Dominus mentem, non cutem, merita, non colorem. In Monte Caſſino ſchemma Monaſticum, quo B. Benedictus eſt uſus, uſque hodie, ſicut dicitur, perſeverat. Quis audeat tanti Patris habitum blaſphemare in filijs? nam ſi Delibatio ſancta, et Maſſa; ſi Radix ſancta, et Rami. Sive cum Nazaręis candidior nive ſit aliquis, ſive cum B. Job ſuper carbonem denigrata ſit cutis ejus, uterque ſalutem in domo Domini operatur; Sanè in ovili Jacob ſunt agni albi, et nigri. In vinea Sorec ſunt uvę albæ, et nigræ; ſed et Sponſa, quę lilijs convallium præalbeſcit, ipſa eadem dicit: Nigra ſum, ſed formoſa. Apud Sponſam Chriſti non eſt abſurda varietas, cùm ipſa circumamicta varietatibus deſcribatur. Ipſa varietas uniformitatis cauſa eſt; nam in cithara ex diverſitate chordarum fit uniformis modulatio ad concentum.* Hactenus Bleſenſis, cum quo de colore ſatis.

CAPUT VIII.

Reliquæ Obiectiones diſcuſſæ: ubi et de Breviarij auctoritate, ac de Negativi Argumenti robore diſſeritur.

SYNOPSIS.

Breviarij verba ſententiam Fortunij præſupponere contendunt Adverſarij. 1. *Diſſertationis Primæ doctrinam non tangere; nec mutationi habitus favere.* 2. *Camalduli factam Scalę Viſionem ibidem non tradi, ſed aliam fortè, quæ apud Sitriam contigiſſe dicitur.* 3. *Non quaſi indubiam, ſed ut probabilem, Viſionem illam potuiſſe in Breviario relinqui.* 4. *Gradus auctoritatis eorum, quæ inibi continentur.* 5. *Sæpius reformatas fuiſſe ejus lectiones.* 6. *Negativi argumenti obiecta ineſſicacia.* 7. *Sanctorum gloriæ præiudicare confictas narrationes.* ibid. *Negativi argumenti ad dialecticam formam reductio.* 8. *Ad negativas Theſes probandas plurimùm valere, ratione, et exemplo ſuadetur.* 9. *Inepta contrariæ aſſertionis poſitiva probatio.* ibid. *Noſtra argumenta poſitivis æquivalere.* 10. *Alia inſtantia refellitur ex ſanguineo Chriſti ſudore.* 11. *Facta Chriſti ab omnibus Evangeliſtis prætermiſſa, apocrypha cenſenda.* ibi *Silentium Rodulphi in noſtro propoſito non merè negativum eſſe.* ibi. *Diſcrimen cauſæ noſtræ à Translatione Lauretanæ Domus.* 12. *Cella Sacræ Eremi non Viſione Romualdi, ſed Mira-*

culo ſagi celebranda. 13. *Oppoſitam ſententiam à nobis in ſuo probabilitatis gradu relictam, noſtris documentis illuſtrandam*. 14. *Depulſa livoris in Fortunium calumnia*. ibid.

I. CÆteris nunc oppoſitionibus occurramus. In his non minimi facienda videtur, quam ex S. P. Romualdi lectionibus, Monaſtico, ac Romano Breviario, Clementis VIII. juſſu, ad diem 7. Februarij inſertis, deducere poſſunt, ubi legitur: *Scalam à terra Cœlum pertingentem, in ſimilitudinem Jacob Patriarchæ, per quam homines in veſte candida aſcendebant, et deſcendebant, per viſum conſpexit, eoque Camaldulenſes Monachos, quorum inſtituti auctor fuit, deſignari mirabiliter agnovit*. Quibus verbis ita conſecratam putant, quò ad omnes ſui partes, Fortunij ſententiam de Scalæ Viſione Camalduli habita, ut etiam, contra Primam Diſſertationem noſtram, Ordinis initia non ante Viſionem hanc à Romualdo poſita hìc putent definiri, et quàm mitiſſimè agentes, imminentem ſaltem temeritatis notam, de Fortunij hypotheſi dubitantibus comminentur.

II. At in primis hìc obſervandum occurrit, Primæ Diſſertationis doctrinam his verbis nullatenus impeti; tũ quia, tametſi dicatur, alicubi Romualdus Scalam vidiſſe, per quam homines albis induti conſcenderent, atq; eo Camaldulẽſes Monachos, quorũ inſtituti auctor fuit, deſignari intellexiſſe, nõ tamen aſſeritur, occaſione ejuſdẽ Viſionis Monachos Camaldulenſes tunc primùm, potiùs quàm anteà, inſtitutos ſub ea ſpecie ſibi propoſitos

reco

recognoviſſe; Neque enim ibi legitur, *quos ſtatim inſtituit*, aut *quorum inſtituti auctor futurus erat*, ſive, *quibus inſtituendis tunc primùm incubuit*, aliave ſimili phraſi, rem nondum factam exprimente, hoc deſcribitur, ſed abſoluta præteriti temporis ſignificatione, *quorum inſtituti auctor fuit*; Unde mirari ſubit, cur eruditus Auctor Libri, omnium Religioſorum habitus, et origines exhibentis, verba illa Italicè interpretari voluerit: *per tal viſione ſi perſuaſe eſſere preconizati i Monaci, de' quali poi fù Autore*; particulam enim *poſtea*, vel *deinde*, aut æquipollentem, in latinis verbis non video; Tum etiam quia dici poteſt, Camaldulenſe nomen in citatis Breviarij verbis ſtrictiùs accipi in ſpeciali ſignificatione, juxtà duplicem hujus vocabuli acceptionem, quam Diſſert. I. cap. 2. num. 21. diſtinximus; Quo ſenſu dumtaxat veram expoſitionem verba illa, cum additamento particulæ *deinde*, à laudato Auctore ſubintellectæ, accepta, poſſunt aſſumere. Itaque non eſt quo ſibi de Fortunij ſententiæ approbatione hac ex parte Adverſarij blandiantur; eòque minùs quidpiam hic declaratũ reperire poſſunt pro Nigri habitus mutatione in Album prætenſa, in qua Fortunius totum Viſionis myſterium, ſuæque cauſæ præſidium collocat. Niſi porrò hæc duo, Inſtitutio videlicet univerſi Ordinis Camalduli facta, et Mutatio habitus ſubſiſtant, nec locus ullus eſt ad Fortunij ſententiam contra me vindicandam, licèt in refutanda Scalæ Viſione (quam ab initio faſſus ſum ita in dubium à me revocandam, ut oppoſitæ tamen ſententiæ ſuam qualemcunque probabilitatem relin-

quam)

quam) Breviarij authoritate oppreſſus fortaſſe deficerem: quomodo, gloriari ſaltem poſſem ejus falſæ hypotheſeos machinam, quæ duo illa potiſſima complectebatur, ſolo tenus æquaſſe, etſi fundamentis ipſis, quibus ſuperſtructa erat (Viſione videlicet Scalæ Romualdinæ) ſuccutiendis dumtaxat, non penitus evertendis, vires ingenij reſponderint.

III. Ampliùs tamen animadverto, ne quidem *Camalduli* potiùs, quàm *alibi* exhibitam Romualdo hanc Scalæ Viſionem in prælaudatis Lectionibus affirmari; atque adeò dum inficior, apud Camaldulum Romualdo Scalam apparuiſſe, quam eo loci ſoli Maldulo per viſum obiectam ex antiquis auctoribus demonſtravi, non eſt cur me Breviarij authoritatem impetere criminentur, cùm non negem ſimile quidpiam *alibi* Romualdo contingere potuiſſe; mihique abundè ſufficiat, non ſubſiſtere Viſionem, quæ *Camalduli* Romualdo exhibita dicitur, tamquam totius Ordinis tunc inſtituendi præludium, neque ullam habitus mutationem ejus occaſione inductam. Profectò ſi vel Philippum Ferrarium de Sanctis Italiæ audias, vel Gabrielis Bucellini Menologium Benedictinum conſulas, deprehendere erit, hanc Scalæ Viſionem Romualdo *apud Sitriam verſanti* attributam, prout ibidem altera Viſio contigit, ex cap. vitæ 51. de anima S. Patris inſtar nivis candida ante Deum delata, quam Fortunius part. 1. lib. 1. cap. 25. eandem fuiſſe cum Scalæ Viſione aſſeverat, adeòut utraque ſpecies, eodem tempore, et loco, ſe D. Romualdo exhibuerit. En Bucellini verba.

lo-

loco cit. ad diem 7. Februarij, *Inſtituit: immortali cum merito, Sanctiſſimum Camaldulenſium noſtrorum inſtitutum, quod ipſi mirabiliter præſignatum fuit, dum in Sitriæ monte apud Fabrianum commoranti Scala inde ad Cœlos uſque pertingens ipſi viſa eſt, per quam homines candida veſte aſcendentes, atque deſcendentes conſpexit*. Ut ergo Bucellinus, et ante ipſum Ferrarius, læſæ Eccleſiaſticæ authoritatis non arguuntur, dum Scalæ Viſionem apud Sitriam, non autem Camalduli, eveniſſe contendunt, quando Viſionis ejuſmodi locum Breviarij verba non explicant, ita mihi vitio vertendum non eſt, ſi eandem Scalæ Viſionem Camalduli contigiſſe negem, quamvis an in Sitria, vel in Gallia ſub Ordinis initium, aut alibi, Romualdo ſimilis apparitio contigerit, utpotè de re mihi penitus incomperta, ſtatuere nihil auſim, neque hìc diſquirere vacet. Quæ reſponſio, tum picturis, tum communi etiam perſuaſioni poſſet fortaſſe applicari.

IV. Ad hæc: etſi de Camaldulenſi Viſione Scalæ, quam Romualdo tribuunt, Breviarij verba forent intelligenda, nihil propterea vetaret, illam ut merè *probabilem* habere (quod toties profeſſus ſum) atque oppoſitę interim ſententiæ rationes, ſalva tantę auctoritatis reverentia, proponere; monet quippe Bartholomęus Gavantus, Comment. in Rubr. Brev. Sect. 5. cap. 12. de Lectionibus num. 6. Correctioni Breviarij pręfectos Baronium, ac Bellarminum multa ejuſmodi merè probabilia in lectionibus reliquiſſe: *Qua in re*, inquit, *perdifficile viſum eſt illis ad Hiſtoriæ veritatem bona fide reſtituere Sanctorum lectiones, idque minima, qua fieri potuit muta-*

mutatione: imò quæ controverſa erant, alicujus tamen gravis authoris teſtimonio ſuffulta, aliquam haberent probabilitatem, retenta ſunt eo modo, quo erant. Potuerunt ergo ijdem Viri Prudentiſſimi, propoſitam clauſulam, (à Fortunio veroſimiliter intruſam, quippe in Lectionibus, quibus ad eam diem tum noſtri, tum Vallis Umbroſę Monachi utebantur, nullum Scalę veſtigium apparet, ut in vetuſtiſſimis tam Mſſ. quàm impreſſis utriuſque Ordinis Breviarijs patet) intactam relinquere, inter tot alias Hiſtorias, de quibus ingentes controverſię apud Eruditos nihilominus agitantur: quemadmodùm in his ipſis S. Romualdi lectionibus longęvam ejus ętatem centumviginti annorum expreſſam ſinere non dubitarunt, quam tamen innumeris difficultatibus obnoxiam ſciebant, de quibus in Diſſert. II. actum eſt, quia nimirum apertiſſima Petri Damiani auctoritate probabilis reddebatur; Cur enim pariter non deferrent Viri humaniſſimi auctoritati Pauli Juſtiniani, Mugnotij, Ractij, Fortunij, ac Lucę Hiſpani, à quibus illa Viſio Romualdo tribuitur? prę ſertim cùm illam ex ſcriptis B. Rodulphi elicere ſe faterentur, eorumque fides in dubium vocanda non eſſet, nec revinci facilè poſſet, dum ipſamet Rodulphi ſcripta Romę non extarent, quę meliùs expenſa, Maldulo, non Romualdo, Viſionem illam contigiſſe demonſtrarent, calculum fortaſſe revocaturi, ſi è re exiſtimaſſent qualiſcunque hujus traditionis originem ad examen vocare, ipſiſmet Authographis diligenter inſpectis; At cùm nemo tunc in oppoſitum mutiret, omnes rem planè indubiam ſuppone-

pone-

Digitized by Google

ponerent, nulla vel levis ſuſpicio oborta eſt, quę accuratius examen poſtularet.

V. Cęterùm hoc loco fortaſſe iuvabit, ad ſimpliciorum cautelam, adnotare quod ſeriam omnium animadverſionem mereri videtur, nequa in hoc, et ſimilibus propoſitis, errandi prębeatur occaſio: Nimirum in triplici differentia eſſe quę in Eccleſiaſticis Officiis proponuntur; alia quippe è ſacrarum ſcripturarum libris deprompta ſunt: atque hęc omnimodam exigunt divinę authoritatis fidem, cui falſum ſubeſſe nequit, quęque omnem dubitationis umbram excludit; alia ex homilijs, et ſermonibus Sanctorum Patrum aſſumuntur, quibus tanquam Eccleſię Magiſtris, ac Fidelium Doctoribus à Divina Providentia deputatis, par eſt Catholicos omnem reverentiam exhibere; multò inferiorem tamen ipſorum ſententijs, quàm ipſimet Divino Verbo in Canonicis codicibus ſcripto, debemus obſervantiam: nam ut ait Hieronymus Epiſt. ad Creſipontem: *Aliter habendi ſunt Apoſtoli, aliter reliqui tractatores: illos ſemper verum dicere, iſtos in quibusdam, ut homines, errare contingit*. Unde Eruditiſſimus Canarienſium Epiſcopus Melchior Cano de loc. Theol. lib. 7. cap. 3. ait: *Cùm Sanctorum quiſque, his duntaxat exceptis, qui libros canonicos ediderunt, ſpiritu fuerit humano locutus, et aliquando vel in eo erravit, quod ad fidem ſpectare poſteà demonſtratum eſt, apertè conſtat, ex hujuſmodi authoritate exploratam fidem haberi non poſſe*. Alia demùm è Sanctorũ vitis, et hiſtorijs in Breviaria derivantur, quę perſeſe humanam dumtaxat exigere fidem poſſunt: ita quidē,

 ut

ut quandiù gravis momenti ratio contrarium non ſuadet, omnis obſequij ſignificatione ſint excipienda, ijſque ſine fundamento repugnare, temeritatis notæ ſit obnoxium, cum fundamento verò non item; De hujuſmodi enim Hiſtorijs inquit Gelaſius Papa in Cō-cil. Rom. *Sed cùm hæc ad catholicorum manus pervenerint, B. Pauli Apoſtoli præcedat ſententia: Omnia probate, quod bonum eſt tenete;* Quod et ſæpe in ſimilibus notat Card. Baronius, ut tom. 10. in Append. ad annum 302. ubi ait: *Romana Eccleſia non ſicut Evangelium legere conſuevit Sanctorum Acta, ſed liquit libranda Apoſtolica lance: omnia probate, quod bonum eſt tenete*; Unde à prælaudato Cano loc. cit. lib. 11. cap. 5. dictum fuit: *Nec enim Hiſtorias omnes tueri eſt animus, quæ paſſim in Eccleſia lectitantur*, et infrà: *in maximo illi errore verſantur, qui rerum geſtarum memorias, tamquam Eccleſiæ oracula accipiunt, ſi eas in Epiſtolis, et decretis ſuis* [adde et lectionibus à Sacra Congr. Rit. approbatis] *Pontifices aliquando uſurparint*.

VI. Quod ſiquis adeò imprudens ſit, ut (confuſis credendi regulis) eam Romanæ Eccleſiæ calumniam imponat, quaſi nimirum illa in ejuſmodi ſingularibus factis, à nulla revelatione pendentibus, et cum nulla dogmatum catholicorum controverſia connexis, divinam ſibi arroget authoritatem: animadvertat velim, ab hac ſe labe ipſammet Romanam Eccleſiam perſæpe purgare, dum toties in Breviariorum reformatione Hiſtorias pridem propoſitas, qua parte vel fabuloſas, vel maximè dubias, novis emergentibus argumentis, deprehendit, vel ex integro abradi, vel opportunè immuta-

mutari juſſit, quod et impoſterum fortaſſe factura erit, ſiquidem expedire judicaverit; Hæc enim, quæ ab humanæ diligentiæ diſcuſſione pendeat, vix primorum conatuum accurata quamvis induſtria, numeris omnibus abſoluta evadere, primoque ſtatim ab examine ſupremam manum accipere poſſunt. Quod domeſticis alijs exemplis confirmari poteſt, ut in ſecunda Lectionum Menſis Septembris pro officio S. Romualdi in Feria tertia, Ingelbertum Romam euntem per Spiritum vidiſſe Romualdus aſſeritur, quod Damianus cap. 56. de alio Diſcipulo narrat, ut patet ex ejus capitis titulo utrumque diſtinguente, nimirum: *De Diſcipulo, quem Romam euntem per ſpiritum cognovit; et de illo (nempe Ingelberto) qui ſibi derogans recluſorium fregit*; et in ultima periodo Lectionis ſecundæ pro S. Dominico Loricato die 17. Octobris, huic Sancto tribuitur quod Damianus lib. 1. Epiſt. 19. Dominici ejuſdem vitam complectente, de B. Michaele Polenſi, non de ipſo Dominico apertè narraverat: cùm tamen hæ lectiones à S. R. C. probatæ ſint 7. Decembris 1680., ut illæ 18. Maij 1671. Quæ ſanè vitio eorum, qui lectiones hujuſmodi compilarunt, contigiſſe fatemur, non Eminentiſſimorum PP. defectu, quorum vigilantiam illorum indiligentia ſua expectatione fraudavit.

VII. Aliud æquè invidioſum objectionis genus nobis paſſim proponitur, quod tamen ſupra ſub initium Capitum 2. et 3. aliqua ex parte præoccupavimus: ſed moleſtis, inficetiſque detractoribus numquam ſatis. Nempe negativis dumtaxat argumentis, Hæreticorum

more, ſacras Traditiones me impetere criminantur: quo quidem verborum ſtrepitu, et clamore, nihil eſt apud imperitæ plebis aures conflandæ adversùs doctrinam meam invidiæ magis idoneum, ſed nihil etiam labefactandæ apud eruditorum animos ſententiæ meæ minùs accomodatum; ignorari quippe à nemine poteſt, nullas hìc vel Divinas, vel Apoſtolicas, vel Eccleſiaſticas Traditiones in diſcrimen venire, ſed popularem dumtaxat perſuaſionem, neque illam admodùm antiquam, quæque nonniſi per abuſum Traditio appelletur, cujuſmodi innumeræ altiſſimas in vulgi animis radices fixere, licèt falſitatis omninò manifeſtæ convincantur, qualisque eſt apud finitimos Sitriæ populos de Carcere D. Romualdi, in quo per vim à Diſcipulis detentus ſit, quem tamen voluntarium reclusionis ſeceſſum fuiſſe ex Petro Damiano cap. 52. ſatis conſtat; et ſine piaculo ejuſmodi traditiones refelli poſſe, ac debere à veritatis amantibus, miror ab ullo ſanæ mentis viro in dubium vocari, vel eo prætextu, quòd commenta illa in ſpeciem pietatis compoſita ſint, aut quòd nihil referre quis arbitretur, explodanturne, an diſſimulentur, aut quòd Virorum Sanctorum gloriæ præjudicari poſſe ejuſmodi refutatione vereantur: *Quaſi verò* (inquit lib. 11. cit. cap. 5. Eruditiſſimus Melchior Cano) *Sancti Dei homines noſtris mendacijs egeant, qui tam multa vera pro Chriſto geſſerunt, ut falſa, quantumvis licèt eruditæ ſimulationis artificio compoſita, ut noxia non ſint, quoniam inutilia ſint tamen, tanquam ignavi milites, oneri ſint magis, quàm auxilio*; Quanquàm mihi non innoxia pla-

nè

nè videntur quæcunque veritatem obſcurant, nec inutilia dumtaxat, ſed perniciosa potiùs apparent quæcunque Sanctorum Hiſtorijs commentitiarum fabularum permixtione contaminandis conducunt; Ædificationi autem è contrario eſſe ſcio apud Heterodoxos, quòd Catholici ſe Veritatis amatores ſinceros ubique probent, eòque faciliùs inconcuſſa eſſe quæ amplectimur catholica dogmata ſibi perſuaſum habere poſſunt, quòd videant nos vanis ejuſmodi technis non paſci, ſed nutantia quæque Hiſtoriarum capita, licèt in ſpeciem nobis faventia, virili animo repudiare, atque ſolida tantùm ſectari; quos autem vident coacervandis, amplexandiſque quotlibet popularibus traditionibus, etiam ridiculis, ac fabuloſis, intentos, hos ne ſuis quidem, vel cùm veras traditiones proferunt, dignantur aſpectibus, cùm et in his ab horum Tractatorum levitate ſibi cavendum eſſe ſuſpicentur. *Mendaci enim homini*, ait idem Canus loco cit. capite 6. *ne verum quidem credere ſolemus. Quamobrem qui falſis, atque mendacibus ſcriptis mentes mortalium concitare ad divorum cultum voluere, hi nihil mihi aliud videntur egiſſe, quam ut veris, propter falsa, adimatur fides, et quæ ſeverè ab auctoribus planè veracibus edita ſunt, ea etiam revocentur in dubium.*

VIII. Quòd verò negativis me uti argumentis improbent, ac velut ficulneę clavę [quæ tamen arundinea ſolidior eſſet] ſemper innixum jactent, id à ratione vel maximè abhorret; Neque enim hoc enthimemate utor: *Hic, vel ille Hiſtoricus hoc factum non prodit, ergo factum non eſt*, cujus conſecutionem nullam eſſe

fateor

fateor, ac penitus conſpuendam; ſed quemadmodum prudenter monuit Cardinalis Baronius ſententia illa ſæpe à nobis laudata ex Tom. 1. Annal.num. 12. *Quod à recentiori Auctore de rebus antiquis ſinè alicujus vetuſtioris auctoritate profertur, contemnitur;* ita mihi licet, ejus doctrinæ inſiſtendo, ejuſmodi argumenta afferre, quæ ad ſyllogiſticam formam redacta, hanc ſpeciem induerent: *Si res geſta fuiſſet, ab his, et illis Authoribus tradita eſſet: atqui ab his, et illis tradita non eſt, ergo geſta non fuit.* Vel etiam: *Geſta, de quorum veritate non conſtat, aſſeri non debent: Atqui de veritate Viſionis, Scalæ Romualdinæ, et habitus mutationis non conſtat, ergo hæc ipſa aſſeri non debent.* Minorem probat ſilentium eorum, qui de his rebus tractant, ex quibus prætenſa veritas conſtare deberet. Sivè ampliùs hoc modo: *Si quis aſſerat quod neque ſcit, neque ſcire poteſt, nullam meretur fidem; at Fortunius in aſſertionibus hic controverſis id aſſerit, quod neque ſcit, neque ſcire poteſt, ergo in his nullam meretur fidem.* Minor probatur ſic: *Res à quinque retrò ſæculis, vel eò ampliùs geſtæ, nonniſi ex ejus temporis Scriptorum monumentis innoteſcere poſſunt; ſed ex monumentis ejus temporis nullatenùs innoteſcunt aſſertiones hìc controverſæ, tanto tempore Fortunij ætatem antecedentes, ergo Fortunius id aſſerit, quod neque ſcit, neque ſcire poteſt.* Hæc, et ejusmodi ſunt argumenta noſtra, in quibus non video quid vitij inſit, niſi fortè aliam Dialecticam docere me Adverſarij dignentur.

IX. Suas interim ſibi præclaras Criticæ leges habeant, qui *Negativa argumenta in rebus criticis omnium debiliſſima, nulliuſque ponderis eſſe*, tanquàm è ſolio, pronun-

Digitized by Google

nunciant; nam Canonem hunc, ubi de poſitivis factis evincendis agitur, veriſſimum ſane concedimus (ſic enim ex quo nihil obſtet in antiquis monumētis, quominùs ex. gr. S. Romualdus Piſis aliquando fuerit, non ſequitur vel ibi reipsà fuiſſe, vel id cum aliqua veri ſpecie à quopiam aſſeri poſſe, ceſſantibus poſitivis conjecturis id ſuadentibus) At manifeſtè falſum eſſe contendimus, ſi ad evertendas aliorum aſſertiones, ſive ad negativam Theſim (qualis noſtra eſt) comprobandam referatur: validiſſima enim, ac præcipui roboris tunc eſſe negativa argumenta, nemo, niſi planè ſtuppeus, aut in Hiſtorijs peregrinus ignorat; Quamobrem à præclaris Hiſtoricis paſſim uſurpari ſolent ad figmenta quælibet explodenda: quemadmodum Hieronymus [de Script. Eccleſ. in Luca] *Periodos Theclæ, et totam baptizati Leonis fabulam* ex unius Lucæ ſilentio qui Acta Apoſtolorum deſcripſit, confutat: Imò et à Theologis, ac Sanctis Patribus ad explodendas Hæreticorum novitates efficaciſſimo loco habetur negativa auctoritas, uti ex Gregorio Nazianzeno jam ſupra notavimus cap. 3. ad finem num. 3. Et verò quid magis naturæ conſonum quàm ut poſitiva facta, poſitivè: negativa, negativè probentur? niſi velint eò uſque nugari, ut non modò res, ſed et ipſarum, quas vocant, negationes, poſitivis cauſis, à quibus directè profluant, aſcribere conentur, aut poſitivos iiſdem effectus hinc directè manantes effingere, ut à priori, et poſteriori [quod ajunt] earum qualiſcumque veritas poſitivè evincatur. Ipſorum intereſt idoneis poſitivis

argu-

Digitized by Google

argumentis prætenſam D. Romualdi viſionem, et habitus mutationem aſtruere: affirmanti enim ſemper incumbit ſuæ aſſertionis probatio; mihi utramque neganti ſufficit oſtendiſſe, quòd de utraque nuſquàm conſtet, ſed per quinque ſæcula incognita, et inaudita permanſerit. Expectantne, ut antiquiores Authores producam, qui Romualdi viſionem expreſsè reijciant, illamve nedum Maldulo tribuant, ſed dictionem ſuam excluſivis particulis coarctent: *Maldulus ſolus vidit, Maldulo tantùm, aut præter. Maldulum nemini hæc viſio apparuit?* Idne, inquam, expectant, ut poſitivo argumento adigantur? Atqui oportuiſſet, Rodulphum, Gerardum, Hieronymum, alioſve de Malduli Viſione loquentes, prophetico inſuper ſpiritu actos fuiſſe, quo divinarent illam Romualdo poſt tot ſæcula fore tribuendam, atque opinionem hanc ſibi in anteceſſum refellendam aſſumerent: facta quidem monumentis conſignari ſolent, negationes factorum non item, niſi cùm prævidentur futuri, qui factum præſumant, ijſque propterea providè præcludenda ſit anſa illud conjectandi. Ecquis enimverò in animum induxiſſet, tam lævo Sidere caput aliquod naſciturum, quod ex narratione Viſionis Malduli, Romualdi Viſionem non præſumendam modò, ſed poſitivè ampliùs probandam conſuleret, hoc egregio ſanè argumento: *Viſio facta eſt Maldulo, ergo et Romualdo,* atque illationis probationem [quam ego quidem in omnibus topicis locis fruſtrà quæſiiſſem] hinc ſingulariter deducendam arbitraretur, *quòd plerumque in Regularium Ordinum inſtitutionibus* Eccle-

Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ doceant, Viſionem, ſeu Illuſtrationem aliquam Inſtitutori primùm, deinde Compromotoribus factam, ut in Religione S. Mariæ de Mercede, aliiſque novimus contigiſſe? Nemini ſanè id in mentem venire poterat; cùm et extra rem comparatio hæc inſtituatur, ſiquidem falſum eſt, noſtræ Religionis exordia in Campo Malduli, ejuſque Viſionis occaſione, poſita, ut Diſſert. I. demonſtravimus; et, si vel maximè poſt hujuſcemodi Scalæ Viſionem Ordo noſter à Romualdo inſtitutus eſſet, non erat hic arguendi modus ab homine limati judicij expectandus, undè innumeris inauditis viſionibus, pro cujuslibet Congregationis fundatione temerè aſtruendis, aditus muniretur.

X. Prætereà argumenta à me in hanc rem adducta, non merè negativa ſunt, ſed ejuſmodi, quæ affirmativis ſaltem æquipolleant, tum quia ex ſilentio eorum, qui Scalæ Viſionem aliquam, ſed Maldulò factam tradunt, quique promptiùs illam Romualdò etiam communem fuiſſe notare debuerant, deducuntur; tum quia præfati Auctores ea ſcribunt, quæ manifeſtè ſupponant, Maldulo ſoli Viſionem contigiſſe, ut cùm Gerardus notat, Eremitarum Cadavera ſuper *Scalam* ponenda *exemplo Malduli Viri Sanctiſſimi, qui in Viſione, ubi nunc eſt Eccleſia Eremi, vidit excelſam Scalam Cœlos tangentem, per quam ſplendentium, et albeſcentium videbatur aſcendere multitudo;* Et cùm Bernardinus Gadolus determinationem (non mutationem) candidi habitus à Romualdo factam conijcit, vel ob textus Scripturæ ab ipſo citatos, *vel propter Viſionem Maldulo oſten-*

ſam, qua ſibi apparuit Scala protendens à terra in Cœlum, per quam alborum multitudo aſcendebat. Quorum utrumque, ſicuti poſtquàm invaluit opinio de Viſione Romualdi, ad ipſum S. Patrem congruentiùs referri ſolet [illud quidem Gerardi à Paulo Juſtiniano Regul. Erem. cap. 32. *Supra conſuetam ſcalam reponantur, ob memoriam ejus, quæ B. Romualdo apparuit*: hoc verò Gadoli à Fortunio, et Ractio, tum alibi, tum in Conſtitut. Monachor. Camal. ſub Pio V. ab eodem Ractio compilatis, ubi ad cap. 55. habetur: *Nos tamen antiquam quingentorum, et quinquagintà annorum, ob revelationem D. Romualdo factam, ſequentes conſuetudinem, non niſi candido utemur colore.*] Ita ad eumdem directè retuliſſent Auctores illi, ſi Romualdum talis Viſionis participem crediſſent, vel tantùm ſuſpicati eſſent. Denique quia qui Romualdi Viſionem narrant, illam ex Rodulpho ſe tradere profitentur, in quo tamen nullum ejus veſtigium, ſed illius tantùm, quæ Maldulo eſt exhibita, relucet: et qui utramque Viſionem ſimul componunt, circumſtantiam B. Rodulphi auctoritati repugnantem aſtruunt, uti cap. 3. num. 6. et cap. 5. num. 7. notavimus; Quæ quidem niſi poſitiva eſſe ſalſitatis prætenſæ Viſionis argumenta cenſeantur: dicant, oro, ſi reipſa (ut fieri ſaltem potuiſſe vel ab adverſarijs fatendum eſt) Romualdus hanc Viſionem omnino non vidiſſet, ſed ſolus Maldulus, nec tamen defuiſſent qui illam Romualdo tribuerent, quæ majora ſuppetere tunc poſſent momenta, quę clariora indicia, ad ſuppoſitum hoc commentum redarguendum?

XI. Ve-

XI. Verùm hæc omnia, quamlibèt perſpicua, et ad perſuadendũ rectè diſpoſitas mentes idonea, Viros nonnullos, quantum ipſis videtur, acutiſſimos non convincunt, quos reponentes audio [et adhuc patienter audio] iiſdem principijs poſſe ſanguineum Chriſti Sudorem in horto, licet ab uno ex Evangeliſtis narratum, in dubium vocari, eoquòd à tribus reliquis taceatur. Quibus planè reſpondeo, exemplum ad rem non eſſe, quia ſi Romualdi Viſio ab uno ſaltem vetuſtiorum Scriptorum, qui proximè ad Romualdi ętatem ſcripſerunt, traderetur, etiamſi reliqui de eadem ſilerent, nihil ego in oppoſitum muſſitarem, ut de facto nihil ambigo de Viſione Malduli, quam tradit Rodulphus, licet Petrus Damianus, et Thedaldus Epiſcopus Aretinus illam non exprimant; Itaque noſtro propoſito affinior eſſet comparatio alicujus actionis Chriſti, quam *nullus* Apoſtolorum, Evangeliſtarum, ac Veterum Eccleſię Patrum tradiderit, quales ſunt in Apocryphis libris *De infantia Salvatoris*, *De nativitate Salvatoris*, *et Maria Obſtetrice &c.* à Gelaſio I. Papa proſcriptis, quorum licèt vetuſtiſſimorum, authoritas nullius ponderis eſt ad facta, quę ab omnibus Evangeliſtis prætermiſſa ſunt, perſuadenda, tametſi certum ſit, plura Dominum Jeſum feciſſe, in Evangelijs non ſcripta. Hæc erat comparatio inſtituenda, non ſanguinei ſudoris à Divo Luca iam expreſſi, licet à reliquis prætermiſſi, cùm et ego vim faciam in *omnium*, non in *aliquorum* dumtaxat ſilentio. Addo inſuper, me nihil de Viſione Romualdi dubitaturum, ſi Rodulphus

de ſimili Viſione Malduli ſiluiſſet, tunc enim ſilentiũ ejus [ut cum Scholaſticis loquar] *merè negativum eſſet*, locumque permitteret, ut Traditio ſinè ſcriptis propagata intelligi poſſet; undè non ambigo de miraculo Romualdi ex impulſu Dęmonis in flumen caſuri, ac (cedente ſaxo) mirabiliter ſoſpitis, licèt tum Damianus, tum Rodulphus, tum Gerardus de illo ſileant, nec enim occaſio ipſis fuit, ut illud commemorarent, quare ex ipſorum ſimplici ſilentio nulla ſuboriri poteſt ſuſpicio, quæ ponderis alicujus ſit, præ Hieronymi Pragenſis, illud poſt aliquot ſæcula, ex traditione tum vigente, commemorantis, auctoritate: Hieronymi, inquam, non Fortunij, cujus dictis ſi ſtandum eſſet, vix inter tot fabuloſas circumſtantias, quibus ab ipſo circumveſtitur, facti veritas eluceſceret, ſed cum meditationibus de natura abietis, colloquijſque de natura Dæmonum ibidem inſertis, confunderetur. Eatenus igitur ex Rodulphi, et aliorum omnium ſilentio falſitas Romualdinæ Viſionis deducitur, quatenus ſimilem Malduli viſum narrantes, et ſacrę Eremi ædificationem ea occaſione ab Romualdo factam recenſentes, veroſimile non eſt, voluiſſe præcipuam Romualdi Viſionem diſſimulare, ſi et hanc interceſſiſſe cognoviſſent.

XII. Neque vel appoſita, vel opportuna eſt hæreticorum moris comparatio, qui divinas, Apoſtolicaſque Traditiones, aut Eccleſiaſticas conſuetudines conculcant, uni Scripturę, illique pro vario ipſorum arbitrio expoſitæ, inſiſtendum eſſe contendentes, quaſi verò

verò et ipſum Verbū Dei Traditum ejuſdemmet Verbi ſcripti teſtimonio non toties commendaretur. Deinde quòd in particularibus quibusdam factis admittendis moroſiores ſint, ſolo quorundam Hiſtoricorum ſilentio perſuaſi (ut ſpeciatim obiecta mihi à nonnemine eſt illorum circa Lauretanæ Domus Translationem admittendam pervicacia, exaggerato D. Antonini ſilentio) id nec commune, nec ſimile quidpiam habet cum noſtrę cauſæ diſceptatione; Si enim quingentis dumtaxat, poſt Ædis illius Sacrarium ad nos transmiſſum, annis, id miraculum celebrari cæpiſſet (ut tanto tempore Viſio Romualdi nullis litteris conſignata legitur) ſi quicunque illius migrationem prædicant, non alijs niterentur idoneis monumentis, ſed ex ipſius Antonini Hiſtorijs id ſe decerpere dicerent, in quibus poſtmodum non illius Lauretanæ, ſed alterius, putà Sabinenſis Collis Vertighij Cellæ translatio deſcripta legeretur [ut qui Viſionem Romualdi narrant, ad Rodulphi ſcripta provocare ſolent, ubi ſolam Malduli Viſionem deprehendere licet] profectò par utriuſque exempli ratio haberi poſſet, ſed tùm nemo ſanæ mentis alterutrius Veritatem aut temere indubium verti, aut protervè negari contenderet; Cùm verò et paucis poſt annis à Sacræ Domus in Italiam adventu monumenta regionis illius, in qua ſtationem poſuit, indubitata occurrant, et ipso quidem Antonino penè ſeſquiſæculo vetuſtiora, ad quem nemo prudens pertinuiſſe dixerit, de re tum vulgatiſſima expreſſum teſtimonium ſuis Hiſtorijs inſerere: hinc temerè abuti ejus ſilen-

tio

tio contradictores ad Lauretani Sacelli veritatem impugnandam, tam manifeſtum eſt, quàm è contrario evidentiſſimè conſtat, longè aliud de Romualdi Viſione, his momentis minimè fulta, judicium ab æquis hiſtoricarum rerum æſtimatoribus ferri debere.

XIII. Nimius fortaſſe videbor in his minutiùs perſequendis: ſed mihì quàm maxima poſſum attentione circumſpiciendum eſt, nequid intactum relinquam, quod minimam in hac materia difficultatem præſeferat, neve diſſimulaſſe me quidpiam Adverſarij cavillentur; itaque poſtremam hanc, valdè popularem, inſtantiam expendere juvat, antequàm manum de tabula tollam, et calamum feriari, vel ad magis jucunda ſtudia regredi concedam. Quotquot Sacram Camalduli Eremum religionis cauſa nunc temporis conveniunt, Cellam quandam ad ſiniſtrum baſilicæ latus ſibi indicari vident, ubi Divo Romualdo Viſionem Scalę contigiſſe ab Eremita hoſpitum exceptore ſibi narrari audiunt, cum ſubſequente habitus mutatione, cujus rei argumento Viſio eadem ad præcipuum Cellę parietem anaglyptica effigie expreſſa cernitur, quaſi Romualdo nigra cuculla induto per quietem obiecta fuerit; Longè verò difficillimum perſuaſu eſt, potuiſſe locum ipſum fingi, ubi Viſio exhibita ſit, niſi continua traditione majorum cella ejuſmodi, ob hoc ipſum myſterium, reſervata fuiſſet, atque ad rei memoriam perennandam deſtinata. Verùm reſpondeo, Malduli quidem Viſionem contigiſſe *Ubi nunc eſt Eccleſia Eremi*, utì narrat Gerardus II. Generalis loco à nobis

bis ſępe, et hic ſupra num. 10. citato; Cellam autem illam, quæ nunc Viſionis S. Romualdi dicitur, et habitam ſemper, et ſemper habendam pro Cella, quam ipſe S. P. Romualdus incoluit, et ad quam contigit miraculum fagi à Petro Damiano cap. 47. narratum. Itaque congruentiùs debuiſſe ibidem caſum præcipitis fagi, aliorsùm à cella projectæ, depingi, quàm Scalę Viſionem, niſi plauſibilior viſa fuiſſet falſa Fortunij, quàm vera Damiani narratio, vel magis idonea ad venerationem Sacro loco apud omnes conciliandam; enimverò poſt ætatem Fortunij effigiem illam adornatam fuiſſe ex nigro Romualdi habitu conſtat, cùm vetuſtiores omnes Romualdum etiam in actu ſuppoſitæ Viſionis, et ante ipſam albis indutum exprimant, ut cap. 4. num. 1. obſervavimus; unde apud omnes Auctores, qui vel Camaldulenſis Eremi ædificationem, vel ejus ſitum deſcribunt, etiam illos ſcilicet, qui aliàs Viſioni Romualdi favent, numquam talis Cella pro *Viſionis prætenſæ loco*, ſed pro *S. Romualdi cella, ubi incluſus vixerit, et quæ à præcipitio fagi illæſa ſervata fuerit, indicatur*. Ita in monumentis Camaldulenſibus, anno 1513. editis, et cap. 5. num. 3. adductis, de Romualdo dicitur: *Quinque cellas conſtruxit, in quarum una ſe ipſum aliquanto tempore recluſit, et magnis ibidem coruſcavit miraculis*. Et Paulus Juſtinianus in Prooemio Regulæ Eremiticæ ſimiliter de Romualdo ait: *Quinque cellas conſtruxit, in quibus religioſos fratres ordinavit, una ſibi reſervata, quæ uſque ad hæc tempora, omnium, quæ in Eremo ſunt, antiquior, et anguſtior, Beatiſſimi Romualdi cella nuncupatur.*

patur. Et Mugnotius lib. 1. Deſcriptionis Sacræ Eremi, refert Romualdum ædificaſſe *quinque domunculas, quarum anguſtiorem inhabitabat anno virginei partus milleſimo duodecimo*. Ipſemet Fortunius part. 1. lib. 1. cap. 30. Sacram Eremum deſcribens, inquit: *E' regione baſilicæ à ſiniſtro Eremi latere ad occidentalem plagam propiùs ſæpimentum in prima ſacri loci regione eſt Cella Sanctiſſimi P. Romualdi, quam ille ædificata Eremo primitus, uti memoratum eſt, incoluit, poſt quam ſequuntur, S. Franciſci &c.* Similia habet Minius, et quidem totidem verbis in ſua deſcriptione pag. 57. nulluſque eſt, qui referat Cellam illam, tanquam Viſionis Sancti Romualdi locum à quopiam cenſeri; itaque S. P. Romualdi incolatu dūtaxat, et fagi miraculo conſecratam credere fas eſt, nec niſi recentiorum ſæculorum conſuetudine invaluiſſe, ut prætenſa Viſio, et Mutatio, quaſi ibi contigerint, cellam præfatam viſitantibus enarrentur.

XIV. Sed jam receptui canamus, ne Lectorum patientia diutiùs abutamur, abundè ſiquidem ex hactenus dictis conſtare arbitror, quibus ſententia noſtra momentis fulciatur, et quomodo ab obiectis quibuslibet ſit vindicanda. Mihi gratias interim referendas exiſtimo ab ijs ipſis, qui contrariam opinionem ſequi maluerint, quia nulla diſſimulavi argumenta, quæ ipſorum aſſertioni favere poſſent, ſuamq. illi qualemcunque probabilitatem relinquere faſſus ſum; adeòut ex hac ipſa Lucubratione ſufficienter inſtrui poſſit quiſquis Romualdo tributam Viſionem ſequi voluerit, ex hoc ipſo penu extractis auctoritatibus, et documentis ido-

idoneis ad aſſertionem illam probabili aliquo fuco liniendam, ut adhuc (quibus ita viſum fuerit) veroſimilis, et vulgo plauſibilis habeatur. Hanc illi ego laudem ſupereſſe non invideo, ſed mei muneris fuerat, dubitandi momenta in medium proferre, quæ à Lectoribus meis quo animo ſint accipienda penitus ignoro, exitum patienter expecto, *Et refellere ſine pertinacia*, ut inquit Cicero Tuſculan. quæſt. lib. 2. *et refelli ſine iracundia paratus*, ſi tamen id ſperare liceat, ubi mentem alterius partis ſtudium præoccupaverit. Tantùm moneo, me non Fortunium, ſed Fortunij doctrinam tantùm, ſalvo ejus famæ honore, fuiſſe inſectatum, *Ne incidamus in ſuſpicionem puerilis jactantiæ, quaſi noſtro nomini famam, Viros illuſtres accuſando, quæramus*, inquit Auguſtinus Ep. 19. Quandoquidem Veritatis unius zelo, non livore ullo me ad hæc ſcribenda compulſum ſemel iterumque profeſſus ſum, nec gravatim ferre quis debet, à me Fortunium impugnari, cùm ab Eruditiſſimo Pagio Critica in ipſoſmet Cardinalis Baronij Annales edita fuerit, omniumque bonorum plauſu, et doctorum elogio excepta, atque etiam ab innumeris alijs catholicis Scriptoribus pijſſimi, graviſſimique Cardinalis, chronologici, vel hiſtorici lapſus fuerint adnotati; Quamquàm nec ipſe ſim cum Pagio, nec Fortunius cum Baronio certiſſimè conferendus.

FINIS.

ET NE AUFERAS DE ORE MEO VERBUM VERITATIS USQUEQUAQUE. Pſ. 118.

V

CLARISSIMO, ILLUSTRISSIMOQVE VIRO
ANTONIO MAGLIABECHIO
MAGNI DUCIS ETRURIÆ BIBLIOTHECARIO

D. Guido Grandus Monachus Felicitatem.

I. ITa eſt, Eruditiſſime MAGLIABECHI, pauci ſunt ſolidæ Veritatis amantes, et ſiqui ſunt, vix mutire audent, quòd turbam ſtudijs ſuis contrariam timeant. Præcōceptis opinionibus falſis plerique inſordeſcere malunt, quàm Veritatis lumini oculos aperire: nec quid reverà factum ſit, attendere ſolent, ſed quid ſuo ipſorũ genio, vel ingenio cohæreat, atque, ut ait Poeta:

Quod nimis miſeri volunt,
Hoc facilè credunt.

II. Id ego, cùm aliorum exemplo dudum agnoveram, tum verò et proprio nuper experimento ut addiſcerem, præſentis Diſſertationis effecit editio, cui potiſſimùm prę aliis illos ipſos adverſos nactus ſum, quos propitios ſperaveram; et quibus mediis Inſtitutionis Camaldulenſis Ordinis ſyſtema reſtituere, ac præciſis fabulis ſolido fundamento imponere ſum conatus [etſi mitiſſimè interim cum oppoſita ſententia me geſſerim, eamque in ſua potiùs latibula incolumem adducere, quàm hoſtili more ad extremum perſequi voluerim] ijs ipſis mediis non gratiam, ſed invidiam, et malè affecti, ingratique erga Religionem animi notam à parùm ęquis rerum ęſtimatoribus reportavi. Quaſi verò nefas eſſet, mendaciorum refutatione ſinceritatem no-

ſtram in hoc argumento commendare, aut expectandum foret, ut ab exteris potiùs, quàm à noſtris provincia hæc occuparetur, et non paris laudis, ac glorię ſit ſeſe ipſos corrigere, ac probri et ignominię ab alijs emendari!

III. At urgent: me ineptis omnino argutijs conſtātem Romualdinę Scalæ traditionem adorſum eſſe, quam longè firmiora, ut ipſis videtur, Scriptorum veterum, antiquiorumque Picturarum, ac communis denique perſuaſionis momenta ſtabiliant, meoſque demũ conatus irritos reddant. Ita quidem, ſi pronunciatę ab ipſis ſententiæ ſtandum ſit: quæ etiam ſi obtineret, nõ ideò culpandus eſſem, qui Veritatis zelo ductus, dubitandi rationes adversùs hypotheſim hactenus receptam, omni cum moderatione, propoſui. At ego ad Eruditos provoco, tuumque in primis judicium, Cl. ANTONI, qui mihi, non dico multorum, ſed omnium es inſtar, appello. Ad te enim, velut ad commune totius litterarii orbis Oraculum, confluunt omnes, ut ab inexauſto prodigioſæ eruditionis theſauro, quem pro tua humanitate nemini claudis, opportuna ſinguli diſceptationibus ſuis præſidia derivent. Hiſce igitur pariter nugis noſtris Arbiter eſſe ne dedigneris, Vir Cl. ac tolerandane ſint quæ in hoc argumento ſcripſi, an ſpongia deleri debeant, ipſe decerne. Tuo nutu ſtabunt, cadentve omnia, et authoritatem tuam, ſive adverſariis meis, ſive mihi faventem, et meis, et ipſorum rationibus anteponam.

IV. Summa rei hæc eſt. Scalę Viſionem Romualdo

Digitized by Google

do appictam ante annum 1365. eidéque ab ullo Scriptore tributam ante annum 1513. nec uſpiam ego reperire, nec ipſimet poſſunt Adverſarii demonſtrare. B. Rodulphus quartus Eremi Camaldulenſis Prior anno 1080. Viſionem illam de Maldulo, non de Romualdo primus narravit. Gherardus II. Generalis anno 1278. pariter ſoli Maldulo Scalę Viſionem retulit, atque inſuper Eremitarum Cadavera ſuper conſuetam Scalam reponenda notavit, ejus exemplo, quę Maldulo apparuit. B. Hieronymus Pragenſis annis 1429. et 1433. Viſionem ejuſmodi Maldulo itidem, non Romualdo aſcribit. Et Bernardinus Gadolus anno 1496. [æquè ac Sabellicus poſtmodùm] ita Maldulo ſoli prædictam Viſionem tribuunt, ut etiam determinatum à Romualdo candidum habitum, in memoriam oſtenſę Maldulo Viſionis, conjectentur: ut reſpectivè pag. 43. 64. 33. 38. 54. 56. 58. 71. hujus Diſſertationis oſtenſum eſt.

V. Verùm hęc, homines acutiſſimi, tanquam negativa argumenta floccifaciunt, cùm tamen, ut ipſe noſti, ac mecum ſæpe in philoſophico domeſtici illius Atrij tui ambitu, quavis aula nobiliori, ſumma cum eruditionis copia, diſſeruiſti, eximius ſit apud Hiſtorię Eccleſiaſticæ Criticos negativi argumenti locus, cujus vim in propoſito noſtro certè non elevant, ſive poſt medium quartidecimi ſæculi confictæ Picturę, ſive poſt initium quintidecimi ſcribentes Authores, quæ ut nobis antiquiſſima monumenta cenſeri queant, ſunt tamen ab ætate S. Romualdi, et prætenſæ Viſionis tempore

nimis

nimis remota, quàm ut deceat prudentem, cautumque Veritatis indagatorem ijs immorari, dum ipſos fontes controverſo facto proximiores conſulere poteſt: cùm aliunde conſtet, ſatis vetuſtam eſſe fingendi conſuetudinem, ut quandoque profundas egiſſe radices mendacia videantur.

VI. Atque hìc mihi inter ſcribendum ſimile, ni fallor, exemplum memoriç occurrit, Romualdo ſynchroni, et amiciſſimi Hugonis Magni Etruriæ Marchionis, cujus vitam Baronius conqueritur tomo 11. editam fuiſſe *tot mendacijs locupletatam, quæ piget*, inquit, *enumerare; et in primis deforme illud, quod veſtibulum ingredienti lectori ſit obviam, non invitans ipſum, ſed verberans, et expellens, dum ibi aſſeritur Hugo iſte fuiſſe Princeps Magdeburgenſis, Etruriç verò ab Othone III. Imperatore Prçfectus, quibus adverſantur Petrus Damiani, Luitprandus, Glaber, et alij Scriptores ejuſdem temporis, dum oſtendunt, non Germanum, ſed Italum, avitaque hçreditate poſſediſſe principatum Etruriç*. Et tamen Vita illa vetuſtiſſima erat, et ab anno 1215. in Archivio Florentinæ Abbatiç conſervata, teſte Puccinello in vita Hugonis pag. 61. et appellationem Magdeburgenſis (aut Andeburgenſis, ut in ſepulcrali ejus inſcriptione legitur) Comitis, Vicarijque Imperialis confirmant binæ epiſtolæ illius çtatis ævum, ideſt annum 989. mentientes, ab eodem Auctore pag. 218. et 219. relatç: in quibus et mentio habetur horrendæ illius tartareæ Viſionis, qua inter ſilvas Boniſolatij territus dicitur, quçque, non minùs ac ipſe Comitis Magdeburgenſis titulus, planè commentitia à Cl.

Viro

Viro Coſmo de Arena in Serie Ducum Etruriæ pag. 189. cenſetur, quantumvis ab ipſomet Puccinello nedum recepta, ſed Operis ſui fronti inciſa fuerit, ac licèt multò antiquioribus, quàm Romualdi Viſio, picturis nitatur, nempe ab anno 1320. ut idem Puccinellus docet pag. 34. in Septimenſi Cænobio confictis, et antea iam in Boni-ſolatij clauſtro expreſſis, ac etiam in Piſtorienſi Abbatia dudum exiſtentibus, ut pag 56. idem Author affirmat.

VII. Et ſanè quis in animum inducere auſit, Hugonem hunc tam perditæ vitæ hominem fuiſſe, qualẽ prædicta Viſio ſupponit, dum B. Petrus Damiani piiſſimum hunc Principem lib. 7. ep. 12. *incomparabilium virtutum virum* appellat, et Gothifredo ejus ſucceſſori in exemplum proponit, *De quo*, inquit, *tot virtutum inſignia referuntur, ut prolixitate temporum ſplendida nominis ejus fama aboleri nullatenus valeat, ſed quaſi virens ſemper, ac florens in ore hominum ſollemniter vivat; è quibus ſcribere nonnulla poſſemus, quę forent ędificationi Procerum profutura &c.?* Quis verò quidpiam hac in re deferendum cenſeat Epiſtolis illis annum 989. pręferentibus, quas ſtylus ipſe, et mendaciſſima Comitis Magdeburgenſis, atque Imperialis Vicarij appellatio, manifeſtæ ſuppoſitionis redarguunt, ut mirum ſit, Puccinellum illas quaſi authenticas ex hiſtoria Joannis Baptiſtę Ubaldini exſcribere voluiſſe, neque, ex comparatione certiorum hujus Principis monumentorum, evidentem fraudem, et impoſturam ſubodoraſſe?

VIII. Hoc nimirùm exemplo abundè patet, quàmlibet

libet vetuſtas picturas, et antiqua in ſpeciem documenta, ac populares etiam perſuaſiones, nihil evincere poſſe adverſus incorruptam Scriptorum ejus temporis, ad quod hiſtoria refertur, traditionem, ac ſinceri hiſtorici officium eſſe, non omnia ad subiectum hiſtoriæ ſuæ pertinentia, ſine delectu, corradere, ac vetuſtas cum novis, priores cum poſterioribus traditiones confundere, ac permiſcere, ſed has ex illis corrigere, ac repurgare, ſummaque ſollicitudine cavere, ne ſibi vel apocrypha documenta, vel mendaces narrationes, vel confictæ picturæ, vel aniles vulgi fabulę, quàmvis vetuſtæ, ac mentibus hominum inſitę, imponant: præſtat enim Veritatem aliqua ex parte diſſimulare, quàm vel minimo nævo falſitatis inficere, is enim Veritatis eſt genius, ut latere malit, quàm cum Mendacii conſortio in apertum prodire.

IX. At video me longiùs progreſſum, quàm ab initio conſtitueram, et quàm permittere debuiſſet, ad Eruditionum omnium Fontem ſcribenti, propriæ tenuitatis conſideratio. Mei itaque calami audacię veniam tua dabit humanitas, ſi prolixiori ſcripto Te, altioribus curis impeditum, detinui: meus enim in te Amor contractiori non poterat oratione ſatiari. Vale, et ad omnium ætatum invidiam, noſtrique ſæculi perenne ornamentum diutiùs Vive.

Piſis Idibus Decembris 1706.

Digitized by Google

DISSERTATIO IV.

DE

S. PETRI DAMIANI,

ET AVELLANITARUM

INSTITUTO CAMALDULENSI.

Digitized by Google

Digitized by Google

DE S. PETRI DAMIANI,

ET AVELLANITARUM

INSTITUTO CAMALDULENSI:

CAPUT I.

Scopus, Argumentum, et Occaſio ſcribendi.

SYNOPSIS.

Varij Scriptorum fines: ex his quis Auctori propoſitus? Num. 1. *Ejuſdem in Petrum Damianum fiducia.* 2. *Quæſtionis momentum.* 3. *Petri Damiani Elogium.* 4. *Avellanitarū Gloria ex tanta Sanctorum, atque Epiſcoporum copia, et Cardinalibus ex eodem Monaſterio aſſumptis.* 5. *Jacobi Laderchij conatus ad omnes Avellanitas ab Ordine Camaldulenſi abſtrahendos.* 6. *A nobis ejus refutationem juſtè, neceſſariò, ac modeſtè ſuſcipiendam.* ibid. *De alijs, quæ prodierunt, adversùs Laderchium Apologijs.* 7.

Digitized by Google

QVi Viros ſanctitate, doctrina, rebusve alijs præclarè geſtis inſignes, vel Familiæ, vel Patriæ, vel Ordini ſuo vindicare conantur, diverſis impelli ad ſcribendum ſtudijs conſueverunt: plerique nimirum ad oſtentationem gloriæ, nonnulli veritatis amore, pauciſſimi ædificationis gratia id in ſe negocij ſuſcipiunt. Ego verò, ut primorum vanitatem declinare, pro viribus, ſatago, ita zelum aliorum æmulari, ac denique poſteriorum fructum præſenti Diſſertatione conſequi, ſummo animi ardore, deſidero. Petrum ſcilicet Damianum, et Avellanitas cæteros, Camaldulenſis Inſtituti fuiſſe, adversùs argumenta Jacobi Laderchij, Congregationis Romani Oratorij Presbiteri, ac nuperrimi Vitæ ejuſdem Petri Damiani Scriptoris, oſtendere in votis habeo, tum nequa ex parte Veritati præjudicium fiat, tum maximè, ut Camaldulenſes noſtri tantorum Patrum, atque Anteceſſorum ſe Filios, ac Succeſſores agnoſcere pergant, neque ſe ab illorum imitatione ſejungere audeant, quibus communem vel Monaſticam, vel Eremiticam Diſciplinam ab eodem Sanctiſſimo Patre ROMUALDO acceptam ſe derivaſſe gloriantur; Neque enim minùs ad nos, quàm ad veteres Avellanitas pertinere videtur gravis illa Petri Damiani admonitio, qua Opuſculum ſuum XIII. De Ordine, et Facultatibus Fontis Avellani S. Doctor concludit, videlicet: *Pudeat vos ab illorum nobilitate fieri vivendo degeneres, qui facti eſtis habitaculo ſucceſſores.*

II. Hunc

II. Hunc præſenti Diſſertationi ſcopum præfixum volo, atque in hunc totam ejuſdem tractationis ſeriem unicè dirigendam ſpero, ſi meis favere votis, et tenues conatus obſecundare, calamumque ſibi conſecratum regere non dedignabitur idem ipſe, qui præcipuum Lucubrationi huic argumentum præbet, B. PETRUS DAMIANI, præcipuum Ordinis noſtri Lumen, et Ornamentum: quemadmodùm, ejus Aris humiliter advolutus, enixè deprecor; nec enim, niſi prævia ejus Patrocinij invocatione, cujus præſentiam toties mihi propitiam ſenſi, ad hoc ſcriptionis genus animum appuli, nec niſi ejuſdem auſpicijs, tot inter varias occupationes ab hujuſmodi ſtudijs maximè alienas, otiumque diligentiori harum rerum indagini opportunum minimè relinquentes, Apologiam hanc utcunque contexere, et ad umbilicum tandem perducere me poſſe confido. Præſertim cùm ad quartam hanc ſtadij mihi propoſiti partem, viribus ex præcedenti curſu penè confectis, accedam, quam propterea ex integro decurrere, totamque perficere vix ſperaverim, niſi ejuſdem, cujus cauſa agitur, S. Doctoris auxilium ita jacentem animum erigat, vigorem renovet, nervos reſtauret, nutantem pedem confirmet, ut ad optatam metam facili, et expedito greſſu pertingam.

III. Ne verò quis propoſitam Controverſiam levioris fortaſſe momenti, ac minimi ponderis eſſe arbitretur, quòd minùs illi perſpecta ſint Petri noſtri Damiani eximia in Eccleſiam merita, ejuſque Anteceſſorum, ac Succeſſorum, qui inſigne Fontis Avellani Cœnobiũ,

atque

atque hinc pendentia Monaſteria, necnon celeberrimam Sitriæ Eremum, aliaſque cognatas Solitudines illuſtrarunt (omnes enim pariter hæc quæſtio tangit, eademque ſingulorum eſt ratio) præclaræ dotes æterna memoria dignæ, ſummiſque laudibus efferendæ; ideò brevem in primis, ac veluti perfunctoriam horum pariter, et illius Ideam præmittendam cenſeo: Lectorem nihilominus, pro pleniori Petri Damiani notitia, remittens ad doctiſſimos, et pijſſimos Cardinales Baronium, et Bellarminum, alioſque Eccleſiaſticos Scriptores, initio Tomi I. Operum ejuſdem Egregij Doctoris à Conſtantino Abbate Cajetano adductos, apud quos frequentiſſima ejus Elogia occurrunt, meritis tamen longè inferiora; quemadmodum et ad uberiorem Avellanitarum (Sitrienſium quoque, et ſimilium, quorum permixtas, atque invicem, inſtituti communione, confuſas laudes haudquaquam diſtinguo) cognitionem, ſufficiet Eruditi Viri Ludovici Jacobilli tres Tomos de SS. Umbrię pridem editos legendos proponere; nec enim integram ipſorum hiſtoriam conſcribendam in me recipio, ſed eorum, et Camaldulenſium Inſtituti cognationem dumtaxat demonſtrandam aſſumo.

IV. Fuit ſanè B. Petrus Damiani Vir ſui ſæculi longè doctiſſimus, ſanctimonia, et auctoritate præditus ſingulari; cujus ſi eloquentiam ſpectes, Gregorio proximum: ſi zelum conſideres, parem Hieronymo: ſi vitæ auſteritatem, ac dilatandæ Eremiticæ Diſciplinæ ſtudium attendas, ſimilem Romualdo meritò dixeris.

ris. Quem è ſolitudinis latebris ad Romanam Purpuram, et Oſtienſis Eccleſię Principatum ſola Virtus evexit: ſpectatiſſima Prudentia difficillimis Pontificijs Legationibus obeundis admovit: probata Humilitas è ſummo Dignitatis faſtigio ad Eremi ſquallorem reduxit. Cujus denique encomia is ſolus ignorare poteſt, qui ejus Vitam, Opuſcula, Miracula non legerit: qui tot per ipſum præclarè ad divinum cultum promovendum Inſtituta, atque ab univerſa Eccleſia recepta, non expenderit: qui denique non audierit, quanto in pretio apud omnes Romanos Pontifices, quibuscum, et ante quos vixit, habitus fuerit, ex quibus Alexandri II. Oraculum referre ſufficiat, qui in Litteris ad Galliarum Præſules hoc de illo vivente magnificum edidit Teſtimonium. *Talem vobis Virum deſtinare curavimus, quo nimirum, poſt Nos, major in Romana Eccleſia Auctoritas non habetur: Petrum videlicet Damianum Oſtienſem Epiſcopum, qui nimirum, et noſter eſt Oculus, et Apoſtolicę Sedis immobile Firmamentum.*

V. Quod attinet ad reliquos Petri Damiani Concellitas, ejuſdemque Inſtituti Sectatores, tot, ac tales ij numerantur, ut prodigio ſimile ſit, potuiſſe omnes ab uno illo Avellanenſi Aſceterio prodire: nec facilè aliud [ſi unum, vel alterum ex primarijs Ordinum Capitibus excipias] Monaſterium reperire erit, quod tam illuſtribus Sanctimonia, et Dignitate Eccleſiaſtica Viris fuerit inſignitum. Nam ſupra quadraginta Monachos hęc una Solitudo ad Cęleſtem Patriam tranſmiſit, quorum Nomina, inter Sanctorum, ac Beato-

rum

rum faſtos, Poſterorum venerationi ſunt conſecrata; totidemque circiter variarum Urbium Epiſcopi ex ejus Clauſtris aſſumpti recenſentur: è quibus quatuor in S. R. E. Cardinalium Senatum, pro ſuis meritis, cooptati numerantur, nempè is, de quo præcipuè loquimur, *Petrus Damiani* Oſtienſis Epiſcopus, et *Damianus* ex Rodelinda ſorore S. Doctoris Nepos [cujus ipſe meminit tom. 1. lib. 1. ep. 11. et lib. 6. Epiſtolis 3. 21. 22. 29. ac tom. 4. carmine 219. ad quem inſcripta ſunt Collectanea ex Operibus Petri Damiani, ejus Operum tom. 4. cujus et meminit S. Brunus Epiſcopus Signinus in Comment. ſuper Iſaiam: fuiſſe autem à Gregorio VII. in Avunculi memoriam, Cardinalem creatum, patet ex Rogerio Scriptore Vitæ S. Anſelmi Lucenſis Epiſcopi; ut notat Conſtantinus Cajetanus Præf. in dd. Collectanea, et confirmatur ex Inſtrumẽto Concordiæ inter Præpoſitum Eccleſiæ Florentinæ, et Abbatem S. Miniatis, cui inter alios Cardinales Damianus hic ſubſcriptus legitur anno 1087. apud Ughellum tom. 7. in Append. tomi 3. ad Epiſc. Floren.] et *Guitmundus* Epiſcopus Averſanus (quem alij Sigiſmundum nominant, et Trithemius quidem Monachum S. Crucis Leufridi credidit, Arnoldus autem Vvion S. Crucis Fontis Avellani fuiſſe ſcribit, ac Trithemium æquivoco Monaſterij nomine deceptum putat, Jacobillus verò ex Cœnobio Leufridiano ad Avellanenſe, fama Sanctitatis B. Ludulphi illectum, tranſijſſe contendit; electum verò Cardinalem ex Bibliotheca Patrum in operibus Scriptorum Sæculi XI. conſtat) ac
demum

Digitized by Google

demum *Gebioſus* Epiſcopus Cęſenas (qui ex Avellanę Cœnobio Romam vocatus, ibidem Abbas S. Alexij, tum Epiſcopus, ac Cardinalis, necnon Dalmatię, et Sclavonię Legatus à Gregorio VII. eſt conſtitutus, ex Ughello, Jacobillo, et Ciaconio) quibus quaſi quatuor purpureis gemmis Avellanenſis Crucis diadema illuſtratur.

VI. Tot igitur, ac tantos Viros, jure ne ex albo Camaldulenſium expunxerit Jacobus Laderchius (Vitæ S. Petri Damiani tom. 1. lib. 1. cap. 8.) hac Quarta Diſſertatione diſquirendum eſt; quod quidem citra ejus offenſionem aggredi me poſſe contendo: an et ſperare liceat, ignoro; quantumvis enim cauſę meæ æquitati ſatis confidam, non mihi tamen uſque adeò blandiri velim, ut me ab illo mitiùs habendum, quàm pro Hominis auſim conſuetudine polliceri. Quo res cunque cadat, mihi abundè ſufficiet, quòd juſtæ in primis cauſæ defenſionem ſuſceperim, et neceſſariò ſuſceperim, et intra inculpatæ tutelæ limites me continuerim, quos et ſi excederem, ejus provocationi dandum eſſet, qui prior, nullaque in re à Noſtris laceſſitus, Ordinem noſtrum offendit, Petrum Damianum, integramque Sanctorum Cohortem, ex ejus Faſtis delere, atque eradere, adeòque præcipuam ejus Gloriam ſubvertere, ac decus omne peſſundare conatus. Quod quidem præjudicium, ut nos, debita moderatione ſervata, toleravimus; ita æquum fuerit, illum pari jure, modoque nobiſcum agere, nec gravatim ferre, quòd Camaldulenſe Petri Damiani Inſtitu-

tum, præſenti Diſſertatione, tum proprijs argumentis adſtruere, tum à ſingulis ejus ſcrupulis, obiectiſque vindicare nitamur, ut ſarta, tectaque ſit noſtræ Religionis Gloria, quæ in Petro Damiano, ejuſque Sectatoribus celeberrimis potiſſimùm emicat, utque tot illuſtrium Scriptorum, qui nobiſcum ſentiunt; Summorumque etiam Pontificum [quos cap. 6. num. 19. citabimus] ac Sacræ Rituum Congregationis, quæ Petri Damiani ad diem XXIII. Februarij, ac Dominici Loricati ejus Diſcipuli ad XVII. Octobris, Officia Ordini noſtro recitanda indulſit, prudentiſſimum judiciũ, uno, eodemque opere, propugnemus.

VII. Et quamvis, dum hæc ſub prælo eſſent, brevis Apologia italico ſermone ſcripta prodierit, pro S. Petro Damiano, adversùs eundem Laderchium, Camaldulenſibus vindicando, Auctore Philippo Maria Macchiarelli Eremita Camaldulenſi Congregationis Montis Coronę, qui ſe primum omnium Petri Damiani Vindicem pag. 9. arbitratus eſt (quaſi unus ipſe, cæteris conſopitis, ad Ordinis totius propugnationem evigilaſſet) quòd ignoraret hanc ab alijs provinciam dudum occupatam: ex quibus Auctor Dialogi Sejanũ inter, et Ruffinum id lepidè, ſed nervosè jam pręſtitit; ut nihil dicam de præſenti Diſſertatione tunc editioni proxima, quæque ſi aut tribus foliolis (ut Macchiarelli Apologia) comprehendi potuiſſet, aut reliquas, quibus conjungenda erat, non expectaſſet, utique Auctoris hujus non operam modò, ſed votum, et cogitationem pręvenire debuerat. Quamvis, inquam,

Machia-

Macchiarelli Apologia noſtram hanc Diſſertationem præceſſerit, æquè ac Sejani, et Ruffini Dialogus jam citatus: nihilominùs haud ita Argumentum exhauſtum video, ut meę pariter Lucubrationi relictus locus non ſit, licèt multa futura ſint mihi cum illo, et cum prædicto Dialogiſta, neceſſariò communia; in ejuſdē ſiquidem cauſæ præſidio laborantibus non poſſunt non eadem occurrere argumenta, ex ijsdem ſedibus deducta, eædemque rationes ex ijſdem fontibus derivatæ. Quod quidem Veritatis indicium præſumi debet, plures enim, qui è diverſis, longoque intervallo diſſitis regionibus ſcribentes, ſua invicem ſtudia non communicaverint, non poſſent ſimul in ijſdem fermè principijs convenire, niſi Veritatis unitas, et conſtantia, quæ ſimili ubique voce loquitur, ſententiarum, verborumque conſenſum ab illorum quolibet extorqueret.

CAPUT II.

Avellanenſis Eremi exordium, et Inſtitutio à S. P. Romualdo dependens.

SYNOPSIS.

Avellanæ Origo ex Fortunio. Num. 1. *et* 2. *In ejuș narrationem animadverſio*. 3. *Monaſterium Avellanæ circa annum Chriſti milleſimum inſtitutum oſtenditur*. 4. *An B. Lu-*

Ludulphus Loci Auctor Arianos fugeret? 5. S. Romualdum, etiam Mabillonij teſtimonio, apud Avellanam habitaſſe. 6. Ejus habitationem apud Catriam de Sitria exponendam non eſſe. 7. Ex ipſius Fortunij principijs Avellanæ inſtitutionem D. Romualdo tribuendam. 8. Thomæ Minij in eandem ſententiam ſuffragium. 9. Ludovici Jacobilli auctoritate idem confirmatur. 10. Item Julij Ambroſij Lucentij calculo eadem Veritas munitur. 11. Certior anni determinatio, quo hæc contigerint. 12.

I. NUnc ut rem ipſam propiùs attingamus, paulò altiùs repetenda eſt Monaſterij, ſive Eremi S. Andreæ (nunc S. Crucis) Fontis Avellanę, ubi Petrus Damianus, quemadmodum in ejus Vita ab Joanne ipſius Diſcipulo, ac Familiari edita cap. 4. narratur, Monaſticum ſchemma induit, inſtitutio. Fortunius noſter Hiſt. Camald. parte 2. lib. 5. cap. 5. de ea ſic loquitur. *Qui de Origine Venerabilis Eremi, ſeu Cœnobij Sanctæ Crucis Avellanæ mentionem faciunt, hi rem Ludulpho, ſive Candulpho aſcribunt, qui fuit Vir innocentia ſingulari, operibuſque ſanctis clariſſimus, pro quibus meruit ad Cathedram Eccleſiæ Eugubinæ promoveri, annum ab ipſa Eremo condita circiter trigeſimum. Verumtamen genus, et conditionem primariam deſignat nemo: ſed creditur illum nobili ſtirpe progenitum, atque religioſum fuiſſe. De eo extat elogium hujuſcemodi: Anno* 1000. *cæptum eſt ędificium Eremi Avellanæ ſub Catria à Candulpho, ſive Ludulpho ſimpliciter Capella, et Caſula ad Arianorum Sectam fugiendam. Verumenimverò cùm Ariana peſtis, quæ Eccleſiam Chriſti annum circiter* 320.

labe-

labefactare cæpit, jampridem ante annum milleſimum extincta fuerit, nos eam ædificationem longè ante tempora Sancti Patris Romualdi factam fuiſse nihil ambigimus.

II. Tum ſic proſequitur: *Porrò Ludulphus, ſive perſecutores fugiens, ſive peregrinationem cum quodam ſuo fido ſocio obiens, ubicunque per ſilvas, et valles locum Eremiticæ Vitæ idoneum inveniret, dubius erat an ibi ſiſteret, et peregrinandi finem faceret. Cùm verò nullibi viam obſirmare poſse videretur: contigit illum per Appennini juga iter facientem, ad locum quendam amænum arcuatæ Vallis, quæ ſita eſt inter denſiſſimas ſilvas inter Montem Catriæ, et Corni, deſcendere; ubi dum ſiſteret, plus ſolitò laboris itinere fatigatus, ad fontem, qui plurimus ad radices Avellanarum arborum ſcaturiebat, et ſumpto cibo, cùm nonnibil ſomni capere cæpiſſet, vox cælitus ad illum hujuſmodi facta eſt. Ludulphe hìc tibi habitatio parata, jam tandem labori itineris parce. Qui ſurgens, Deo gratias agens, Capellam, et Caſulam, ut dictum eſt, inibi ad honorem Sancti Andreæ Apoſtoli primùm poſuit, inditumque loco eſt nomen Fontis Avellani à fonte memorato, uſque in hodiernum diem. Porro Ludulphus, aliquandiu degens quaſi incognitus, à paſtoribus proditus eſt, et ad Epiſcopalem Cathedram Eugubinæ Eccleſiæ, in cujus Diæceſi locus eſt, attractus deinde omninò invitus. Quamobrem Eremus ſua Avellana, ob frequentiam Diſcipulorum, in celebre Cænobium verſa, quod propter Auctoris incredibilem Columbæ ſimplicitatem, titulo Ordinis Columbæ inſignitum, illum vel uſque ad tempora Danthis Poetæ Etruſci retinuit &c.*

III. In qua narratione, primò advertendum occurrit, nimis inconſultè à Fortunio velut indubium ſuppo-

ni,

ni, quòd Avellanenſis Eremi inſtitutio S. Romualdi temporibus longè anterior fuerit, ex quo epigraphes ab ipſo allata, Arianæ ſectæ pridem extinctæ fugam Ludulpho loci Conditori aſcribere videatur. Cùm enim utrumque diſertè affirmetur in illo elogio, videlicet, tum ędificium Eremi Avellanæ à Ludulpho cæptum anno milleſimo, tum ad Arianorum ſectam fugiendã id factum eſſe: quę duo invicem non cohærere noſter Hiſtoricus arbitratur; reliquum erat, ut cautiùs expenderet, utrum ex his commentitium putaret, primumne, quod innumeris alijs monumentis confirmatur, an ſecundum, quòd non alio, quàm politæ illius inſcriptionis, teſtimonio fulcitur: deprehendiſſetque, non illud ex hoc in dubium vocari, ſed hoc potiùs ex illo corrigi debuiſſe.

IV. Enimverò circa annum Chriſti milleſimum [aut certè paulò ante, ut infra determinabimus] Sacram Avellanæ Domum reverà conſtructam fuiſſe, nec ad Arianorum ſæcula ejus inſtitutionem referri poſſe, conſtat tum ex ipſo B. Ludulpho illius Eremi Fundatore, qui anno 1009. ad Eugubinum Epiſcopatum raptus eſt, illique anno 1012. nuncium remittens ad ſuam Eremum reverſus legitur, ubi ſanctiſſimè obijt die 20. Januarij 1047. tum ex ejuſdem Ludulphi Diſcipulis; Juliano, qui Eremum in abſentia Ludulphi ab anno 1009. ad 1012. rexit, eidemque in Epiſcopatu Eugubino ſuccedens, die 7. Maij 1032. è vivis exceſſit; B. Guidone Aretino, qui anno 1022. ſuum de Muſica Syntagma novum Teodaldo Aretino Epi-

Epiſcopo dedicavit, et anno 1030. à B. Ludulpho in Coadiutorem, ſeu Vicarium ſuum eſt cooptatus, cui etiam anno 1047. in Prioratu succeſſit, usquedum anno 1050. die 17. Maij Deum adijt; B. Forti Eremita, qui anno 1030. ſe Ludulpho Diſcipulum obtulit, et die 9. Maij 1040. ex hac luce migravit, ut ejus tumuli vetus inſcriptio in Cathedrali Eugubina teſtatur; Ut omittam, graves Scriptores contendere, Petrum Damianum quinquageſimo poſt Avellanenſis Eremi inſtitutionem anno, ſe inibi divino ſervitio mancipaſſe, quod utique falſum eſſet, niſi circa annum Chriſti milleſimum à B. Ludulpho poſita Venerabilis illius Solitudinis initia ſupponerentur.

V. Interim quid ſibi voluerit elogij illius Auctor, cùm dixit, Ludulphum ad Arianorum ſectam fugiendam Sacellum illud apud Fontem Avellanę conſtruxiſſe, haud facile eſt divinare; niſi dicamus aliquas Arianorum reliquias et tum fortaſſe reſiduas, aut denuò excitatas fuiſſe (ut noſtro etiam ſæculo hæc impietas renovata eſt in Anglia potiſſimum, et Polonia per varios ſectarios, Fauſtum Socinum, Joannem Crellium, Brennium, Eniedinum, Smalcium, Schilchſingium, Oſtorodum, et Chriſtophorum Sandium) nam de Arianis velùt extantibus loqui videtur Petrus Damiani tom. 3. opuſc. 6. cap. 22. ibi: *At contra, Ariani, qui adverſùs Spiritus Sancti divinitatem manifeſta prorſus impietate confligunt, ad Catholicam fidem redeuntes in malè accepti Ordinis perſiſtere dignitate non poſſunt. Credunt enim, ſicut eorum ſacrilega profeſſio manifeſtat, quòd Pa-*

ter

ter Creator ſit, Filius Creatura, Spiritum verò Sanctum Creaturam Creaturæ damnabiliter aſſeverant. Aut niſi clauſulam hanc ita interpretemur, ut ſignificet, Ludulphum divino cultui deditum, ut ſe ab Ariana ſuperſtitione, à qua maximè abhorrebat, alienum oſtenderet, illo Sacello divinos Chriſto honores, debitamque S. Andreæ ejus Apoſtolo venerationem teſtatum eſſe. Quamquàm operæ pretium non eſt, ut in illius inſcriptionis expoſitione immoremur, cùm adeò obſcurę fidei ſit, ut à nemine propterea illam indicari, aut commendari videam, præterquàm à Fortunio, et his, qui ab illo acceperunt.

VI. Secundò in eadem Fortunij narratione obſervandum eſt, prętermiſſam ab ipſo fuiſſe inſignem circumſtantiam, quam alij Scriptores expreſsè notant, nempè Ludulphum hunc ipſiuſmet S. P. Romualdi fuiſſe Diſcipulum, et ab ipſo Eremiticæ Diſciplinæ legibus erud tum; Imò in ipſamet Solitudine, apud Catriam Ludulphi ope excitata, S. P. Romualdum commoraſſe, ut narrat Petrus ipſe Damianus in Vita S. Romualdi cap. 19. ibi: *Aliquando autem Vir Sanctus non longè manſit à Catria*; qui locus de habitatione apud Avellanam exponitur à varijs Auctoribus, quos inter Ludovicus Jącobillus de Sanctis Umbriæ, ac Joannes Mabillonius Præfatione ad Sęculum VI. Benedictinũ, ubi de Avellanenſi Cœnobio hæc habet: *Sub annum Chriſti milleſimum conſtrui cæptum eſt, nempe in Umbria, Diæceſi Eugubina, ad radices Montis Catriæ, ubi itidem S. Romualdus receſſum habuit*: Ut alios minoris nominis,

Por-

Porteſanum, Crucettum &c. prętercam.

VII. Quamquàm vix teſtibus opus eſt, ubi res ipſa loquitur, tum ex Avellanitarum Inſtituti cum Romualdinis Legibus convenientia, de qua infra uberiùs, tum quia aliter quàm de Avellanæ Solitudine illa Catrienſis habitatio Romualdi exponi nequit: opinio ſiquidem Fortunij, parte 2. lib. 1. cap. 11. locum illum de Eremo Sitriæ interpretantis, pugnare videtur cum Petri Damiani authoritate, qui in Vita S. Romualdi cap. 49. ita refert Romualdum ad Sitriæ ſolitudinem habitandam divertiſſe, quaſi ibidem anteà commoratus non eſſet, ſed locum ipsum tunc ſuis Diſcipulis replere aggrederetur. Ecce Damiani verba: *Poſtmodùm verò Romualdus, cùm Apenninum desereret, montem Sitriæ habitaturus aſcendit. Cavendum autem ſummoperè eſt, nequis cùm audierit, quia Vir Sanctus tot loca mutaverit, pij operis pondus vitio levitatis aſcribat. Hæc namque mutationum ejus cauſa proculdubiò fuerat, quia ad Venerabilem Virum, ubicunque degeret, turba hominum penè innumerabilis concurrebat. Ratio ergo poſcebat, ut cùm unius loci ſpatium plenum habitatoribus cerneret, illic Priore conſtituto, ad replendum mox aliud feſtinaret.* Quod ſi Romualdus dudum in Sitria Eremum condiderat, cùm apud Catriam morabatur, ut docet Fortunius, hæc nova in Sitriam excurſio non fuiſſet novæ locorum mutationi, ſed veterum Diſcipulorum Viſitationi aſcribenda, neque hac Damiani excuſatione opus erat, neque adducta frequentiæ Diſcipulorum cauſa propoſito ipſo congrueret. Habitatio igitur apud Catriam, non de Sitria, quæ inde duobus

milliaribus ad Saxiferrati Oppidum recedit, ſed de Fontis Avellanę ſolitudine, quæ Catriæ montis lateri penitus adhæret, certiſſimè eſt intelligenda.

VIII. Nec dubitandum puto, Fortunium ipſum id expreſsè conſenſurum, niſi illius Arianorum fugæ Ludulpho aſcriptæ præconcepta opinio, Avellanę inſtitutionem ad tempora Romualdo anteriora referendam eſſe perſuaſiſſet, indeque Romualdi habitationem apud Catriam, de Avellanenſi ſolitudine, dudum ab alijs Monachis occupata, intelligendam non eſſe, ſed ad Eremum Sitriæ detorquendam, falsò arbitratus eſſet. Nam is aliunde fatetur, Romualdi ſæculo extructa Cœnobia ſub ejuſdem diſciplina potiſſimùm meruiſſe, ait enim parte 1. lib. 1. cap. 23. *Porrò tanta fuit de Sanctiſſimo Romualdo in tota Europa Opinio, ut vel nullum ſui temporis Cœnobium, nulla Eremi ſolitudo, nulla denique religioſarum perſonarum Congregatio uſquam gentium fuerit, quæ aut Romualdum Magiſtrum, et Patrem non habuerit, aut conſilium, miſſis legationibus, non flagitaverit ab illo, qualiter converſari in ſacra militia deberet, et qualiter diabolicis impugnationibus reſiſtere poſſet*. Quod præſertim de Avellanenſi Eremo, et quidem potiori jure, affirmare debuerat, quæ nedum Romualdi tempore, ſed in ipſa Italia, imò in Umbria ſub ipſius S. Patris oculis conſtructa eſt, nec niſi ab ipſo Vitæ Eremiticæ Magno Reſtauratore Romualdo congruas eremiticè vivendi Leges accipere poterat.

IX. Hinc Thomas Minius Monachus noſter in ſua Hiſtoria Camaldulenſi, quæ in Bibliotheca Angelorum Floren-

Florentiæ MS. ſervatur, ubi Fortunium (nonnullis dumtaxat locis correctis, et quibusdam ejus omiſſionibus ſuppletis) verbatim italicè reddit, ut jam Diſſert. I. cap. 1. num. 6. monuimus, Avellanenſis pariter Cœnobij Fundationem, quam ex Fortunio ſupra num. 1. adduximus, ſic interpretatur, atque reſtituit, ut Ludulphum Romualdi fuiſſe Diſcipulum, ab eoque Vitæ Eremiticę pręceptis imbutum tradat: ait enim lib. 8. cap. 1. *Coloro, che fanno menzione dell' Origine del Venerabil Eremo, oggi Badia, di S. Croce dell' Avellana, vogliono, che ne foſſe Autore il B. Lodolfo, altrimenti Candolfo, Uomo dotato di ſingolare innocenza, il quale mediante le ſue ſante operazioni, fu fatto Veſcovo d'Agubbio l'anno trenteſimo della fondazione d'eſſo Eremo; ma non fanno memoria niſſuna d' onde egli fuſſe: ſolamente dicono, eſſere ſtato di nobile ſtirpe, e religioſo; producendo queſta memoria. L'anno mille ſi principiò l'edificio dell'Eremo dell'Avellana ſotto Catria da Candolfo, overo Lodolfo, con ſemplice Capella, e Caſipola, per fuggire la ſetta delli Ariani. Nel qual tempo, non ſolo in Italia, ma quaſi per tutta l'Europa, era celebre la fama della Santità del noſtro P. S. Romualdo (ancora vivente) e de ſuoi Diſcepoli, e non è punto da dubitare, anzi tengo per fermo, che Lodolfo ancor lui foſſe ſuo Diſcepolo, e che non ſolo fuggiſſe la perſecuzione della Setta, ma che andaſſe, a guiſa del Maeſtro ſuo S. Romualdo (anzi con ſua benedizione, e conſentimento, come un altro S. Gio. Gualberto) cercando luoghi ſolitarij, e remoti da ogni ſtrepito ſecolareſco, per quivi fermarviſi col ſuo Compagno, et altri tirare al ſervizio di Dio, perchè in loro era un ardente deſiderio della ſalute dell' Anime,*

 &c.

&c. Hæc Minius, qui et infra addit: *E per corroborazione di quanto ho detto, cioè, che il B. Lodolfo fuſse Diſcepolo del P. S. Romualdo, e che viveſſe con i ſuoi Diſcepoli ſotto tale Protezzione, ſi vede chiaramente nella perſona di Pietro Damiano, per quanto afferma il P. F. Paolo Morigia nella ſua iſtoria delle Religioni, dicendo che Pietro Damiano fu Monaco Camaldolenſe: et il medemo teneva Papa Pio V. il che viene confermato nell'eſſere ſtato detto Pietro Damiano Abbate, e Superiore in più Monaſterij dell'Ordine Camaldoleſe, come ſi dirà nella ſua Vita:* De quo et nos cap. 6. nonnulla dicturi ſumus.

X. Idipſum confirmat Ludovicus Jacobillus de SS. Umbriæ tom. 3. pag. 324. dicens: *Molti vennero à far penitenza, e ſi aggregarono alla loro Compagnia, fabricandovi un Monaſtero per molti Monaci, i quali il B. Lodolfo vi veſtì circa l'anno mille di N. S. e con facoltà di Papa Silveſtro II. iſtituì la Congregazione di Fonte Avellana, detta anco della Colomba, ſotto la Regola di S. Benedetto, con alcune Coſtituzioni di S. Romualdo Abbate, il quale ſin dall' anno 953. aveva fondato l' Ordine Camaldoleſe per i ſuoi Monaci, et Eremiti, e viveva in queſto tempo &c.* Hæc ibi, quibus ſimilia, et alibi tradit, quemadmodùm et ipſum Petrum Damiani inter Camaldulenſes Alumnos abſolutè reponit, præſertim tom. 2. ad diem 13. Julij in Vita S. Romualdi pag. 32.

XI. In eandem ſententiam afferre juvat quæ Reverendiſſimus Abbas Julius Ambroſius Lucenti Ciſtercienſis, Sacræ Congr. Indicis Conſultor ad hoc propoſitum ſcripſit in libro inſcripto *Fulgor Fulginij &c.* Ro-

me

mæ anno 1703. adeòque poſt Laderchiani Operis editionem impreſſo: ibi enim in notis poſt Elogiũ XVIII. pag. 102. hæc habet. *Sub Lodulphi magiſterio ejus Schola à plurimis frequentari cæpta eſt, adveniente Joannis Epiſcopi Eugubini placito anno 976. Et quæ rudi primùm opere initia ſumpſit, approbante deinde Silveſtro II. Romano Pontifice, in Caput, et Principem nominatiſſimæ Congregationis S. Crucis de Avellana excrevit ſub Regula Sancti Caſſinatis Benedicti, certis additis Conſtitutionibus, quas partim dictavit S. Romualdus Camaldulenſium Primus Abbas, partim conſcripſit ipſe Lodulphus*. Hactenus Abbas Lucentius.

XII. Cæterùm ſi ad certiores calculos Avellanæ exordia debeant revocari, quandoquidem Ludulphus anno 1009. ad Eugubinam Cathedram eſt aſſumptus, oportet eos, qui trigeſimo poſt ſacræ illius Solitudinis conſtructionem anno ad Epiſcopale munus ipſum vocatum fuiſſe arbitrantur, ad annum 979. ejuſmodi Fundationem retrahere,id quod propiùs abeſt ab anno 976. per Ludovicum Jacobillum, et Abbatem Lucentium ſupra relatum expreſſo. Undè qui anno milleſimo Avellanenſem Eremum conditam volunt, aut de ipſius ędificio ad certiorem Eremi, aut Cœnobij formam poſtmodùm redacto intelligendi ſunt, aut de Epocha non præcisè determinata, ſed præterpropter dumtaxat circumſcripta, erunt interpretandi. Fatendum tamen, uſque ad annum 989. et 990. Ludulphum ſine certa regula, ſimplici ductu ſpiritus ſui, Diſcipulos ſibi adiunctos rexiſſe: tunc enim dumtaxat apud Catriam S. Romualdus habitavit, à quo S. P.

Bene-

Benedicti Regulam Ludulphus accepit, ſimulque perfectam Eremiticæ Vitæ normam, et ſaluberrimas Inſtitutiones didicit, ad quas deinceps alumnos ſuos exigeret. Cùm enim anno 995. Claſſenſi Abbatiæ præfectus fuerit Romualdus, idque [ex vita cap. 22.] ante quinquennium, adeòque anno 990. illi fuerit divinitùs à S. Apollinari revelatum, quod contigit Romualdo apud Catriam commorante (ex Vitę cap. 19.) oportet, ut anno 989. ad Catriæ Montem cum Ludulpho, et Socijs Romualdus conſiſteret, et anno 990. monitus ab eodem Sancto Apollinari, inde diſcederet, Claſſenſi Cænobio propiùs accedens, dum Præfecturã illius ſibi divinitus deſtinatam expectaret.

CAPUT III.

Avellanitarum, et Camaldulenſium Inſtituti Comparatio.

SYNOPSIS.

Capitis bujus propoſitum. Num. 1. *Eremi, et Cænobij apud Avellanam conjunctio.* 2. *Monachorum, et Eremitarum, atque Incluſorum inſtitutum Avellanæ viguit.* 3. *Eremitis obedientia, tam apud Avellanitas, quàm Camaldulenſes, inculcata.* 4. *Specialis utriuſque Inſtituti comparatio.* 5. *Quid Abſtinentia, et Jejunium, Biduana quoque, et Triduana*

duana apud B. Rodulphum Camaldulenſem Priorem, et apud Petrum Damianum ſignificent. 6. Quo tempore jejunium ex Romualdi præſcripto ab Avellanenſibus, et Camaldulenſibus obſervaretur. 7. Per tres Octavas ab utriſque relaxabatur Abſtinentia. 8. Quæ jejunii diſciplina Paſchali tempore 9. Quid reliquo anni curſu apud utroſque in uſu eſſet. 10. De obſervatione utriuſque Quadrageſimæ 11. et 12. De Sabbati Sancti, et Vigiliæ Nativitatis Domini conſuetudine. 13. De Lancibus ad panis pondus metiendum in Cellis Camaldulenſium, et Avellanitarum. 14. Libræ panis à S. Benedicto præſcriptæ menſura ex his illuſtrata. 15.

I. NEquis autem putet, merè arbitraria Scriptorum imaginatione niti, quòd B. Lodulphus, ut capite præcedenti expoſuimus, ſub Diſciplina S. Romualdi meruerit, ab eoque eremiticè vivendi regulas Avellanitis ſuis tradendas, acceperit: juvat præſenti capite utrumque inſtitutum conferre, quo nempe indubij Diſcipuli S. Romualdi, primique Camaldulenſes ex una parte, ex alia verò B. Ludulphi, ac Petri Damiani Sectatores, nimirum veteres Avellanitæ, uſi ſunt; quo ſtatim conſtabit, ab una eademque radice, nempe D. Romualdo Eremitarum omnium Duce, hos et illos pariter propagatos. Et quamvis hoc ipſum ex Diſſertatione I. ſatis eluceat, ubi præſertim cap. 4. num. 8. et 21. atque alibi paſſim oſtendimus, D. Romualdi Inſtitutum apud Avellanæ Fontem, æquè ac apud Sacram Camalduli Eremum, exactè obſervatum:

hoc

Digitized by Google

hoc loco tamen id ſpecialiùs erit ex Petri Damiani, et B. Rodulphi, alijſque monumentis, non longa quidē, et accurata partium enumeratione, ſed brevi ſaltem præcipuorum Canonum ſpecimine, demonſtrandum.

II. Age itaque primò quę magis generalia ſunt cōparemus. Romualdi Inſtitutum Cœnobiticæ, atque Eremiticæ Vitæ coniunctione comprehendi Differt. I. capite 4. probavimus, atque idcircò S. Patrem pleriſque in locis Cœnobia Eremis proxima conſtituiſſe, et utramque ſub uno Rectore, tam ſocialis, quàm ſolitariæ diſciplinę Familiam collocaſſe: unde in ejus Vita cap. 30. docemur, quòd *Præcepit Abbati, ut in Eremum ſecedens per totam hebdomadam in Cella conſiſteret, diebus verò Dominicis fratres ad Monaſterium veniens viſitaret*. Jam et apud Avellanæ Solitudinem Clauſtrum erigi curavit Damianus pro his, qui cœnobiticè vivere mallent, atque, ex uſu Monaſteriorum, Proceſſiones in ſollemnitatibus agere gauderent, ut ipſe teſtatur tom. 3. Opuſc. 14. ibi: *Clauſtrum quoque juxtà Eccleſiam conſtrui hac intentione cenſuimus, ut ſiquem adhuc inolita Monaſterialis Ordinis conſuetudo delectat, habeat ubi in præcipuis feſtivitatibus ſollemniter ex more procedat: cui et Proceſſioni Crucem argenteam ſatis idoneam procuravimus*. De quibus Monachis prope Eccleſiam cœnobiticè viventibus meminit etiam Opuſc. 15. cap. 7. ubi de Servis ait: *Nonnulli quoque ad audiendas Pſalterij vigilias maturiùs ſurgunt, cum his videlicet fratribus, qui apud Eccleſiam commorantur*.

III. Et cùm tres veluti Religioſorum ſpecies Camaldulenſe Inſtitutum, Romualdi nutu, complectatur,

tur, nempe Cœnobitas, et Eremitas apertos, atque Recluſos Anachoritas, ut jam loco citato declaravimus, patet profectò hos ipſos apud Avellanæ Fontem Petri Damiani tempore vixiſſe; unde Opuſc. 15. cap. 18. hos tres gradus enumerat, dum ait: *In ipſis autem cellulis nunquam loquantur alicui, niſi fortè aut omninò morentur incluſi, aut etiam ſint juxta Monaſterium conſtituti.* Nēpe ab Eremitis apertis ſilentium in cella ſervari pręcipiens, ſecùs quàm cùm penitus Recluſi vivunt, qui ſe inviſentibus colloqui in ipſa Cella non prohibentur, aut cùm inter Cœnobitas degunt, quos tam rigidi cenſura ſilentij non aſtringit. Et ſanè Monachos inſtruit Petrus Damiani Opuſculo XIII. quod eſt *de Perfectione Monachorum*, ubi et de diverſis Monaſterij Officijs diſputat: Eremitas inſtituit Opuſculis XIV. et XV. omnes jejuniorum, aliarumque diſtrictionum regulas apertè diſponens: Recluſos dirigit, tum lib. 6. ep. 30. quæ eſt ad Theuzonem, varijs eorum exemplis adductis, ut Martini Storacis, *qui jam per tria luſtra non prodiit*, Lupi, *qui ſe pro æterna libertate* propriæ Cellę *Carceri incluſit*, Leonis, et aliorum; tum Opuſculo XI. docens, ſolitarios in Divinis Officiis, et Sacris Myſterijs celebrandis, formulas ab Eccleſia uſurpatas, *Dominus vobiſcum, Jube domne benedicere, &c.* licèt alios pręſentes ſupponere videantur, immutare non poſſe: quod Opuſculum *Leoni amore ſupernæ libertatis Incluſo* inſcribitur; ut Opuſculum XV. *Stephano amore ſupernæ claritatis Incluſo* nuncupatur, quem ex eo laudat, quia *Monaſterialem latitudinem fugiens, mox fervido ſpiritu, Cellulæ ſe car-*

Digitized by Google

ceralibus anguſtiis incluſiſſet.

IV. Rurſus, quemadmodùm præcipuas ſuæ ſollicitudinis partes eò direxit Romualdus, ut Eremitas, olim ſuo ipſorum arbitrio viventes, ad ſalutaris Obedientię jugum revocaret, nec ſine Prẹlati juſſione, aut conſenſu, magna quantùmvis opera ſibi ad meritum profutura ſperarent, ut Diſſert. I. cap. 5. num. 6. et ſeqq. explicuimus: ita nihil magis, quàm hanc ipſam Obedientiæ virtutem Eremitis inculcat Petrus Damiani, de qua Opuſc. 15. cap. 18. hæc habet: *Illud planè ſummoperè eſt cavendum, ne ſub colore quis Eremiticæ Vitæ, jugum detrectet Obedientiæ; immò tantò ſe arctiori Obedientiæ lege conſtringat, quantò hanc Inſtitutionem ſuperexcedere Cœnobitarum Regulam non ignorat. Obedientia quippe et bona noſtra commendat, et negligentiæ offenſas excuſat. Ut ergo noſtra ſit remotio, vel afflictio fructuoſa, ſalutiferæ ſit ſemper Obedientiæ ſale condita: et quoſcunque boni operis vita noſtra ramos expandat, in radice ſemper Obedientiæ neceſſe eſt coaleſcat.* Quæ planè conſona ſunt B. Rodulphi Prioris Camaldulenſis Monitis, in Conſtitut. anni 1080. cap. 40. ſic loquentis. *Hęc Virtus ſolitariis valdè neceſſaria eſt, ut quò duriorem ducunt vitam, eò pleniorem obſervent Obedientiam. Quidam namque, ſub obtentu Sanctioris vitæ, jugum recuſant Obedientiæ: putant enim ſe lege obediendi ſolutos, eoquòd arctiori Eremiticæ Vitæ ſtudio ſe norunt aſtrictos. Sed ibi certè major debet eſſe obediendi obſervantia, ubi ferventior, et auſterior eſt vivendi cultura.*

V. Sed, ut ad ſpecialia deſcendamus, conferatur, obſecro, Romualdi, priſcorumque Camaldulenſium Di-

Diſciplina, cum Petri Damiani, veterumque Avellanitarum vivendi forma; ac deprehendemus, ita alterā alteri penitus convenire, ut penè eodem calamo, certè eodem Spiritu, dictata utraque videatur: et ſiqua interſit differentia, illam adeò tenuem eſſe, ut vix inter ejuſdem individuæ Congregationis diverſa Monaſteria levius diſcrimen notari queat, nec major pro diverſitate locorum, poſſit obſervari conſenſio. Longum eſſet ſingula proſequi, nos ſumma rerum capita percurremus, quæ cùm totidem penè verbis invicem ſibi reſpondere conſtiterit, haud difficili negocio de cæteris Lector conijciet, quæ ſaltem ſenſu conveniunt; et quidem ab Abſtinentiæ, ſeu Jejunii diſciplina, quę inter Eremiticas conſuetudines pręcipua eſt, initium ducemus; ſed primò terminorum definitiones utrinque allatas audiamus, tum reliqua ex ordine proſequemur.

VI. Ait ergo B Rodulphus Quartus Camaldulenſium Prior in Conſtitutionibus anni 1080. cap. 11. *Abſtinentia in hoc loco tunc dicitur, cùm nihil præter panem, et aquam, aut [ſi cui placet] ſalis adiectionem, edentibus miniſtratur*. Petrus autem Damiani Opuſc. 14. de Ordine Eremitarum Fontis Avellani, inquit: *Jejunare autem illos dicimus, qui panem cum ſale, et aqua percipiunt; ubi præter hæc aliud quid additur, perfectum Jeiunium* [ſive, ut habet Opuſc. 15. cap. 6. *in Eremo Jejunium*] *non vocatur*. Itaque idem ſonat apud Rodulphum *Abſtinentiæ* nomen, quod apud Damianum *Jejunii* perfecti, ſive Eremitici vocabulum: ubi verò pulmentum quodvis, unica refectione ſervata, admittitur, à Rodulpho *ſimplex Jeiuniū*,

à Petro Damiani *unica Refectio* nuncupatur. Rurſus *Quinque dierum per hebdomadam Jejunium* apud Petrum Damiani idem ſonat, quod *Triduana, et Biduana Abſtinentia* penes Rodulphum; nam, ut inquit Paulus Juſtinianus in Regula Vitæ Eremiticæ cap. 27. *Biduana, et Triduana tunc vocabantur Jejunia, cùm feria ſecunda, tertia, et quarta, et poſtea ſexta feria, et Sabbato in pane, et aqua jejunabant: ut priorum ſcilicet trium dierum Triduana, ſequentium verò duorum Biduana diceretur Abſtinentia*. Quę quidem monuiſſe oportuit, ne ex diverſitate ſoni verborum, ſenſuum quandoque varietas argueretur.

VII. Nunc quo anni tempore hęc Tridui, Biduique ſeu quinque per hebdomadam dierum abſtinentia (ex dictis Diſſert. I. cap. 3. num. 3. ab ipſomet Romualdo cunctis Eremiticę ſuæ Diſciplinę Sectatoribus pręfixa) apud Avellanitas obtineret, ex Petro Damiani Opuſc. 14. et 15. cap. 6. diſcamus: *Ab Idibus*, inquit, *Septembris, uſque ad Reſurrectionem Dominicam, quinque per hebdomadam diebus tenetur hic ex more Jejunium*. Quamdiù verò id obſervarent Camaldulenſes, docet B. Rodulphus Prior in Conſtitut. cit. cap. 11. ubi ait: *A principio majoris Quadrageſimæ, uſque in Paſchalem ſollemnitatem, per ſingulas hebdomadas Triduana, et Biduana in hac Eremo ſervari ſolet Abſtinentia*. Qui et cap. 14. ſubdit: *A ſolemnitate B. Martini, uſque ad Nativitatem Salvatoris, quadrageſimalis ſit obſervantia, ſicut in majori Quadrageſima præmiſſa eſt*. Et in Conſtitutionibus anni 1085. *In his*, inquit, *prædictis Quadrageſimis, quinque dies in pane, et aqua, et ſale, mos eſt jejunare*. Itaque propiùs etiam

etiam, quàm Camaldulenſes, accedebant Avellanitę in hoc propoſito ad D. Romualdi inſtitutum, dum perfectum Eremiticum jejunium à S. Patre [ex ejus Vita cap. 9.] in quinque hebdomadæ dies per Triduanas, et Biduanas diſtributum, nedum in utraque Quadrageſima (ut Noſtri) obſervabant, ſed ampliùs per duos menſes ante feſtum S. Martini, et deinceps ab Octava Nativitatis Domini (quam quidem à jejunio exemptã voluere, ut infra patebit) ad initium majoris Quadrageſimæ; ſcilicet omninò *Ab Idibus ſeptembris uſque ad Paſcha Domini*, Abſtinentiæ hujus rigori ſupponebantur.

VIII. Tres porrò Octavæ, Reſurrectionis, et Natalis Domini, ac Pentecoſtes, et hę quidem ſolæ, tam apud Avellanitas, quàm Camaldulenſes, à communi Abſtinentia, et Jejunio Eremitico eximebantur: de primis enim ita ſcribit Petrus Damiani Opuſc. 14. et 15. cap. 6. *Tres autem ſolummodò Octavæ per annum ita celebrantur, ut jejunare hìc nemo cogatur, ideſt Dominicæ Reſurrectionis, et Sanctę Pentecoſtes, atque Natalis Domini: quãquàm in Octavis Pentecoſtes, et Eccleſiaſtica traditio, et Patrum decernat auctoritas* [pro quatuor nempè temporibus] *jejunandum. In reliquis verò Octavis quarumlibet Feſtivitatum, Eccleſiaſticum quidem, prout regularis Ordo poſtulat, tenemus Officium, tenorem verò conſueti jejunii non mutamus*. De ſecundis verò B. Rodulphus Prior in Conſtit. anni 1085. ſic tradit. *Mos eſt per unamquamque hebdomadam, abſque Octava Natalis Domini, ejuſque Reſurrectionis, et Pentecoſtes, in pane, et aqua, et ſale jejunare: et aliam nullam octavam ſic celebrare, niſi has tres,*

quas

quas ſupra hic modò diximus. Et in aliis Conſtitut. anni 1080. cap. 12. hæc habet. *In Paſchali verò hebdomada, non ſolùm relaxatur Abſtinentia, ſed etiam Jejunium ſolvitur. In Pentecoſte eadem obſervari debent, quæ in Paſchali ſollemnitate commemorata ſunt, excepto quòd jejunia quatuor temporum in hac hebdomada, ſexta feria abſtinentiæ deputata, ritu Eccleſiaſtico ſimpliciter obſerventur*. Et mox cap. 15. *Die quoque ipſius Nativitatis jejunium ſolvitur, cæteris verò diebus per totam Octavam ſola abſtinentia relaxatur*.

IX. Rurſus, toto Paſchali tempore quatuor per hebdomadam diebus dumtaxat, tum apud Avellanam, tum apud Camaldulum, Jejunii cenſura ſervabatur, tertia, et quinta feria, præter Dominicum diem, geminæ refectioni deputatis: unde Petrus Damiani locis ſupra citatis ait. *Ab Octavis nempè Dominicæ Reſurrectionis, uſque ad diem Sanctum Pentecoſtes, quatuor dies per hebdomadam jejunatis; præter Dominicum verò diem, de cujus reverentia nullus addubitat, tertia feria, et quinta feria bis in die reficitis*. Sabbati tamen jejunium non perfectum, ſed ſimplex erat, unica nempe refectione circumſcriptum, ſed Vino, et Pulmento Eremitis permiſſo, ait enim Damianus Opuſc. 15. cap. 15. *Non grave videatur fratri etiam Sabbato refectionem ad Nonam horam uſque differre: ut ſemel quidem ipſo die reficiatur, ſed tamen Vinum, atque pulmentum percipere ex hujus noſtræ Inſtitutionis indulgentia non vetetur*. Quod ipſum B. Rodulphus Prior in Conſtitut. cit. cap. 12. ſic breviùs exprimit. *Poſtmodum verò* (ab Octava Paſchatis) *tribus in hebdomada diebus* (*nempe feria ſecunda, quarta et ſexta*) *uſque Pentecoſten repetitur*

petitur

petitur Abſtinentia, Sabbata verò ſimplici Jejunio deputantur.

X. Jam ab Octava Pentecoſtes, uſque ad Nativitatem S. Joannis Baptiſtæ quatuor quidem ſolis diebus Abſtinentia, ſeu perfectum Jejunium utrobique in uſu fuerat, ſed præterea Feria tertia ſimplici Jejunio conſecrabatur, quæ deinceps à Feſto S. Joannis, uſque ad Idus Septembris geminæ refectioni addicta erat, prorſus ut Paſchali tempore conſueviſſe notavimus. En Petri Damiani verba Opuſc. 14. et 15.cap.6. *Ab Octava verò Pentecoſtes, uſque ad Nativitatem B.Joannis, tertia quidem feria pulmentum fratribus bora nona tribuitur, quinta verò feria refectio iteratur. Porrò à feſtivitate S. Joannis uſque ad idus Septembris, tertia, et quinta feria bina refectio in die tenetur, reliquis verò quatuor diebus jejunium ex more ſervetur.* Cui ſic conſonat B. Rodulphus loco cit. cap. 13. *Deinceps autem* [ab Octava Pentecoſtes] *uſque in feſtivitatem S. Joannis, quatuor diebus in hebdomada deputatis Abſtinentiæ, tertia feria ſimpliciter jejunatur, quinta verò geminatur refectio. De cætero uſque idus Septembris eadem quatuor dierum ſervatur Abſtinentia, tertia et quinta feria geminæ refectioni deputatis.*

XI. Cùm igitur ejuſmodi obtineret apud Avellanitas, atque Camaldulenſes per totum anni curriculum Eremiticę Abſtinentiæ à S. Romualdo inſtitutæ diſtributio, paris moderationis tenore utrobique obſervato, qua diſtrictione duplicis Quadrageſimæ curſum tam hi, quàm illi peragere conſueverint, videamus. De S. Romualdi Diſcipulis legimus in ejus Vita cap.9. quòd: *In duabus anni Quadrageſimis, non ſolùm ipſe* (Romualdus) *ſed*

ſed plerique ſui Diſcipuli, totius hebdomadæ ſoliti erant continuare jejunium. Idipſum de nonnullis ſuo tempore Camaldulenſibus Eremitis teſtatur B. Rodulphus Prior in Conſtitutionibus anni 1085. et Petrus Damiani de Avellanitis Opuſculo 14. ſic loquitur. *De duabus illis Quadrageſimis, quæ vel Natalem Domini, vel Sanctum Paſcha præcedunt, licèt ego taceam, vos tamen ſcitis, quia nonnulli hìc ſunt, qui abſque diebus Dominicis, duplex illud Quadrageſimale ſpatium totum jejunando tranſcurrere ſolent, exceptis tribus Sollemnitatibus, S. videlicet Andreæ, et S. Benedicti, et Annunciatione Dominica*. Et Opuſc. 15. cap. 6. *Duabus autem illis Quadrageſimis, quæ vel Natale Domini, vel Sanctum Paſcha præcedunt, nonnulli fratres hìc ſunt, qui totam hebdomadam jejunando tranſcurrunt, et quotidie, exceptis diebus Dominicis, in pane, et aqua vivunt*.

XII. Reliqui autem, qui tam rigidi jejunij continuationem ferre non poterant, ſola Triduana, et Biduana Abſtinentia contenti, *Olera, vel quodcunque liquamen* Feria quinta, et Dominicis diebus utriuſque Quadrageſimæ ad refectionem addebant: à Piſcibus tamen, et Vino, ſollemnioribus quibuſdam diebus exceptis, tum Avellanitæ, tum Camaldulenſes omnes pariter abſtinebant; de primis enim inquit Petrus Damiani tum Opuſc. 14. tum 15. cap. 6. *In prædictis duabus Quadrageſimis conſuetudo tenuit, ut neque Monachis, neque Laicis Vini, vel etiam Piſcis perceptio concedatur, exceptis his quatuor feſtivitatibus, Sancti ſcilicet Andreæ, et B. Benedicti, et Dominica Palmarum, et Cæna Domini, quibus nimirum ſacratiſſimis diebus Piſces, et Vinum, excellentium ſollemnita-*

tum

tum lætitia invitante, percipiunt. De ſecundis autem B. Rodulphus Prior in Conſtit. anni 1085. inquit: *Mos eſt in binis Quadrageſimis Piſces nullatenus edere, vel Vinum bibere, niſi in ſollemnitate S. Andreæ, et Sancti Benedicti, et Sanctæ Mariæ, et Dominica in Palmis, ſi aliqua ex parte Dominus tranſmiſerit, et in Cæna Domini*. Similiterque in aliis Conſtitutionibus anni 1080. cap. 11. ait. *Vinū quoque poſt initium Quadrageſimæ magnæ, ac etiam Adventus Domini non datur, niſi in Dominica Palmarum, et feſtis declaratis, et in Cæna Domini, in Feſtivitatibus B. Mariæ, Sanctique Benedicti*:

XIII. Speciatim tamen in Sabbato Sancto, et Vigilia Natalis Domini, ob labores chori, Vinum et Panem largiori menſura ſumere utriuſque Loci inſtitutio permittebat: Sic enim Opuſc. 14. et 15. cap. 6. loquitur de ſuis Avellanitis Damianus. *In Sabbato autem Sancto, nec non et Vigilia Nativitatis Domini, ut labor Eccleſiaſtici relevetur Officii, totum panem, qui voluerint, comedunt, alium verò cibum, ſive Laici, ſive Monachi, penitus non admittunt*. Et B. Rodulphus Prior de Camaldulenſibus Eremitis ſic ſtatuit loco proximè citato cap. 11. *Sabbatum verò* (Sanctum) *Sacri Baptiſmi abſtinentiæ deputari debet, ſed pro labore Officii ſequentis Paſchæ, biſcoctus Panis, cum ſobria perceptione Vini, poteſt fratribus indulgeri*, Et mox cap. 14. ait: *In Vigilia verò Dominicæ Nativitatis idem obſervandum eſt, quod in Sabbato Sancto diximus obſervari*.

XIV. Ideò autem *totum panem integrum* Damianus æquè, ac Rodulphus ſpeciatim notant prævio Reſur-

rectionis, et Natalis Dominici die dumtaxat permiſſum, quia cęteris Jejunii diebus quinque tantùm panis octantes, certa menſura, præfixoque pondere libratos, unicæ ſuę refectioni impendebant: unde Petrus Damiani Opuſc. 15. cap. 8. ait. *Panis autem eadem in Eremo, quę et in Monaſterio eſt menſura, hac tamen diſcretione ſervata, ut in diebus quidem refectionis, ſive ſingulæ, ſive binæ, ſi totum vult frater comedere, reprehenſioni non cogitur ſubjacere. In diebus verò jejunii, quia unuſquiſque Frater Lances habet in Cella, illis ſemper librat quod ſibimet cœnaturus apponat. Menſura autem illa hunc habet modum, ut ſuperaddito quadræ dimidio* (hoc eſt octava parte) *dimidium buccellæ totius appendat, quadra videlicet remanente integra ſemis* [hoc eſt tribus octantibus reſiduis] *Et ut nulla dubietas ſuper hujuſmodi menſura remaneat, novem ornicum, vel tria anſerum ova libratis lancibus tantundem penſant*. Et B. Rodulphus Prior in Conſtit. anni 1085. ſimiliter ait; *Unuſquiſque Frater Lances in cella habet, cum quibus penſat tres panes, quos accipit omnes dies dominicos, et quinta feria*. Quod ipſum teſtantur etiam Paulus Juſtinianus in Regula Vitæ Eremiticæ cap. 29. et Fortunius Hiſt. Camal. p. 1. l. 1. c. 58. Idque totum ex S. P. Romualdi inſtitutione deductum eſt, qui ita ad certam menſuram jejunantium commeatum exegit, ut intra dimidii paximatii (ſeu panis biſcocti) medietatem ſuos Diſcipulos primò contineret, tum uberiori cibo indigentibus quadrantem ejusdem panis inſuper indulſerit; quemadmodùm B. Petro Urſeolo contigit: Nam poſtquam is S. Patris pedibus advolutus neceſſi-

tatem

tatem ſuam aperuit: *Pater*, inquit, *quia magnum corpus habeo pro peccatis meis, ex hac paximatij medietate ſuſtentare me non poſſum. Statim Romualdus fragilitati piè compatiens, conſuetæ menſuræ quadram paximatii ſuperaddidit, et ſic labenti jam fratri, ne omninò deficeret, miſericordiæ manum tetendit &c.* ut legimus in Romualdi Vita cap. 8.

XV. Obiter autem notare juvat, ex Damiani loco paulò anteà laudato erui poſſe præciſam panis menſuram à S. P. Benedicto cap. 39. Regulæ præſcriptam ibi: *Panis Libra una propenſa ſufficiat in die, ſive una ſit refectio, ſive prandii, et cænæ*. Quod quidem libræ pondus, ſimul cum menſura heminę vini, idem S. Benedictus B. Mauro in Gallias dimiſſo conſignavit, ut narrat Fauſtus in ejus Vita apud Surium: ſed et Caſſinenſes Monachi, Longobardorum incurſionem fugientes, idem pondus, et menſuram ſecum Romam aſportarunt, ex Leone Oſtienſi in Chronico Montis Caſſini lib. 1. cap. 2. Reginone l. 1. Chron. et Sigeberto ad annum Chriſti 596. Nec non Monachi à Theodemaro Caſſinenſi Abbate miſſi ad Carolum Magnum in Gallias, Monaſticæ Diſciplinę inſtaurandę cauſa, pondus 4. librarum, menſuraſque prandii, et cænæ ſecum detulerunt: licèt autem in Aquisgranenſi Cōcilio Can. 57. deciſum fuerit, *Ut libra Panis 30. ſolidis per 12. denarios metiatur*; dum tamen eorumdem ſolidorum pondus non innoteſcit, ęquè in obſcuro remanet vetuſta illa Monaſtici panis menſura. At ex præmiſſo Petri Damiani textu, hoc ſaltem elicitur, ejus tempore quinque hujusmodi libras ovis anſerum 24. æquali

Digitized by Google

pondere correſpondiſſe: cùm enim teſtetur, *eandem* (extra jejunij dies) *in Eremo, quæ in Monaſterio, menſuram panis* in uſu fuiſſe, atque hanc, jejuniorum tempore, uno quadrante, et dimidio imminutam (*quadra videlicet remanente integra ſemis*) ſeu ad quinque octantes redactam, *tantundem ac tria anſerum ova pendiſſe aſſerit*; utique menſuram illam integram pondere çqualem fuiſſe indicat quinque hujuſmodi ovis, dempta parte unius quinta: adeòque integras quinque Monaſticas panis menſuras ovis 24 æquivalentes fuiſſe, ut facili ſubducto calculo conſtare poteſt. Verùm ad alia, reſumpto tantiſper ſpiritu, tranſeamus.

CAPUT IV.

Aliæ Avellanitarum, et Camaldulenſium convenientiæ.

SYNOPSIS.

Similis apud Avellanitas, et Camaldulenſes Vini abſtinentia. Num. 1. *Eadem Servorum diſciplina.* 2. *Par Vigiliarum obſervantia.* 3. *Item Feſtorum diſcretio.* 4. *Quæ in Feſtis transferendis apud utroſque conſuetudo.* 5. *Æqualis Nudipedij cultura.* 6. *Necnon Metanœarum, Diſciplinæ, et Capituli uſus.* 7. *Flagellationum, aliorumque ejuſmodi exercitiorum menſura ſingulorum arbitrio utrobique relicta.* 8. *Diſcre-*

Diſcreta, et occulta erga debiles relaxatio pariter recepta. 9. *Diſciplina pſallendi à Romualdo utriſque præſcripta.* 10. *B. Mariæ Virginis Officium à Petro Damiani utriſque propoſitum.* 11. *Par utrobique erga Defunctos pietas.* 12. *Somni poſt Nocturnum æqualis declinatio.* 13. *Idem Silentij rigor.* 14. *Similis Inſtabilitatis, et Vagationis fuga.* 15. *Cellæ uſus utriſque pariformiter commendatus.* 16. *Perſeverantiæ pretium utriſque inculcatum.* 17. *Alia S. Romualdi Monita his, et illis communia.* 18.

I. Reliquos Veterum Avellanitarum mores, et correſpondentes Eremitarum Camaldulenſium conſuetudines hoc Capite proſequemur; illudque ante omnia notabimus, uſum Vini primò penitus utrisque ignotum, mox ſobria menſura [extra dies abſtinentiæ, ſeu perfecto jejunio dicatos, de quibus ſupra] permiſſum. De S. Romualdi apud Sitriam Diſcipulis teſtatur ipſe Damianus in ejus Vita cap. 64. quòd *Vinum ibi nemo noverat, nec ſi etiam graviſſimam quis ægritudinem pateretur*. Mox a B. Rodulpho Camaldulenſi Priore in Conſtit. anni 1080. cap. 23. ſancitum legitur: *Vinum quidem ab Eremitis alienum eſſe cognoſcitur, ſed quia defectio, et noſtri temporis, ac naturæ debilitas id omninò non patitur, rarò quidem, et ſobriè hujuſmodi potum percipere ſolent, ut qui nequeunt cum Joanne abſtemiam frugalitatem ſervare, vel cum Timotheo ſobria parcitate utantur*. Et Petrus Damianus Congregationis ſuæ Inſtituta recenſens, tum Opuſc. 14. tum 15. cap. 6. ſic pariter habet: *A vino autem, ut noſtis, aliquanto tempore continuimus, itaut neque Laici, neque*

Digitized by Google

que extrinſecus venientes, vel etiam in Paſcha Domini, aliquid hìc præter aquam biberent: neque vinum hìc, niſi pro Sacrificio haberetur. Sed quoniam et hìc manentes cœperunt ægrotantes deficere, et quidam ad Eremum tranſire cupientes, hujus rigoris obſervantiam penitus abhorrere: fraternæ, ſive ut veriùs dicam, communi imbecillitati diſpenſatoriè condeſcendentes indulſimus, ut vinum hìc, ſervato ſobrietatis moderamine, biberetur: ut quod cum Joanne non poſſumus ex toto relinquere, ſaltem cum Timotheo Pauli Diſcipulo ſtudeamus infirmo ſtomacho ſobriè, et humiliter miniſtrare; et qui prorſus abſtemii eſſe non poſſumus, eſſe ſaltem ſobrii ſtudeamus.

II. Ne quis verò miretur, olim et Laicos ipſos apud Avellanam à vino abſtinuiſſe, quandoquidem et ad ipſos Famulos, tum ibi, tum apud Romualdinos, jejunii cenſura exporrigebatur; nam in Vita S. Romualdi cap. 64. poſtquàm diſtrictam Diſcipulorum Sitriæ vivendi rationem deſcripſit Damianus, hæc ſubdit: *Sed cur ego de Monachis loquor, cùm et ipſi Monachorum Famuli, ipſi quoque Cuſtodes pecorum jejunarent, &c.?* Deque Avellanenſis Eremi Servis Opuſc. 15. cap. 7. ſic pariter loquitur. *Famuli quoque, qui huic loco deſerviunt, ab aſſignato ſibi vivendi ordine non recedunt: qui nimirum per totius annalis ſpatii curſum tribus per hebdomadam diebus tenent ex more jejunium: In illis autem duabus Quadrageſimis quatuor dies jejunio dedicant, &c.* Superfluit autem iterū commonere, jejunia in pane et aqua hìc ſemper ſignificari, non verò de unica dumtaxat diurna comeſtione ſermonem eſſe.

III. At præter illos, qui per ſingulas hebdomadas præ-

præſcipti fuerant, ejuſmodi abſtinentiæ dies, Sanctorum etiam pervigilia eadem diſtrictione celebrari, tum apud Camaldulum, tum apud Avellanam conſueverant; neque illa dumtaxat, quæ communi ab omnibus jejunio excipiuntur, ſed illa etiam, quæ geminam ex Eccleſiæ præcepto refectionem non prohibent, ut ſe habet Vigilia Epiphaniæ, nec non SS. Philippi, et Jacobi Apoſtolorum; unde B. Rodulphus Prior in Conſtit. cit. cap. 17. inquit: *Vigiliæ Sanctorum, quæ in Eccleſia ſtatutæ ſunt, et Epiphaniorum quoque, atque Sanctorum Philippi, et Jacobi, licèt in uſu ſecularium non habeantur, in hac Eremo* (Camaldulenſi) *abſtinentiæ deputandæ ſunt*. Et Petrus Damiani tom. 1. lib. 6. Ep. 35. ad ſuæ Congregationis Eremitas de Octo Vigiliarum jejunio ſcribens, cùm alias commendat, tum illas Epiphaniæ, et SS. Philippi et Jacobi ſpecialiùs inculcat, dicens: *Epiphaniarum quoque Vigilias, ob magnitudinem ſollemnitatis, in qua videlicet tot in unum ſacramenta concurrunt, dignum eſt jejunare*, et infra: *Unde et illud graviter ferimus, quia plerique fratres, dum jejunare in Beatorum Apoſtolorum Philippi, et Jacobi Vigiliis perhorreſcunt, ſollemnitatem Pentecoſtes in excuſationem ſuæ diſſolutionis opponunt: dicentes, non debere quemquam ſub jejuniorum tunc cenſura conſtringi, cùm tempus dictet, Paſchalibus potiùs gaudiis epulari*. Quod varijs poſtmodum rationibus, et exemplis S. Doctor confutat.

IV. At ſi Vigiliæ perfecto panis, et aquæ jejunio conſecrabantur, viciſſim Feſti dies ab omni tum abſtinentia, tum ſimplici jejunio refectionis unius, à Paſchate uſque ad Idus Septembris, eximebantur; ab Idibus

bus verò Septembris ad Paſcha, ſola panis, et aquæ abſtinentia vacabant, ſed unicæ tamen refectioni, præcipuis quibuſdam Sollemnitatibus exceptis, deputabantur; ait enim B. Rodulphus Prior in Conſtitut. anni 1080. cap. 13. *In Feſtivitatibus verò, quæ à Paſcha uſque ad hunc terminum* (Iduum Septembris) *occurrunt, et abſtinentia remitti, et jejunium ſolet abſolvi. Poſt Idus Septembris, uſque Quadrageſimam, quæ infra hoc ſpatium accidunt feſtivitates, abſtinentiam quidem relaxant, jejunium verò minimè ſolvunt*. Et Petrus Damiani Opuſc. 15. cap.6. *In feſtivitatibus duodecim lectionum, quæcunque veniunt ab Idibus Septembris uſque ad Reſurrectionem Domini, ſemel tantùm reficiant fratres, exceptis videlicet his Sollemnitatibus, Omnium Sanctorum, S. Martini &c.*

V. Nec tamen adeò frequentes occurrebant tunc temporis feſtivitates duodecim lectionum officio celebrandæ, ac nunc paſſim habemus, ſed multò rariores, atque hæ ipſæ non ſemper in Eremo, ſicut in Monaſterio obſervari conſueverant, ſed ad jejunii obſervantiam, ubi in Feriam abſtinentiæ deputatam incidebant, in opportuniorem diem transferrebantur; ait enim loco cit. Petrus Damiani: *Notandum autem, quia non omnes, quæ in Monaſterio, etiam in Eremo celebrantur feſtivitates: et hæ, quę illic fiunt, plerumque tranſmutantur, ut aut in tertia, aut in quinta feria celebrentur: exceptis nimirum præcipuis feſtivitatibus, quæ, ob reverentiam dignitatis, mutari non poſſunt*. Cui conſonat B. Rodulphus Prior Camald. in Conſtit. anni 1085. dicens: *Si verò, ut aſſolet, feſtivitas, de qua duodecim lectiones agere oportet, in his feriis*

[jeju-

[jejunio ſcilicèt deputatis] *venerit, more ſolito ſic facere eſt conſuetudo: ſi fuerit in ſecunda feria, perducere eam in tertiam feriam: ſi venerit in quarta feria, perducere in quintam: et ſi fuerit in ſexta feria, deducere in Sabbato, et pulmento uti, et vino. Hoc autem factum eſt propter jejunium celebrandum in ſecunda, et quarta, et ſexta feria. Has autem feſtivitates, ideſt Sancti Salvatoris, quatuor ejuſdem Genitricis &c. nunquam mutare.*

VI. At de Abſtinentiæ ratione ſatis: de reliquis Camaldulenſium, Avellanitarumque exercitijs nonnulla pariter adnotemus. Pedum nuditatem à Diſcipulis S. Romualdi obſervatam notat Damianus in ejus Vita; nam et in Pereo illos nobis deſcribit cap. 26. *Incluſos, diſcalceatos, incultos*: et apud Sitriam teſtatur cap. 64. *Omnes nudis pedibus incedentes, atque incultos* manſiſſe. Idque Recluſi ſaltem Eremitę ad hæc uſque tempora obſervare jubentur in Regula Vitæ Eremiticæ Pauli Juſtiniani cap. 54. ibi: *Nudis pedibus ſemper permaneant, uſque tamen ad talos caligas ferre poterunt, ſi hoc fuerit ſibi à Majore pro aliqua cauſa conceſſum, dummodò diſcalceatos ſemper omninò pedes habeant*. Omnes verò, etiam apertos Eremitas, diebus abſtinentiæ deputatis, refectionem ſuſcipere conſueviſſe in proprijs cellis, *nudis pedibus ſuper pavimento ſedentes*, docet B. Rodulphus in Conſtit. anni 1080. cap. 20. idemque Juſtinianus loco cit. cap. 32. et 38. confirmat. De Avellanitis autem eandem diſciplinam tradit Petrus Damianus Opuſc. 14. et 15. cap. 11. dicens: *Illud etiam non minima pars pænitentiæ eſt, quòd omni tempore, ſive æſtate, ſive hyeme, non calceis,*

non ocreis utuntur in cellulis, ſed nudis ſemper cruribus, et pedibus conſuetudo eſt permanere, exceptis his, qui gravi moleſtia infirmitatis urgentur.

VII. In metanæis autem, palmatis, diſciplinis, aliſque piis hujuſmodi exercitiis, quantus utrobique fervor eſſet, intelligimus ex Rodulpho Priore in Conſtitutionibus anni 1085. de ſuis Camaldulenſibus ſic loquente: *Nam quis dignè narrare valeat ea, quæ hujus Eremi fratres per omne tempus ſolent agere, bonorum ſcilicet operum; ideſt ictus ſcoparum, diſcurrentes lacrymas, innumerabiles metanæas, cordium ſuſpiria, continuam pſalmodiam, orationum inſtantiam, ſacras vigilias &c.?* Et ex Petro Damiani Opuſc. 14. de Avellanitis ſic ſcribente: *In cæteris autem ſpiritualis exercitii ſtudiis, quæ ſit continui fervoris inſtantia, quæ ſollicitudo, quàm vigil, et operoſa frequentia, timeo dicere....hoc tamen mihi liceat, quia tanta eſt diligentia in flexionibus genuum, in diſciplinis ſcoparum, et cæteris hujuſmodi, &c.* Speciatim verò quanta fuerit in voluntariis verberationibus, tum publicè in Capitulo ſuſcipiendis, tum privatim in cellula ſibimet inferendis, utriuſque Eremi conſenſio, explicari vix poteſt: enimverò ex ejuſdem Petri Damiani Epiſtolis, et Opuſculis nihil magis relucet, quàm Diſciplinæ (ut vocant) conſuetudo, fervidis ejus admonitionibus, Sanctorumque Diſcipulorum ſuorum, in primis verò Dominici Loricati, et Rodulphi Eugubini Epiſcopi [de quibus lib. 1. ep. 19. ad Alexandrum II. fuſiùs agit] exemplis, ſtabilita, dilatata, et adversùs obtrectatores quoslibet vindicata. Camaldulenſibus vero hanc pariter in uſu

fuiſſe

fuiſſe patet, tum ex Vita S. Romualdi cap. 38. ubi B. Guido *Juſſus fuerat à Priore neſcio quot Scopas accipere*, et cap. 64. ubi vel *ipſi Monachorum famuli diſciplinas inter ſe invicem faciebant:* Tum ex Conſtitutionibus anni 1080. B. Rodulphi Prioris cap. 19. ubi habetur, quòd Eremitę Camaldulenſes *Omni Dominico die in Capitulo convenientes, præmiſſa exhortatione fraterna, ſe invicem debent accuſare charitativè: poſtremò communi confeſſione pręmiſſa, verberum ictus ſuper nuda membra ſuſcipiunt, non tam cauſa cruciandi corpora, cùm ſibi graviora in cellulis ſupplicia infligant, quàm ſtudio divinæ paſſionis, et humilitatis exempla ſectandi, ad confuſionem illius, qui eſt Rex ſuperbiæ;* Et de Priore Camaldulenſis Eremi ſic ſtatuit cap. 53. *In Capitulo cum fratribus ſæpe conveniat, et præmiſſis Metanæis, ſuos confiteatur exceſſus, ut ipſe à vitijs fiat emendatus, et alijs emendationis formam oſtendat.* Cui non diſſimile eſt Petri Damiani monitum ad Avellanæ Priorem Opuſc. 15. cap. 31. ubi ait: *Aut numquàm, aut rarò Capitulum cum fratribus celebretur, quo, miſſa Metanæa, te non accuſes.*

VIII. Ejuſmodi porrò exercitia utriſque non ex imperio indicebantur, ſed cujuſvis arbitrio relinqui conſueverant. Nam de ſuis Avellanitis ait Damianus Opusc. 15. cap. 18. *Super Metanæis verò, Diſciplinis, atque palmatis, ſive etiam brachiis extendendis in Orationibus, cæteriſque ſancti fervoris exercitiis, nulla fratrem lege conſtringimus, quin potius ſuæ comittenda proviſionis arbitrio judicamus. Sunt enim, quibus horum aliqua non conveniunt, atque ideò tutum videtur, atque liberius, ut in talibus magis*

optio proponatur, quàm definitiva regulæ ſententia præſcribatur. De Camaldulenſibus verò idem Rodulphus loco cit. cap. 35. ſic ſcribit. *In Metanæis verò, et palmatis, vel ſcoparum ictibus, aliiſque ſimilibus obſequiis, vel operibus, ſeu artificiis, quisque debet exerceri, prout facultas tulerit, vel utilitas ſuaſerit, ſeu divina inſpiraverit gratia: in talibus enim voluntaria ſuadetur oblatio, non coactio imponitur; unuſquiſque in hac parte ſuas metiatur vires, computet ſumptus, moderetur affectus*.

IX. Quæ verò Eremitis utriuſque Congregationis communi lege præſcripta erant, eadem nihilominus, debiliorum reſpectu, diſcreta diſpenſatione, pro Superioris arbitrio, temperabantur: occultè nihilominùs, et clam cæteris, ne receptam pleriſque ſolitarijs diſciplinam, paucorũ exemplis, labefactari, et in deſuetudinem paulatim abire contingeret. Audiatur Damianus Opuſc. 15. cap. 16. *Si unus, aut fortaſſe plures indigent, quod ij, qui incolumes ſunt, neceſſe non habent, clam videlicet, et occultè ſic infirmis pia exhibeatur humanitas, ut valentes, ſine invidiæ ſtimulo, in ſui rigoris permaneant diſciplina: neque enim neceſſe eſt, quod uni caſus irrogat, illicò regulare omnibus fiat*. Cui B. Rodulphus ſic conſonat in Conſtit. anni 1080. cap. 30. *Debilibus autem, et tenerioribus ſiqua diſpenſatio in alimentis, aut veſtibus neceſſaria ſit, ſapienter, et cautè fieri debet, ut ita indigentibus exhibeatur pia diſcretio, ne inde fortioribus noxia generetur diſſolutio: nam ſpecialis, vel ſingularis conceſſio non debet trahi ad conſequentiam cæterorum, ne de unius, vel paucorum indulgentia, naſcatur plurimorum enormitas*.

X. Non

X. Non minor in diſciplina pſallendi conſenſio utriuſque familiæ obſervari poteſt. Duplex illis pſalmodia in uſu erat, privata, et publica. Illa duobus pſalterijs continebatur quorum alterum pro Vivis cum adiectionibus nonnullis, quas S. Romualdus apponi juſſerat, quotidie recitabant, alterum pro Defunctis, quandoque totum, quandoque ex parte, ſingulis diebus ſinguli in ſuis cellulis perſolvebant; ait enim B. Rodulphus in Conſtit. anni 1080. cap. 35. *Duo itaque pſalteria cum Adiectionibus ſuis* [hæ quid eſſent ex Damiano infra intelligemus] *Per utramque Quadrageſimam quiſque frater per ſingulos dies perſolvat: in alijs verò temporibus, unum pro Vivis debet celebrare Pſalterium, pro Defunctis autem totum, aut dimidium, vel ad minùs tertiam partem.* Petrus autem Damianus Opuſc. 14. ſic habet: *De Pſalmodia verò conſuetudo eſt, ut cùm duo fratres ſimul commorantur in cella, duo perſolvant in die Pſalteria, unum pro Vivis, alterum pro Defunctis. Et illud quidem quod eſt Vivorum cum illis dicitur Additamentis, quæ B. Romualdus appoſuit: quod verò pro Defunctis cum novem lectionibus dicitur, tribus nimirum per quinquagenos pſalmos. Qui autem ſolus moratur, Pſalterium quidem Vivorum totum per ſingulos dies adimplet; Defunctorum autem ſive medium, ſive totum, juxta quod virium poſſibilitas adminiſtrat.* Quę omnia repetit Opusc. 15. cap. 9. dumtaxat uberiùs explicans *Additamenta* illa B. Romualdi, ſive *Adiectiones*, ut Rodulphus appellat, Pſalterio Vivorum conjungendas: ait enim: *Illud quidem* (Pſalterium) *quod eſt Vivorum, cum illis dicitur Additamentis, quæ B. Romualdus apponit, quæ*

etiam

etiam nos non gravemur inſerere, ne nos conqueratur fortè Novitius, quæ ſibi magnoperè noſcenda ſunt, præteriſſe. Decurſis planè quinque pſalmis, protinus ſubinſertur: Gloria tibi Trinitas, æqualis una Deitas, et ante omne ſæculum, et nunc et in perpetuum. Orate pro nobis omnes Sancti Dei, ut Digni efficiamur promiſſionibus Domini Dei noſtri Jeſu Chriſti. Pater noſter. His expletis, mox ſubditur: Adiutorium noſtrum in nomine Domini, qui fecit cælum, et terram. Et evolutis aliis quinque pſalmis, tunc dicitur: Te Deum Patrem ingenitum, te Filium unigenitum, te Spiritum Sanctum paracletum, Sanctam, et individuam Trinitatem, toto corde, et ore confitemur, laudamus, atque benedicimus, tibi gloria in ſæcula. Amen. Domine Deus in adiutorium meum intende, Domine ad adiuvandum me feſtina. Confundantur, et revereantur inimici mei, qui quærunt animam meam. Adiutor meus, et liberator meus eſto, Domine ne tardaveris. Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto. Quo finito, rurſus dicitur: Adiutorium noſtrum in nomine Domini. Hæc igitur per quinquenos pſalmos alternatim ſemper adduntur, donec Pſalterium, cum tribus Dominicalibus, nec non et totius hebdomadæ Canticis, expleatur. His etiam non neglectis, quæ in fine Pſalterij videntur adiecta, videlicet; Te Deum laudamus; Nunc dimittis ſervum tuum; duobus Symbolis; Gloria in excelſis Deo; Pater noſter, cum Fide Catholica; poſtremò Litania cum Orationibus hæc omnia conſueto fine concludunt.

XI. Prætereà, ex inſtitutione ejuſdem Petri Damiani, B. Mariæ Virginis Officium, vel in Choro communiter, vel unuſquiſque privatim in ſua Cella, quotidiè recitabant utriuſque loci Sectatores; ut colligitur

ex ejuſdem Damiani Vita cap. 15. et ex Epiſt. 32. libri 6. ubi et Monaſterium S. Vincentij divinitus afflictum narrat, ob intermiſſum B. Mariæ Virginis quotidianum Officium ab ipſo inſtitutum, nec niſi poſt peractam neglecti hujus penſi pœnitentiam, et ſeriam conſuetudinis hujus deinceps inviolabiliter obſervandæ promiſſionem, priſtinæ tranquillitati cęnobium redditum fuiſſe aſſeverat; atque hoc ipſum diurnum horarum B. Virginis penſum, ad nos hæreditatis nomine tranſmiſſum, hodiedum obtinet, de quo Conſtitutiones Monachorum Camaldulenſium ſub Pio V. cap. 18. ſic habent: *Illud ante oculos noſtros ponere Patres ſtatuerunt, nimirùm eos omnes Profeſſos mortaliter peccare, qui non legitimè impediti, Officium tam ipſius Domini, quàm Matris ejus, vel in totum, vel in partem ſcienter dicere omittunt: hoc eſt enim contra veterem, et laudabilem conſuetudinem, tam Eremitarum, quàm Monachorum noſtrę Congregationis, qui ſemper utrumque Officium perſolvere, et devotè celebrare conati ſunt.* Hæc Patres Noſtri, non quidem novam hujus oneris obligationem imponentes, ſed veterem, quæ vi antiquæ conſuetudinis, cujus locupletiſſimi teſtes ſunt, invaluerat, authentica declaratione exponentes, reſponſo Sacræ Rit. Cong. die 12. Martij 1616. noviſſimè confirmata, ubi hæc duo decernuntur: primo *Ex Conſtitutionibus ſuæ Regulæ, ſub pæna peccati mortalis teneri Monachos Camaldulenſes ad recitandum quotidie Officium parvum B. Mariæ Virginis*. Secundò ad id teneri *etiam poſt acceptationem Breviarii Benedictini, prout anteà tenebantur*. Nec certè minori ſollicitudine Marianũ Offici-

Digitized by Google

Officium nobis quotidie recitandum incumbere ſuppoſuerat anteà Leo X. ac ipſummet Divinum Officium, dum ab hoc diſpenſari poſſe per noſtri Ordinis Prælatos conſtituit, ab illo non item: ſic enim habet in Bulla: *Et ſi à ſummo*, §.70. *Ac quòd illi ex præfatis Monachis, qui adeò Monaſteriorum ſuorum Officiis occupati &c. dummodò in ſacris non ſint Ordinibus conſtituti, licèt profeſſionem emiſerint: tamen ad perſolvendum totum integrum Officium Divinum minimè teneantur, ſed eorum Prælati, habita ſuppoſitorum ſuorum conſideratione (ultra Officium B. Mariæ Virginis, ad quod obligati remaneant) juxtà Diſpenſationem eis traditam, ſi eorum animabus expedire videbitur, aliquid dicendum iniungant, quod cum animi alacritate valeat adimpleri*.

XII. Inſuper debita erga propriç Congregationis Defunctos Pietas, tam apud Camaldulenſes, quàm Avellanitas paribus exercitiis enitebat; Ait enim Damianus Opuſc. 14. et 15. cap. 12. *Cùm frater quiſpiam ex noſtris obierit, qui videlicèt nobiſcum degunt, pro eo unuſquiſque ſeptem dies jejunat, ſeptem diſciplinas cum millenis Scoparum ictibus accipit, ſeptingentas Metanæas facit, triginta inſuper Pſalteria ex more decantat, et unuſquiſque Sacerdos ſeptem Miſſas illi pro ſua perſona perſolvit, ſalvo eo, quòd continuis quoque triginta diebus pro eo Miſſarum ſollemnia in conventu communiter celebrantur*. Rodulphus autem in Conſtit. anni 1080. cap. 35. non admodùm diverſa decernit, dum præcipit, quòd: *Pro migratione cujuſcumque fratris in Eremo, vel in Fonte bono Defuncti, triginta Pſalteria, vel miſſas debet unuſquiſque perſolvere: pro his*

verò,

verò, qui per alia loca Congregationis obierint, tria Pſalteria, vel Miſſæ ab unoquoque dicenda ſunt; in Metanæis verò, Palmatis, vel Scoparum ictibus, aliiſque ſimilibus obſequiis, quiſque debet, prout facultas tulerit, exerceri.

XIII. Pſalmodiæ verò publicæ uſus idem profectò, non modò apud utramque hanc Romualdi familiam, ſed apud omnes Monachos fuit, ut hinc nulla ſpecialis conſenſio reluceat. Nihilominùs hoc ſaltem obſervare licet, quòd ut Romualdus, referente Damiano in ejus Vita cap. 9. *Vigilias temperatè, et cum magna diſcretione faciendas maximè ſuadebat, ne cui fortaſſe contingeret, ut ſopori, peractis nocturnis officiis, conſentiret*: quia videlicèt *ejuſmodi ſomnum Vir Sanctus intantùm habebat exoſum, ut ſiquis ei confiteretur, poſt duodecim pſalmorum vigilias, et maximè circa diluculum, nequaquam poſſet eo die, cum ejus licentia, ſacra Miſſarum ſollemnia celebrare*; Quod, hoc ipſo Romualdi exemplo, Eremitis inculcat Paulus Juſtinianus in Regula Eremitica cap. 40. Ita ſimilem ſomni diſcretionem, ejuſque poſt Matutinas vigilias fugam Avellanitis ſuis indicit Petrus Damianus ſcribit enim Opuſc. 15. cap. 16. *De ſomno quoque non tam dura quibusdam diſtrictio neceſſaria eſt, melius quippe eſt ſomnum carni temperata quadam diſpenſatione concedere, et ferventer poſtmodùm in Dei laudibus excubare. Notandum autem, quia ante nocturnæ Synaxis Officium, ſi vel profundior adhuc nox, vel quolibet modo graves videntur eſſe vigiliæ, repetere accubitum licet: poſt nocturnum omninò non licet.* Unde, et tom. 1. lib. 6. Ep. 17. ait *Non Canonem ſolvit qui pſallens nocte redormit.*

XIV. De ſilentii cenſura, utpotè Eremitarum propria, non eſt quod addam: tantùm audiatur Rodulphus Camaldulenſis Prior in Conſtit. anni 1080. cap. 21. ſic præcipientis: *Exeuntes de Cellis, et ad ipſas redeuntes, ſilendi cenſura debent cohiberi: In Oratorio, et in Refectorio regula ſilentij omni tempore intemerata ſervetur.* Cui conſonat B. Petrus Damiani tum Opuſc. 14. tum 15. cap. 11. et 18. *In Capitulo, in Oratorio, in Refectorio regularem conſuetudinem non poſtponant, ut cum hoſpitibus non loquantur: atque ideò à cellulis uſque ad Eccleſiam ſive venientes, ſive redeuntes à cenſura ſilentii non recedant.*

XV. Sed et Quies, omniſque vagationis fuga, utriuſque Eremi Sectatoribus pari ſedulitate injungitur: à Rodulpho quidem loc. cit. cap. 32. illis verbis. *Vitium quoque vagationis, et inſtabilitatis taliter fugiat, ut non ſolùm exteriùs, cum Dina filia Jacob, non facilè diſcurrat; ſed etiam in ipſa Cella ſtabilis fixuſque permaneat: poſſet enim intra eandem Cellam, tanquam cujuſdam impulſu Vertumni, vagationiſque ſpiritu, tota die circuire.* A Petro Damiano autem Opuſc. 12. cap. 24. *Illud non mediocriter diſplicet, quòd etiam ipſis ſanctiſſimis Eremitis quidam videntur admixti, quos idem peſtiferæ vagationis morbus exagitat, et [ſi dicere liceat] quaſi Vertunnus, quoddam ſcilicet Dæmoniorum genus, vexat. Vertunni ſiquidem apud antiquos dicebantur Dæmones, quorum inſtinctu homines in vertigine poſiti reddebantur inſtabiles.* Et Opuſc. 15. cap. 18. *Ponat autem* (Eremita) *juxtà ſe quæque ſibi ſunt familiariùs neceſſaria, ne cùm uſu horum neceſſitas poſtulat, ipſe ad exhibendum ſibi frequentiùs ſurgat. Tantoperè quippe vagatio eſt vitanda,*

Digitized by Google

ut nec per ipſam Cellulam ſpaciari inaniter liceat.

XVI. Ut verò faciliùs in cella quiescere aſueſcant Solitarii, hoc aureo monito illos Rodulphus loc. cit. cap. 36. confirmare conatur: *Prætereà ſtudeat ſolitarius in Cella jugem, et continuam ſedulitatem habere, ut per gratiam Dei, et aſſiduitatem manendi, poſſit ei habitatio Cellæ dulceſcere. Nam ſicut inquieto, et inſtabili Monacho, inſtar Carceris, pęnam ergaſtuli, afflictionis materiam præſtat: ita quieto, et perſeveranti, ſuavitatis refrigerium, ſilentium beatitudinis, tamquam portionem exhibet Paradiſi.* Quod idem aſſeruerat Damianus Opuſc. 12. cap. 25. *Huc accedit, quòd ijs, qui vitam ſuam ſub hac inconſtantia mutationis alternant, eò ſit vita remotionis auſterior, quò inolita vagandi conſuetudine retrahuntur; itaut Eremitica diſtrictio graviſſimæ difficultati, cella ipſa illis videatur horrori. Conſuetudo enim facit Monacho cellulam dulcem, vagatio videri facit horribilem. Vagantibus cellula carcer eſt, permanentibus ſuave cubiculum.*

XVII. Rurſus, quemadmodùm Romualdus, ex ejus Vita cap. 9. *Parvipendebat, ſiquis ad tempus magnum quid inciperet, ſi non etiam in eo longanimiter perſeveraret:* ita eandem Avellanitis perſeverantiam inculcabat Damianus Opuſc. 15. cap. 27. dicens: *Vitæ modum, quem ſemel arripueris, perſeveranter tene, conſtanter exequere, ne ſcenica, quod abſit, à temetipſo videaris vertigine diſcrepare. Perſevera itaque in eo, quod cæperis, et rectam conſuetæ vitæ lineam tene; ne te novum ſemper variatæ vitæ diverſitas reddat, ſed in ſanctæ Conſtantiæ fundamento præfixæ regula conſuetudo ſtabiliat.*

XVIII. Denique quidquid Beatiſſimus Romualdus Eremitas ſuos ad ejus Cellam in Eremo Camaldulenſi convenientes docuiſſe dicitur à Hieronymo Pragenſi apud Bollandum ad diem 7. Februarii, multa in Sermone de S. Romualdo cap. 11. [quemadmodùm et alia, cap. 6. et 9. inſerta] totum fermè, ac ijſdem, vel ſimilibus formulis expreſſum in Damiano ſuos Avellanitas inſtruente reperitur: nempe quod cap. cit. num. 69. dicitur de *Quiete, Silentio, et Jejunio Eremitis neceſſario*, totidem verbis habet Damianus Opuſc. 15. cap. 5. Quod ibidem ſubdit Hieronymus (ex ore Romualdi) *de Veſtium paupertate, et vilitate amanda*, rurſus ijſdem verbis Damianus inculcat loc. cit. cap. 21. Quod ſubdit ille num. 70. *De venientibus ex ſæculo ad Eremum*, idem, eodemque verborum tenore, monet hic præfati Opuſculi cap. 29. Quod demum ille num. 71. decernit. *De his, qui ex Cænobitica converſatione ad Eremum accedunt*, iſte pariter, ubi ſupra cap. 30. ipſiſſimis vocibus, formuliſque proponitur perinde ſit, ſive hinc, ſive inde tranſcribas, cùm non modò ſenſus, ſed verba, et ordo ipſe verborum utrobique immutatus occurrat.

* *
*

CA-

CAPUT V.

Camaldulenſium, et Avellanitarum affinitas alijs momentis illuſtratur.

SYNOPSIS.

Utriuſque loci Regula utriſque communis. Num. 1. *Frequentior apud Petrum Damiani, quàm apud Rodulphum Priorem Camaldulenſem S. Romualdi mentio.* 2. *Auctoritas S. Romualdi à Petro Damiani ſæpè uſurpata.* 3. *Viceverſa Petri Damiani auctoritas in Camaldulenſium Statutis adducta.* 4. *Eremitica Regula S. Petri Damiani in Eremo Camaldulenſi vim Legis obtinuit ex B. Rodulpho Priore.* 5. *Quod oſtenditur.* 6. *et* 7. *Avellanitarum Congregatio, ex Ludovico Du Pin, ſpecies erat ejuſdem Eremitarum Generis à Romualdo instituti.* 8. *Eadem Romualdi, quæ Petri Damiani Inſtitutio, ex Ludovico Thomaſino.* 9. *Ipſe Petrus Damianus ejuſmodi affinitatem teſtatur.* 10. *Hoſpitij, et ſuffragiorum communio inter Camaldulenſes, et Avellanitas vetuſtiſſimis temporibus inita,* 11. *Avellanitarum habitus colore, et forma Camaldulenſium veſtibus ſimillimus.* 12. *Iidem Cingulo, ut noſtri, utebantur.* ibid. *Petrus Damiani potiori adhuc jure, quàm cæteri Avellanitæ, ad Camaldulenſem Ordinem ſpectare oſtenditur.* 13.

I. QVæ duobus pręcedentibus capitibus curſim delibata ſunt, circa noſtrorum Camaldulenſium, atque Avellanitarum Veterum vivendi morem, abũdè utriuſ-

utriuſque Inſtituti convenientiam oſtendunt, atque utriuſque Familię Conſtitutiones, utpotè ſimilibus, aut parùm diverſis præceptis circumſcriptas, imò totidem plerumque verbis, et iiſdem formulis exaratas, eodem dictante Spiritu conceptas, atque ab eodem Romualdi Fonte derivatas fuiſſe commonſtrant. Hinc non immeritò parem auctoritatem utraque Regula apud utroſque obtinuit, et nullo penè diſcrimine ſive à Romualdo, ſive à Petro Damiani ſtatuta, Eremiticę Vitæ rationem concernentia, perinde recipiebantur; ut mirum non ſit, Hieronymum Pragentem loco, quem ſuperiori capite, num. ult. allegavimus Romualdo Paræneſim aſcripſiſſe, ex Avellanitarum Regula ad verbum penè deſumptam.

II. Sanè haud frequentior eſt apud Rodulphum Camaldulenſem Priorem, quàm apud ipſum Damianum Romualdi mentio, ad conſuetudines Eremiticas ejus auctoritate firmandas: in primis enim privatę pſalmodiæ uſum, ut cap. præced. num. 10. vidimus, ex S. Romualdi Inſtitutione derivat Damianus Opuſc. 14. *Pſalterium, quod eſt Vivorum, cum illis dicitur additamentis, quæ B. ROMUALDUS appoſuit*; et iterum Opuſc. 15. cap. 9. *Pſalterium quod eſt Vivorum cum illis dicitur additamentis, quæ B. ROMUALDUS apponit*, quæ tanta ſollicitudine obſervanda eſſe notat, ut inter ea, quæ maximè omnium intereſt, ut addiſcant Novitii, connumeret, iis verbis ſtatim ſubſequentibus: *Quæ etiam nos non gravemur inſerere, ne nos conqueratur fortè Novitius, quæ ſibi magnoperè noſcenda ſunt, præteriiſſe*. Nec minoris mo-

momenti eſſe, ad Eremitarum ſuorum inſtructionem, quęlibet Romualdi monita, exempla, conſilia, ſatis indicat, dum ejuſdem Opuſculi cap. 16. ad diſcretionem in moderanda ſubditorum vita Prælatis injungẽdam, B. Romualdi ſententias in medium producit, ſeque illis adhærere fatetur. *Nos approbamus* (ait) *quod ſuis ſæpe Diſcipulis B. ROMUALDUS dixiſſe perhibetur: Dummodò, inquit, frater quilibet Cellam non deſerat, etiam carnes permittatur ex diſcretione comedere, ſi tam inevitabilis videatur neceſſitas imminere. Addebat inſuper. Tale enim propemodùm eſt de Eremo ad Monaſterium reverti, quale de Monaſteriali Ordine ad Sæculum aſportari.* Et paulò poſt ſubdit: *Nam et idem B. ROMUALDUS, ut ſui conſueverunt referre Diſcipuli, ſic æſtivi temporis hebdomadas alternabat: ut unam quidem à Dominica in Dominicam in pane, et aqua jejunando tranſigeret, alterius verò hebdomada pulmentum quinta feria manducaret.*

III. Similiter idem Damianus tomo 1. lib. 6. Ep. 26. ut modeſtiam in fęminarum Colloquijs Marino Monacho Patrueli ſuo commendet, exemplum B. ROMUALDI, qui Diſcipulum nimiæ curioſitatis prudenter redarguit, illi ob oculos ponit, ac paulò poſt, ut ad ſobrietatem ſervandam, et hypocriſim fugiendam eundem excitet, ſubdit: *Nec ineptus applices* (hoc eſt non otiosè audias, ſed feriò intendas) *quod ſæpe ſuis Diſcipulis Vir Domini Romualdus ajebat: Fratres inquit, cùm in quorumlibet conventu reficitis, intentis ad cibum cæteris, in ipſo refectionis initio parcite: et cùm jam illis ex parte ſatisfactum fuerit, vos incboate, quatenus et hypocriſis notam poſſi-*

poſſitis evadere, *et ſobrietatis regulam*, *ſine offenſione*, *ſervare*. Et eodem lib. 6. Ep. 30. ad Theuzonem Eremitam, narrat, rationibus ſepoſitis ad auctoritatem S. Romualdi ſe confugiſſe, ut intentum evinceret: *Tandem*, inquit, *cùm in arcto poſiti*, *multiplicium obiectionum vallaremur anguſtiis*, *ubi ratiocinandi copia ſuppetere deſiit*, *ad Sanctorum mox exempla confugimus*, *ut illis ſaltem fides habeatur*, *quorum auctoritas ad probationem cujuſcunque negotii incunctanter admittitur*. *Cùmque ſuper quodam diſceptationis articulo S. ROMUALDUS in teſtimonium duceretur*, *&c.*

IV. Viciſſim verò Damiani auctoritas in Camaldulenſium Statutis ſæpiùs invocatur. Sic in Conſtitutione, quam Placidus Eremi Camaldulenſis Prior, et Martinus ejuſdem Eremi Proviſor, unico poſt B. Rodulphum Sæculo, promulgarunt, Silentij diſciplina, ejuſque neceſſitas confirmata legitur, quia, inquiunt, *PETRUS DAMIANUS ait*: *Eremitæ Officium eſt*, *jejunio*, *ſilentioque quieſcere*. Et in Eremitica Regula, quam Paulus Juſtinianus edidit, tum cap. 47. verbis jam Differt. I. cap. 4. num. 14. adductis, *PETRI DAMIANI* auctoritas, circa diſciplinam ſuſcipiendorum ſæcularium in Eremo, proponitur, tum alibi paſſim, ut circa Prioris Eremi qualitates, aliaque benè multa, ad ejuſdem *PETRI DAMIANI* ſanctiones provocatur; quum inſuper *Eremiticam Regulam PETRI DAMIANI* ex integro edere, et Regulæ Eremiticæ S. Romualdi ſimul conjungere, eodemque complecti volumine idem Juſtinianus non dubitaverit, cçteris licèt Camaldulenſibus Conſtitutionibus Rodulphi, Placidi, Ghe-

Gherardi, Martini omninò poſtpoſitis; quaſi nimirum intelligeret, in ſolis Petri Damiani inſtitutis, quidquid in omnium PP. noſtrorum ſanctionibus continetur, tamquam in ſuo fonte, meliùs, et uberiùs reperiri: nec ſatis perfectam ratus ſuam, ex S. Romualdi traditionibus, et Anteceſſorum omnium ſcriptis, vel per manus traductis conſuetudinibus collectam, Regulam Eremiticam, niſi Petri Damiani cognato libello *De ſuæ Congregationis inſtitutis* tractanti copularetur, à quo majorem, et lucem, et firmitatem acciperet.

V. Imò ipſamet *Petri Damiani Eremitica Regula* in Eremo Camaldulenſi ſola ad obſervandum aliquandiù propoſita extitit, videlicèt uſque dum B. Rodulphus Prior ſuas ederet Conſtitutiones: quibus tamen non propptereà ejus vis penitus abrogata eſt, ſed uno vel altero dumtaxat articulo excepto, in reliquis adhuc expreſsè approbata manſit ab eodem Rodulpho, qui in Conſtitutionibus anni 1085. ſic ait. *Unuſquiſque frater lances in cella habet, cum quibus penſat tres panes, quos accipit omnes dies Dominicos, et quinta feria. Et alia multa his fratribus neceſſaria, quæ omnia prudenti Lectori EREMITICA REGULA ſatis demonſtrat. Sed præcavendum eſt, ne per hoc, quod illa dicit, de die Sabbati manducare ad menſam: quia numquam mos hìc fuit, vel cætera, quæ hujus Eremi uſibus videntur contraria, eaque breviter deſcripſimus in hac pagina, prætermittantur: quoniam, ut ipſi videtis, præcipua ſunt hæc, et arctiora; atque in hac Eremo primitus obſervata, quàm ipſa Regula fuiſſet deſcripta. Sed RELIQUA OMNIA, quæ hujus Eremi uſibus convenientia, et ſimilia;*

et qualiter docet nos in Cellula, et deforis permanere, nec non intus reſiſtere, et virtutes acquirere, et diſcretionem in omnibus ſemper retinere, DEBEMUS jugiter, Chriſto adiuvante, OBSERVARE, et numquam Sancti Romualdi, et cęterorum noſtrorum Anteceſſorum pium uſum derelinquere.

VI. Enimverò hanc *Eremiticam Regulam*, de qua Rodulphus loquitur, aliam eſſe non poſſe, præter illam *Petri Damiani*, quam Paulus Juſtinianus poſt Conſtitutiones ſuas edendam cenſuit, colligitur primò, quia illa ipſa eſt, quę *de Lancibus habendis in cella ad Panis menſuram ponderandam*, loquitur Opuſc. 15. cap. 8. cujus textum ſuperiùs adduximus cap. 3. num. 14. Idem colligitur ſecundò, ex quò illa ipſa ſit, quę *Sabbati Jejunium*, extra Quadrageſimas, ſemper tam æſtate, quàm hieme, propter imbecilles relaxandum indulget, ac ſimplici refectioni cum pulmento, et vino deputandum [quod ipſum intelligi voluit Rodulphus ea formula, *De die Sabbati manducare ad menſam*; ait enim in Conſtit. anni 1080. cap. 20. *Ad menſam verò omnibus diebus geminæ refectionis, aut ſimplicis*, nimirum non perfecti, *Jejunii communiter reficiant fratres:* nam diebus abſtinentię panis, et aquæ ſinguli in cellis ſuis, *Nudis pedibus ſuper pavimento ſedentes, librumque ſacræ lectionis intuentes*, reficiebantur, ut ibidem Rodulphus ait] ait enim Damianus dicto Opuſc. 15. cap. 15. *Credimus unumquemque fratrem in cellula commorantem, niſi omninò ægrotus ſit, itaut decumbat quidem in lectulo, toto anni tempore, ſive æſtate videlicet, ſive hieme, tribus per hebdomadam diebus jejunare in pane, et aqua cum Dei adiutorio facil-*

Digitized by Google

facillimè poſſe: et quoniam Sabbato jejunare canonicæ traditionis authenticum eſt, non grave videatur fratri etiam Sabbato refectionem ad Nonam horam uſque differre: ut ſemel quidem ipſo die reficiatur, ſed tamen vinum, atque pulmentũ percipere ex hujus noſtræ inſtitutionis indulgentia non vetetur. Et hoc quidem æſtate: Nam ab Idibus Septembris, uſque ad Paſchale gaudium, quatuor per hebdomadam diebus noverit jejunandum: ſed et ſi aliquando tanta debilitas acciderit, hiberno etiam tempore die Sabbati, aut leguminibus infuſis, aut herbarum radicibus, ſive etiam pomis ſolitum licebit aliquantisper temperare jejunium: ita tamen, ut ſi unum quodlibet horum ſumat, aliud, niſi veræ neceſſitatis cauſa dictaverit, non adijciat. Poſtremò tamen, propter puſillanimes, ſi hìc neceſſitas omninò popoſcerit, quæ fieri permiſſa eſt in ęstate, eadem Sabbatorum diſcretio ſervetur in hieme. Hanc ergo dumtaxat Sabbatorum tam generalem remiſſionem in ſacra Eremo non recipiendam Rodulphus ſtatuit, utpotè ejus conſuetudini contrariam, quippe dumtaxat *Paſchali tempore* (ut conſtat ex ejus Conſtit. prioribus cap. 12. quas ſupra retulimus cap. 3. num. 9.) *et in Octavis Sanctorum, et diebus flebotomiæ*, aut *ob acceſſum alicujus celebris perſonæ*, ſive *extraordinarij laboris intuitu*, *et in Sabbatis utramque Quadrageſimam præcedentibus*, poterat Sabbati abſtinentia relaxari, ex ejus Conſtitut. citat. cap. 16.

VII. Idem etiam tertiò oſtenditur, exquò Eremitica Regula, de qua loquitur Rodulphus, tempore ipſo inter Camaldulenſis Eremi fundationem, et Rodulphi ætatem medio compoſita erat, ibi: *In hac Eremo primitùs*

tùs à Sanctis Viris fuerunt hæc obſervata, quàm ipſa Regula fuiſſet deſcripta; Nulla autem, niſi Petri Damiani Eremitarum Regula dicto tempore exarata eſt, cujus quidem notitiam habeamus, itaque hæc ipſa eſt, quæ Camaldulenſes apud Eremitas in uſu eatenus fuerat, et deinceps, in his, quæ vetuſtioribus Eremi illius uſibus non contrairent, obſervanda adhuc à Rodulpho proponitur. Quartò denique doctrinæ ipſę *de Cellæ ſequeſtratione, de converſatione extra Cellam, de Virtutum aquiſitione, de Diſcretione Prælati*, Quę inibi contineri aſſeruntur, reipſà in Opuſculo Petri Damiani occurrunt, ut legentibus patet: quarè omninò conficitur, Rodulphi tempore ipſam Petri Damiani Regulam in Sacra Camaldulenſi Eremo, perinde ac in Avellanæ Solitudine, receptam fuiſſe, atque ex integro pęnè obſervatam.

VIII. Jure igitur, meritòque idem Camaldulenſium, et Avellanitarum Inſtitutum à S. P. Romualdo profectum haberi debet, undè Vir Eruditiſſimus Ludovicus Ellies Du Pin in Nova Bibliotheca Auctorum Eccleſiaſticorum Tom. VIII. part. 2. Sæculi XI. Eccleſiæ, cap. 14. §. 10. poſtquàm Ordinis Camaldulenſis fundationem à Romualdo factam deſcripſit, ait aliam ſpecialem Congregationem Eremitarum *ejuſdem generis* à Petro Damiani inſtitutam. En integra Auctoris verba. *Il ſe mit* (Romualdus) *ſous la conduite d'un Saint Hermite, nommè Marin, qui demeuroit dans le pais de Veniſe, et embraſſa la vie Heremitique, qu' il retabilit en Occident. Leur Inſtitut n' ètoit pas de viure ſevls dans des ſolitudes, com-*

me

me les anciens Hermites; mais de demeurer pluſieurs enſemble dans un même endroit, ſeparez des autres hommes, et dans des cellules particulieres, ſous la conduite d'un même Superieur, en pratiquant la même Regle. Ces ſortes de Monaſteres s'appelloient anciennement Laures. Saint Romualde en etablit un tres grand nombre en Italie: un des plus fameux fut celui, qui fut bâti ſur l'Appennin proche d'Arezzo, dans un lieu, qui leur fut donnè par un homme apellè Mandol, d'ou l'Ordre a pris le nom de Camaldole. Saint Romualde vècut cent ans après ſa Profeſſion Religieuſe, et vit ſon Ordre floriſſant. Pierre Damien inſtitua auſſi une eſpece de Congregation d'Hermites de même genre. Ces Hermites pratiquoient de grandes auſteritez, et faiſoient des Choſes fort extraordinaires.

IX. Sed et doctiſſimus Ludovicus Thomaſinus in Veteri, et Nova Eccleſiæ diſciplina de Beneficiis Part. 1. l. 3. cap. 25. num. 7. Idem fuiſſe Romualdi, ac Petri Damiani Inſtitutum indicat, nam poſt narratam Eremiticæ Vitæ Reſtitutionem, et cum Benedictina Regula conjunctionem à Romualdo in Italia præcipuè factam, ait contra hoc Inſtitutum oblatrantes à Petro Damiani compreſſos Ep. 12. lib. 6. ubi profectò ſe, et ſuos præſertim tuetur à cujuſdam Abbatis impugnatione, qui conqueſtus erat, quòd Monachum ex ſuo Monaſterio egreſſum, contra S. Benedicti Regulam recepiſſet: *Succenſetis enim*, inquit, *ac nos conquerentes arguitis, quia non debuimus veſtros Monachos in Eremo contra B. P. Noſtri Benedicti præcepta ſuſcipere*. Oſtendit autem Sanctiſſimum Legislatorem noſtrum vagationi dumtaxat ex uno in aliud Cœnobium occurrere

volu-

voluiſſe, non prohibere autē, imò omnes hortari, ut ex Cœnobitica ad perfectiorem Eremitarum vitam ſe trāſferant; quarè adeò coincidit Romualdi, et Damiani Inſtitutum, ut unius defenſio, alterius pariter apologia cenſeatur. Ecce Thomaſini verba loco cit. *Scripſit Romualdi Vitam Petrus Damiani, ſcripſit et Apologiam; confeſtim enim his Anachoretis ſummæ ad perfectionis columen eluctantibus obtrectari cæptum eſt, quòd ſemitam tenerent, quam non præmonſtraſſet, non tenuiſſet B. Benedictus, quòdque ſuo cætui aggregarent Monaſteriorum B. Benedicti deſertores. His ora obturabat Petrus Damiani hoc reſponſo: Caveri à B. Benedicto, ne Abbates alij aliorum Monachos admitterent, dum cogniti ſibi mutuò eſſent*: (*caveat*, inquit Reg. cap. 61. *Abbas ne aliquando de noto Monaſterio Monachum ad habitandum ſuſcipiat, ſine conſenſu Abbatis ſui*) *ſed Priores Anachoretarum ea prohibitione non implicari.*

X. Porrò hanc ipſam communis Inſtituti ſocietatem, ne ipſe quidem Petrus Damiani inter ſe, et S. Romualdi Diſcipulos interceſſiſſe diffitetur; enimverò in Prologo Vitę ejuſdem Sancti Patris Romualdi, ut ſe ab Egregijs, qui ſuperſtites erant, Sancti Viri Diſcipulis compulſum ad ejus geſta commemoranda ſignificet, *multorum*, inquit, *FRATRUM precibus, et GERMANA CHARITATE devinctus, quod de prædicto mirabili Viro ab Egregiis ejus Diſcipulis didici, aggrediar, Deo auctore, deſcribere*; Nimirum eodem Religionis fœdere ſe illis conjunctum conſiderans, quo *Germani*, et *Fratres* ab eodem Patre progeniti debent invicem quibuſdam amoris, et charitatis vinculis alligari.

XI. Re-

XI. Reciprocè verò à noſtris Camaldulenſibus Avellanitæ ipſi ut *Fratres* habiti, et tamquam cognatę Stirpis à Romualdo, velut à communi trunco propagatæ, Germina conſiderati ſunt, etiam poſtquàm ab Eremitica diſciplina ad Cænobiticam converſationem translati ſunt, atque ubi à primæva S. Romualdi, Petrique Damiani inſtitutione jam deſciverant (contra ejuſdem Petri Damiani monitum, quo illos Opuſculo 14. ſub finem graviſſimè increpaverat: *Non itaque ad Monaſterialem laxitudinem ab Eremitica vos libeat diſtrictione deſcendere*) in hoc, inquam, pariter ſtatu Avellanitæ, quaſi germanæ charitatis communione nobis conjuncti, perinde ac Monachi Vallis Umbroſæ à S. Joanne Gualberto D. Romualdi Diſcipulo inſtituti, eodem hoſpitii jure in noſtris Monaſterijs in Refectorio ſuſcipi, ejuſque Congregationis Defunctorum Animæ paribus Chriſtianæ pietatis ſuffragijs expiari conſueverunt: nam in Conſtitutionibus anno 1253. à B. Martino III. Generali editis lib. 3. cap. 32. ſic præcipitur. *Statuimus, ut Fratres noſtri Ordinis, Vallumbroſani, et Sanctæ Crucis Fontis Avellanæ, quaſi uno Charitatis officio, Monachi cum Monachis, Converſi cum Converſis hilariter, et benignè ſuſcipiantur à noſtri Ordinis Prælatis, et ſubditis univerſis*. Et rurſus anno 1372. die 27. Maii in Capitulo Generali, quod celebratum eſt in Monaſterio S. Michaelis in Burgo Piſarum, Præſidente Joanne III. Generali, decretum eſt, *ut Monachi Vallis Umbroſæ, et S. Crucis de Avellana, tam in Eremo, quàm in Monaſterijs Ordinis recipiantur in Choro, et Refectorio, ac ſi eſſent*

Ordi-

Ordinis Camaldulenſis: et eorundem Ordinum brevia (ideſt Dypticæ, fratrum Defunctorum nomina indicantes) *per Breviſerarium Ordinis deferantur &c.* Actum manu Leonardi olim Franciſci de Caſtilione Aretino Notarii, et Scribę deputati: ex Archivii Camaldulenſis libro R. 18. 80. ejuſque indice §. *Statuta* p. 2. num. 9. Quarè multo magis dum priſtinam adhuc Eremiticæ Vitæ formam, ad quam, ex Romualdi præceptis, per B. Petrum Damianum Avellanitæ inſtituti fuerant, ſequebantur, pro ſimilis diſciplinæ conſortibus haberi apud Camaldulenſes merebantur.

XII. Idque eò magis, ex quò Avellanitarum Veterũ habitus, et colore, et forma, cum Camaldulenſium habitu penitus conveniret; enimverò, ut Diſſert. III. cap. 2. num. 9. et 10. oſtendimus, albus color monaſticis eorum veſtibus conveniens ex antiquis monumentis, alijsque probis Auctoribus, deducitur: ipſomet Petro Damiano Tom. 1. lib. 6. Ep. 14. Mainardum Abbatem monente, ne album Monachorum amictum, utpotè vilem, deſpiceret, exemplo Chriſti, qui ſe *Veſte alba* illudi ab Herode paſſus eſt, ut Diſſert. III. cit. cap. 2. num. 7. notavimus; nec non Petro Ricordato, Silveſtro Maurolyco, Paulo Morigia, Conſtantino Cajetano, et Chroniſta Benedictino apud eũdem in Prolegomenis Tomi 1. Operum B. Petri Damiani, de Avellanitarum Tunica, Scapulari, et Cuculla penitus alba teſtimonium ferentibus; adeòut juxtà citatum Morigiam Hiſt. Relig. cap. 58. ex abuſu dumtaxat poſteriorum temporum inductum fuerit

ceru-

cæruleum pallium, quo nuperrimè Cucullæ loco utebantur: quod confirmat, veterem ipſorum habitum olim noſtro Camaldulenſi affinem, ſuisque omnibus partibus, tam colore, quàm forma correſpondentem prorſus fuiſſe. Jmò addere placet, quòd cùm habitus Camaldulenſium à cęteris Monaſticarum Congregationum veſtibus (etiam à Monachorum Montis Virginis, et Montis Oliveti, albo colore pariter utentium, amictu) hoc præcipuo diſcrimine diſtinguatur, quòd non ſolutum, atque ab humeris utrinque liberè dimiſſum Scapulare noſtri deferant, ſed ſub pectore laneo Cingulo colligant, quod, poſt expeditiſſimam nodi complicationem, in binas tænias ab anteriori parte pendentes excurrit; Avellanitę pariter ſimili Cingulo præcingi quondam conſueviſſe deprehenduntur. Nam cùm Petrus Damiani, et Albizo ejus comes, Theuzonem Eremitam Florentiæ convenientes, ab eodem durè habiti, ac tandem poſt multa jurgia ejecti ſunt, per Cingulum ambos apprehenſos fuiſſe teſtatur idem Damianus lib. 6. Ep. 50. *Tandem*, inquit, *per Semicintias correpti violenter excludimur*. Itaque nulla erat Avellanitarum, et Camaldulenſium indumenti, undè et nulla Vitę, nulla Inſtituti, nulla Profeſſionis pariter differentia cenſenda.

XIII. Quidquid tamen ſit de aliis Fontis Avellani Alumnis: certè in Petro Damiano potior longè, quàm in cæteris, ratio relucet, cur ad Camaldulenſem Ordinem, ſive ad D. Romualdi Inſtitutum pertinere cenſendus ſit; vel primò quia immediatè ab ipſo S. P.

 Romu-

Romualdo [aut certè mediantibus ejus Diſcipulis] Eremiticæ Vitę rudimentis , quę poſtmodùm in alios erogavit, inſtructus fuerit: undè Reverendiſſimus Abbas D. Secundus Lancellottus Olivetanus in ſuæ Congregationis Hiſtoria lib. 2. cap. 22. de Petro Damiano ait: *Audiit in re monaſtica Romualdum Camaldulenſium Inſtitutorem, et primò Fontem Avellanam habitavit, ubi cum magna Monachorum, vel Eremitarum frequentia multos annos extraxit, tum Stephanus IX. Turpuratorum Collegio aggregavit;* vel ſecundò quia reipſa in Camaldulenſi Eremo aliquandiù et ipſe vixerit, ex conjecturis Diſſert. III. cap. 2.num.8. adductis: quibus accedit, quòd Antonius Maria Bonuccius Ephemer. Euchar. tom. 1. ad diem 22. Februarij expreſsè aſſerit, Petrum Damianum Cardinalitiæ dignitati nuncium remittere voluiſſe, *ut ad ſuam Eremum Camaldulenſem rediret*: undè tum ante, tum poſt abdicatam purpuram , probabile eſt, illum in Eremo Camaldulenſi verſatum eſſe; vel denique tertiò, quia in aliis Monaſteriis à S.P. Romualdo ædificatis, vel ad regularem obſervantiam compoſitis, vitam ſuam Damianus traduxerit: quod quia longiori tractatione indiget, ad ſequentis Capitis Argumentum reſervabitur.

CA-

CAPUT VI.

B. Petrus Damiani inter S. Romualdi Diſcipulos, atque in ejuſdem Monaſterijs potiſſimùm vixit.

SYNOPSIS.

De Avellanenſi, et Pompoſiano Monaſterio, in quibus Petrus Damianus vixit, remiſſivè. Num. 1. *In Monaſterio S. Vincentii de Petra pertuſa Romualdus cum Diſcipulis habitat.* 2. *Ibidem Petrus Damiani Vitam S. Romualdi ſcripſit.* 3. *Ex Vita Petri Damiani, conſtat illum ad Cænobium S. Vincentij conſtitiſſe.* 4. *Idem habitus in eo Monaſterio, atque in Avellanenſi degentibus.* 5. *Candidi, et albi coloris differentia* ibid. *Rurſus ad idem Monaſterium Petrus Damianus mittitur.* 6. *Aliis vicibus ibidem habitat, ejuſque Statuta ibidem recipiuntur.* 7. *Severiſſimè divinitus punitur illud Cænobium, ob violatam Damiani decretorum obſervantiam.* 8. *Damiani erga idem Monaſterium amor, et ſollicitudo.* 9. *Diutiſſimè ibidem converſatur.* 10. *S. Salvatoris Cænobium in Peruſino territorio à S. Romualdo conſtructum, cui prefuit Petrus Damianus.* 11. *Eremus Montis Pregii à S. Romualdo primùm, deinde à Damiano inhabitatur.* 12. *De aliis locis ab Romualdo conſtructis, in quibus Damianus, et ejus Diſcipuli vixerunt.* 13. *B. Dominicus Loricatus ſub Damiani Magiſte-*

giſterio vivens, Prior Eremi Sitriæ à S. Romualdo conſtructæ, factus eſt. 14. *Idem ad Eremum Montis Suavicini, quam Petrus Damianus fundaverat, morti proximus ſe recepit.* 15. *Sitrienſes à Petro Damiano, tanquam proprii Alumni, commemorantur.* 16. *B. Leo Sitriæ Recluſus, Petri Damiani Magiſter.* ibid. *Petrus Damiani Claſſenſe noſtrum Monaſterium incoluit.* 17. *Propoſiti noſtri, ex his momentis, concluſio.* 18. *Multorum Scriptorum, et trium Summorum Pontificum auctoritas pro noſtra ſententia.* 19. *Avellanitæ omnes, cum ipſorum Cœnobio, in Camaldulenſium jus tranſierunt.* 20.

I. NIhil magis evincit, Petrum Damianum ſub Romualdi meruiſſe diſciplina, atque inter ejus Aſſeclas numerari debere, quàm locorum, quibus ille præfuit, aut in quibus eſt diutiſſimè converſatus, mox inſtituenda conſideratio; hinc enim patebit, non aliud, quàm S. Romualdi Inſtitutum ſequi potuiſſe, cujus inter Diſcipulos quotidie vivebat, eorumque vivendi conſuetudini ſe conformabat. Et quidem de Fontis Avellanæ Cœnobio, quod frequentiùs incoluit, nihil eſt quod repetamus, cùm ſatis multà de illo hactenus dicta ſint, quæ negocium hoc planè conficiunt, dum ejus inſtitutionem à S. Romualdo derivatam evidenter oſtendunt. Sed neque de Pomposiano Monaſterio, ubi fermè biennium expendit Damianus, juxtà ejus Vitam ab Joanne S. Viri Diſcipulo conſcriptam, cap. 6. quidpiam hìc loquemur, ne magis ambiguis exemplis ambiguam hanc controverſiam dirimere velle videa-

videamur: tametſi, ex dictis Diſſert. I. cap. 4. num. 8. pag. 70. ſatis innotuerit, ad Romualdi normam, Eremiticæ cum Cœnobitica Vita conjunctionem ibi invaluiſſe, et ad praxim, illo ipſo Damiani tempore, fuiſſe redactam sub S. Guidone, qui ex Monacho Cœnobii noſtri S. Severi, Pompoſianus Abbas effectus eſt.

II. Initium autem ducemus à Monaſterio S. Vincentii de Petra Pertuſa, quod in Urbinati territorio, VIII. paſſuum millibus Urbino diſtans olim ſurgebat, nunc ejuſdem Urbis Canonicis addictum reliquias dumtaxat priſtinæ magnitudinis oſtentat. Hìc S. Romualdum conſediſſe, atque huic ipſi Cœnobio Eremū adjunxiſſe narrat Damianus in Vita S. Romualdi cap. 43. *In Petranum Montem, non longè videlicet à Monaſterio S. Vincentii, quod juxtà Candilianum conſtitutum eſt fluviū, Romualdus demigravit. Volens autem locum ad Eremum faciendam idoneum invenire, præcepit cuidam Presbitero, &c.* et cap. 57. meminit BB. Gaudentii, et Berardi, qui in eodem S. Vincentii Cœnobio ſub D. Romualdi Magiſterio vixerant, atque in ejuſdem Monaſterii Cemeterio pariter Sunt tumulati; cùmque eorum alter, nempè Gaudentius, revocatam ſibi à Romualdo (ob Tedaldi ſuggeſtionem) abſtinentiæ pridem conceſſæ licentiam indignè ferens, ad Ingelbertum defeciſſet, proindeque in *prævaricatione inobedientiæ vitam finiſſe* videretur, *Romualdus orationem pro eo fieri penitus interdixit*, licèt *in Cemeterio B Vincentii, juxtà corpus Berardi Venerabilis Viri, qui æquè Romualdi diſcipulus fuerat*, apponi mādaſſet: verùm ob Viſionem, non quidem Berardo, ut

Ma-

Macchiavellus noſter putat in ſua Apologia pag. 22. [nam ex proximè allatis Damiani verbis, totoque contextu, erat ille præmortuus] ſed alteri cuidam Monacho ad utriuſque ſepulcrum oranti, atque à dentium dolore liberato, oſtenſam, *Romualdus illicò præcepit fratribus, ut jam Gaudentio fraternam charitatem impenderent, atque pro eo enixiùs orarent.*

III. In hoc igitur Monaſterio S. Vincentii, adeòque inter ſuperſtites Romualdi Diſcipulos verſatus eſt Petrus Damiani, imò eo loci Vitam ipſam S. Romualdi deſcripſit, ut notavit Fortunius Hiſt. Camal. parte 2. l. 5. cap. 6. atque apertè colligitur ex initio citati capitis 57. Vitæ S. Patris ubi Damianus ſic loquitur: *Alius frater Gaudentius nomine, Abbatis videlicet hujus Monaſterii S. Vincentii Pater.* Dum enim proximè anteà talis Monaſterii nulla mentio præceſſerat, ſed fermè de geſtis apud Sitriam ſermo erat, non poteſt oſtenſivi illius pronominis [*hujus Monaſterii*] ſignificatio aliò detorqueri, quàm ut de Cœnobio ſibi præſente, ubi videlicèt actu ſcribebat, intelligi Sanctus Doctor voluerit: adeòut in hos San-Vincentianos Monachos cadat illuſtre *Egregii* cognomentum, quo S. Patris Diſcipulos cohoneſtavit in ejus Vitæ proœmio, ibi: *Multorum fratrum precibus, et germana charitate devinctus, quod de prædicto mirabili Viro ab Egregiis ejus Diſcipulis didici, aggrediar, Deo auctore, deſcribere.* Unde in Nuncupatoria editionis Romanæ anni 1656. Vitæ S. Romualdi à Petro Damiano deſcriptæ, ſic Romualdum ipſum Auctor alloquitur: *Poſtquam ille* [nempè Damianus] *mores*

tuos

tuos cum veſtibus tui Ordinis induit, in S. Vincentii Monaſterio degens, ubi tu (Romualde) *ſanctiſſimè vixeras, alique ex tua diſciplina Viri ſanctimonia vitæ percelebres diem extremum clauſerant, cùm inibi animadverteret eximiarum virtutum veſtigia non leviter impreſſa, ipſique parietes vitæ tuæ beatæ ſuaviſſimos ſpiritus illi afflarent, adjecit animum, ut facta tua heroica publicis monumentis conſignaret. &c.*

IV. Sed et in Petri Damiani vita, ab Joanne ejus Diſcipulo ſcripta, bis ad prędictum S. Vincentii Cœnobium ſe contuliſſe dicitur; ſemel quidem primis ſui tyrocinij annis, ut cap. 5. narratur his verbis. *Dum hic* (Petrus Damiani) *eſſet aliquando cum ſuo profecturus Magiſtro, molliorem ſcapularem induere, atque pulcriorem, quàm affectaret, equum aſcendere juſſus eſt; rogare itaque Magiſtrum ſubmiſſis cæpit precibus, ne ſibi hoc dignaretur præcipere, quod ipſe nimiùm, velut indecens, abhorreret. Magiſter verò ejus precibus acquieſcere nolebat, ne vilipendere videretur Diſcipulum, quem diligebat tamquam unicum, ſi ſic eum, juxta ſuum deſiderium, ſecum permitteret incultum procedere. Diſcipulus autem longè aliter ſentiens, totumque aliorſum convertens, nimium erubeſcebat, ſæcularibus jam apparere nitidulus; ne ipſe, qui olim ſæculo renunciaſſe videbatur, ſæcularem pompam adhuc carnaliter quærere putaretur. Quod tamen opprobrium multò magis ille ſubire, quàm inobedientiæ notam maluit, quam videlicet incurrere vehementiùs expavit. Videbatur enim ſibi, prout ipſe referebat, ut quicumque illum ſic comptum equitare cernerent, digito demonſtrarent, et velut carnalem ſubſannarent: ſicque non Monachi, ſed Sponſi nomen aptarent. Undè tantus rubor ejus ſuffuderat faciem, ut vix caput* erige-

erigere, vix in quempiam poſſet acies oculorum dirigere. Illis autem regredientibus, cùm ad Cœnobium S. Vincentii, cui vicina rupes Petra pertuſa vocabulum indidit, perventum fuiſſet; jam Domini ſervus ulteriùs ferre nequit ignominioſum nitidulæ veſtis ornatum: occaſione itaque ibidem paulisper remorandi reperta; Magiſter cæpto itinere tendit ad Eremum; Ille verò alium ſibi ſcapularem humiliorem ſtamine, et colore acquiſitum induit: ſicque velùt immani ſarcina, qua depreſſus hactenus fuerat, leviatus, quantocyùs poſt Magiſtrum ad proprium eſt Monaſterium reverſus; nequaquam enim eos æquò poterat, qui ſquallidis utebantur veſtibus, venuſtis ipſe indutus, reviſere: dum moribus ornari potiùs geſtirent, quàm veſtibus.

V. Quo ex loco apertè liquet, eadem habitus ſpecie, colore, forma, conſuetudine, tam Avellanitas, quàm Monachos S. Vincentii indutos fuiſſe, dum apud hos Damianus idoneam tunicam inveniſſe dicitur, qua ad illos, non jam recenti, aut nuper lota veſte, ex tenuiori lana contexta, candidus, et nitidulus, ſed craſſiori ſtamine, ac nativa ovium albedine ſquallidus, et incultus, cæterisque ſuis fratribus concolor appareret: nimirum apud utroſque non exquiſitus, et affectatus *candor*, qui *luci* potiſſimùm affinis eſt, ut Diſſert. III. cap. 6. num. 16. probavimus, ſed *albedo* ſimplex *pallori* potiùs conjuncta, in uſu erat; de quo diſcrimine, ad complures Monaſticarum Antiquitatum textus conciliandos, et auctoritates Petri Cluniacenſis lib. 4. Ep. 17. nec non Smaragdi in expoſitione Regulę cap. 55. candidum veſtis colorem improbantium, *Quia magis gloriā, quàm*

quàm abiectionem deſignant, cum monumentis, et traditionibus pro Monaſtici habitus albi vetuſta conſuetudine, Differt. III. cap. 7. à num. 14. et deinceps adductis componendas, legere iuvabit Servium inſignem Grammaticum in lib. 3. Georgicorum ſic ſcribentem: *Aliud eſt candidum eſſe, ideſt quadam nitente luce perfuſum, aliud album, quod pallori conſtat eſſe vicinum*; Nec non Cornelium Frontonem de differentia vocabulorum inter utrumque ſic diſtinguentem, ut *Candidum propriè dicatur quod ſit cura, album quod ſit natura*. Sed hoc obiter adnotaſſe ſufficiat.

VI. Secundò ad idem S. Vincentii Cænobium miſſus legitur Petrus Damianus, ut Monachos illos tum in sacris Litteris erudiret, tum ad Monaſticam Perfectionem uberiùs promoveret, ut idem Joannes Diſcipulus Petri Damiani teſtatur in ejus Vita cap. 6. *Peracto igitur cum ſuis confratribus permiſſi temporis ſpatio, iterũ ejuſdem rei gratia, ob quam Pompoſiam ierat, ad S. Vincentii, cujus ſupra meminimus, Monaſterium pergere jubetur. Ibi quoque aliquandiù commoratus, nequaquam ſegnis à Dominicæ Vineæ cultura quievit, donec, cooperante ſibi Domino, uberem ſui fructum famulatus impenderet*. Atque hac ſecunda vice Damianum, ab hujus Cœnobii Monachis, D. Romualdi Diſcipulis rogatum, ſcribendæ Romualdi Vitę conſilium in ſe ſuſcepiſſe conſtat: nam ex una parte videtur illam non longè à ſuæ Converſionis initiis conſcripſiſſe, ex illis Prologi verbis: *Nobis autem in anguſto Cellulæ angulo reſidentibus, utilius erat, ſicut propoſuimus, propria peccata ad mentis oculos aſſiduè revocare, quàm alie-*

næ Virtutis hiſtoriam texere; magis expediret commiſſi reatus tenebras plangere, quàm ſplendida Sanctitatis inſignia imperitis ſermonibus offuſcare; Ex alia verò parte, non potuit illam prima vice in hoc Monaſterio exarare, cùm in tranſitu dumtaxat ibi præſens adfuerit, nec moram operi huic perficiendo opportunam ibidem traxerit.

VII. Rurſus aliis vicibus in S. Vincentii Cœnobio diutiùs vixiſſe, ac poſt ſuſceptum Eremitarum regimen ejus ſpirituali directioni ſollicitè invigilaſſe Damianum conſtat ex Tom. 1. ejuſdem S. Doctoris lib. 6. Ep. 32. ubi exempla relaturus ex ijs, quæ in dicto Monaſterio contigerant, *domeſtica* illa eſſe notat, atque à *præceptis* inibi auctoritate ſua conſtitutis, et nonnullorum pervicacia, divinitus demum punita, neglectis dependentia narrat; ait enim. *Ut autem è domeſticis quoque præbeamus exemplum, in Monaſterio B. Vincentii, quod non procul à monte, qui dicitur Petra pertuſa, cernitur conſtitutum, hoc tamquam regulare conſtitueramus edictum: ut ſub diſtricti cenſura rigoris quadrageſimale celebraretur initium: nimirum ut per triduum nonniſi modicum panis cum aqua omnes fratres comederent; nulla niſi lectionum, ſive ordinum verba proferrent; nudis pedibus lugubres, ac mærentes incederent; expleto communi modulatione pſalterio, mutua ſe ſcoparum caſtigatione purgarent. Quod cum fratres voto, et animo, ac ſpirituali jucunditate non ſegniter agerent: et ultra etiam quod præfixum erat, ſatis ſuperque peculio bonæ voluntatis agerent: quidam inter eos extitit, qui clam in edendo regulam violavit.* Hinc peſſimam hujus Prævaricatoris mortem deſcribit, quæ ſe præſente contigerat: *Ut audiant*, inquit, *et pertimeſcant*

qui

Digitized by Google

qui indictam diſciplinæ regulam, per propriæ voluptatis impatientiam frangunt. Undè liquet, quàm ſeverè Petri Damiani Statuta in hoc S. Vincentii Cænobio cuſtodienda, et quàm non temerè, et impunè violanda eſſe, Deus ipſe, terribili erga hunc Monachum ultione, monſtraverit.

VIII. Sed et integrum illud idem Cœnobium, ob intermiſſam, quam Damianus induxerat, quotidiani B. Mariæ Virginis Officij conſuetudinem, graviſſima Deus animadverſione corripuit, unde eodem loco ſic proſequitur S. Doctor: *Dicam et aliud, quod in præfato contigit Monaſterio. Statutum erat, atque jam per triennium ferè ſervatum, ut cum horis canonicis B. Mariæ ſemper Virginis Officia dicerentur. Erat autem inter eos Gozo, habitu Monachus, reprobæ quidem vitæ, ſed dicacis, et accuratæ facundiæ. Hic cæpit conqueri, ſatis ſuperque ſufficere quod Sanctus præcipit Benedictus, nec novæ adinventionis pondus debere ſuperponi, nec nos eſſe antiquis Patribus ſanctiores: qui videlicet hæc ſuperſtitioſa, ac ſupervacanea judicantes, pſallendi nobis metam, omnemque vivendi regulam præfixerunt: hac ſanè debere nos eſſe contentos, ne ab illa incautiùs declinantes, per anfractus, et invia ducamur erronei. Quid plura? Contra Reginam mundi præliari viſus eſt, et confecit: ad hoc nimirum fratres verſuta machinatione pellexit, ut ſolitas Beatæ Mariæ laudes ulteriùs non offerrent. Sed ob divinum judicium à noſtræ pravitatis intuitu non dormitans! Mox enim adverſùs præfatum Monaſterium tot adverſitatum grandines, tot undique bellorum, atque conflictuum exortæ ſunt tempeſtates; ut ipſis quotidiè Monachis minaces gladii necis exitum intentarent.*

tarent. Fiunt undique deprædationes, atque rapinæ; conflagrantur cum ſegetibus areæ; familiares, ac ſervi ſancti loci crudeliter trucidantur: et non jam imago mortis, ſed mors ipſa graſſatur, adeòut tæderet jam Monachos vivere, dum nequaquam poſſent in procinctu certaminis amicum quieti ſuæ profeſſionis officium cuſtodire. Non parvis expenſis ad Teutonum partes Imperator expetitur, pragmaticæ ſanctiones cum Sigillis Imperialibus advehuntur; ſed tantundem eſt; in omnibus quippe ſtudiis non fructus, ſed labor ſupervacuus. Tum ſubdit, ut ſuis præſertim monitis, Monachi divinam ultionem agnoſcentes, culpam humiliter expiaverint, ſicque procella omnis ſedata fuerit: *Tandem*, inquit, *ad cor redeunt, pavimento ſe humiliter ſternunt, ac percepta pænitentia, numquam ſe de cætero neglecturos ſolita Genitricis Dei præconia unanimiter pollicentur. Mox itaque, ut fatear, ita poſt coruſcos, atque tonitrua tanta cæli ſerenitas rediit; ut ex tunc uſque hodie fratres jucundæ pacis otio perfruantur; ac de Scyllæa voragine ſe delatos ad portum, gubernante Filio Virginis, gratulentur*; ac demum ſic concludit: *Qui ergo facilè Seniorum ſuorum ſtatuta convellunt, iſta conſiderent: et ne divini furoris ſuper eos gladius veniat, non ſine cauſa formident.*

IX. Tanto prætereà erga hoc S. Vincentii Cœnobium amore Vir Sanctus ardebat, ut illud præ cęteris Bonifacio Duci enixus commendandum ſuſceperit, ut conſtat ex lib. 7. Ep. 15. ubi hęc habet. *De Monaſterio autem S. Vincentii Excellentiam veſtram præ omnibus, et ſuper omnia rogo, ut illud ſpecialiter diligas. Prædia, quæ ab invaſoribus detinentur, legali ſibi jure reſtituas, et à cunctis mor-*

mortalibus protectionis tuę ſcuto defendas: in hoc igitur Monaſterio evidenter appareat, ſi apud veſtræ Celſitudinis aures majus aliquid impetrare mea humilitas valeat. Numquã profectò parem ſollicitudinem de ipſa ſuæ Profeſſionis ſede, Avellanenſi nimirum Eremo, numquam de ullo ex tot Monaſteriis, ab ipſo ſpeciatim erectis, ſimilem curam oſtendit, ac de prælaudato S. Vincentii Cænobio, quod Romualdus præclaris ſuis inſtitutis, ſuorumque Diſcipulorum reliquiis conſecraverat.

X. Denique longiſſimo tempore, ac diutiùs fortè quàm alibi, in prædicto Monaſterio converſatum fuiſſe Damianum, colligi poſſe videtur ex caſu Arduini, quem decem annorum ſpatio promiſſæ eidem Damiano converſionis votum differentem, Sanctique Viri aſſiduas inſtantias eludentem, juſto Dei judicio punitum narrat lib. 5. Ep. 16. *Dicam*, inquit, *quod ſuper non diſſimili re nuper apud nos accidiſſe cognoſcitur. Vir quidam Arduinus nomine, famoſæ prudentiæ genere clarus, divitijs opulentus, certa mihi devotione ſpoponderat, quòd ſi ante non poſſet, ſaltem expleto decennio, ad Monaſterium B. Vincentij, quod videlicet in Urbinati conſtitutum eſt territorio, Monachicum ſuſcepturus habitum declinaret. Tandem termino condictæ pactionis exacto, cùm ego huic aſſiduus exactor inſiſterem; ille inde cedendo, blandiendo verbis quidem bonum omne promitteret, ipſius autem converſionis effectum quibuſdam tergiverſationibus protelaret; Rector quoque jam dicti Monaſterii illius favebat votis, dißuadebatque converti, cujus nimirum pernecesſariis ſuſtentabatur auxiliis. Intereà languore corporis irruente decubuit &c.* Sed de Monaſterio S. Vincentii jam ſatis.

XI. Ad

XI. Ad S. Salvatoris de Monte acuto Peruſini territorii Cœnobium tranſeamus, quod Ludovicus Jacobillus de SS. Umbriæ tom. 2. aſſerit à S. P. Romualdo ædificatum; et ſi verò poſtmodum tom. 3. illud idem ſub Ordine Ciſtercienſi anno 1008. conſtructum ſcribat: patet, impreſſionis errore contigiſſe, ut *Ciſtercienſi* pro *Camaldulenſi* ſubrogaretur; enimverò ne quidem natus anno 1008. eſſe poterat S. Robertus Abbas Ciſtercienſium Pater, adeò non tunc pro Ciſtercienſibus illud Monaſterium fundari poterat; imò alibi dũtaxat anno 1394. illud Ciſtercienſibus conceſſum Auctor fatetur; quòd quidem ab anno 1504. in Commendam à Julio III. conceſſum, ad manus Galeatii Gabrielis Fanenſis pervenit, qui anno 1522. annuente Clemente VII. Camaldulenſium Eremitarum Coronenſi Congregationi Abbatiam hanc reſignavit, apud eoſdem, Petri Fanenſis nomine aſſumpto, Monachum induens, ubi egregiis ſanctimoniæ titulis floruit; itaq; in hoc etiam Cœnobio, quod et pridem Camaldulenſium juris fuit, et nunc etiam ad eorundem proprietatem rediit, ſæpiùs converſatus eſt Petrus Damianus, ut notat Jacobillus citatus: imò ejusdem Abbas aliquando extitit, ut ex Tomo 1. operum S. Doctoris lib. 6. Ep. 30. colligitur, ubi ſic ait: *In Peruſino Monaſterio, Sancti videlicet Salvatoris, cui nuper et ipſe præfui, quidam Monachus paulò ante fuerat, nomine Guinizo &c.*

XII. Inſuper in eodem Peruſino territorio ad Mõtem Pregium habitavit Damianus in Eremo S. Vincentii, quam S. P. Romualdus in poſſeſſione Rainerii Mar-

Marchionis fundaverat, ut ex cap. 39. ejus Vitæ in fine, et ſequenti 40. colligitur, confirmatque Coſmus de Arena in Serie Ducum Etruriæ parte 1. pag. 183. eandemque inter loca à S. Romualdo ædificata recenſet Jacobillus de SS. Umbrię tom. 2. atque ab eodem Petro Damiano, nedum inhabitatam, ſed ad majorē cellarum copiam, et ſervorum Dei frequentiam promotam fuiſſe narrat in Damiani Vita Joannes Diſcipulus cap. 7. ibi: *Pervenit igitur ad Montem Pregium, in territorio Peruſino, ibique alia* (pręter ea nimirum, quæ jam extabant) *Eremitarum fundavit habitacula, ubi videlicet cellulam quamdam invenit, in qua B. Romualdum quondam manſiſſe ferebant.*

XIII. Addit porrò Jacobillus, Damianum exinde Peruſiam profectum, et in Hoſpitio Camaldulenſi, quod apud Eccleſiam S. Matthæi in Campo Horti, nunc PP. S. Franciſci conceſſo, aliquamdiù habitaſſe; imò et aliàs in Monaſterio S. Giſmundi apud Marſianum in Monte Regio Ordinis Camaldulenſis, ubi S. P. Romualdus habitaverat converſatum eſſe pariter Petrum Damianum, non uno in loco, fatetur; Sed et in Eremo Serrę Sanctę, ſeu Serræ Sanctorum apud Montem Apenninum in Regione Tadini diœceſis Nucerinæ S. Doctorem vixiſſe aſſerit cum S. Joanne Laudenſi ejus Diſcipulo, ubi pridem S. Romualdus, et S. Facundinus Epiſcopus habitaverant; Itemque vel ipſemet Petrus Damianus, vel certè S. Dominicus Loricatus ejus Diſcipulus, verſati ſunt in Eremo Luceoli, quam S. Romualdus [poſt Urbis illius vetuſtiſſimæ

vaſta-

Digitized by Google

vaſtationem ab Othone III. ſub annum 996. imperatam, eoquòd partes Creſcentii Romani Conſulis ſequeretur, eodem Jacobillo teſte, ad reſtaurandam antiquam loci Religionem, conſtruxerat, atque in decem et octo cellas diſtinxerat; ubi poſtquàm Dominicus Loricatus *Sub magiſterio S. Viri Joannis, qui dicebatur de Monte Feretri, per plurimos vixit annos* (inquit Petrus Damiani lib. 1. Ep. 19.) ſe ejuſdem Petri Damiani directioni ſubdidit: *Longè verò poſt, Magiſtro præbente conſenſum, dignatus eſt Vir Sanctus prædictus mihi miſero, et quem ipſe ſuſcipere dignaretur, indigno, mira ſe prorſus humilitate committere, et ſicut Abbati Monachum ſubjugare. Cui nimirum præſtitit, non accepit; Et quem ſuſceperam velut in ſubiectione clientem, gaudeo me in ſchola Chriſti verè Philoſophorum percepiſſe Doctorem*. Quod certè fieri non poterat, ſi Religione, et Inſtituto, habituque à Petro Damiano Dominicus Romualdi Sectatorum Alumnus diſtaſſet.

XIV. Poſtquàm verò in proxima cum Damiano cella Dominicus Loricatus ſub ejus diſciplina degerat: undè lib. 6. Ep. 30. de ipſo ſic ait: *Sed cur ego Sanctos commemorando viros, diverſa paſſim loca perluſtro? quandoquidem intra limen, et præ manibus teneo, ad cujus dignè efferenda præconia impar viribus non aſſurgo; Certè cellulis altrinſecùs conſtitutis, ſolo Baſilicæ mediantis interſtitio, ego, illeque dividimur, cujus ſi virtutibus enumerandis invigilo, ante dies elabitur, quàm ſcribendi materia deficere poſſe videatur. Dominicum dico, Doctorem videlicet, et Dominum meum*. Poſtmodum, inquam, Prior *S. Mariæ Sitriæ* factus

eſt,

eſt, quę notiſſima Eremus à S. P. Romualdo conſtructa ex ejus Vita cap. 49. ubi etiam *Per ſeptem ferè annos incluſus manſit, et ſilentium continuum inviolabiliter tenuit* (ex eadem Vita cap. 52.) quæque Sanctiſſimis ejus Diſcipulis referta laudatur ab eodem Petro Damiano ibidem cap. 64. *Taliter autem in Sitria vivebatur, ac ſi ex ſimilitudine non ſolùm nominis, ſed etiam operis, altera denuò Nitria videretur... O aureum Romualdi ſæculum, quod etſi tormenta perſecutorum non noverat, ſpontaneo tamen martyrio non carebat! aureum, inquam, ſæculum, quod inter montium, ac ſilvarum feras tot cæleſtis Jeruſalem cives alebat*. Hujus ergo Monaſterii, ſive Eremi Prior factus eſt Dominicus Loricatus, ut conſtat ex titulo Epiſtolę 31. libri 6. *Ad Dominicum Loricatum Priorem S. Mariæ Sitriæ, ejuſque Eremitas*; atque tunc etiam à Petri Damiani nutu, et magiſterio, cùm ipſe, tum ejus ſubditi pendebant, ut ex ejuſdem Epiſtolæ initio colligitur, ubi ſic habet Damianus. *Scripſiſtis mihi, Dilectiſſimi, quia tantus perverſorum, ac violentorum hominum vos livor infeſtat, quòd niſi vobis ego raptim, celeriterque ſuccurram, vos loco ceditis, aliumque vobis, qui rapinis his, atque moleſtiis non ſit obnoxius, providetis*.

XV. Quare patet, Sitrienſium curam ad Damianum utique pertinuiſſe; undè mutua probatur locorum Romualdi, ac Petri Damiani communio, et Monachorum ex his in illa, ac viciſſim, promiſcuus tranſitus: ut certè ex Sitria Dominicus Loricatus bienniò ante mortem receſſit, et ad Eremum Montis Suavicini [nunc Frontalis] ſe contulit, quæ ab ipſo Petro

Damiani fundata erat (ut ipſe tradit tom. 3. Opuſc. 15. cap. 6. *In illa Eremo*, inquit, *quam*, *Auctore Deo*, *in latere Suavicinii montis ipſi conſtruximus*) ibidemque ſpiritum Deo reddidit, primùm in ſua Cella ſepultus, dein, Petri Damiani juſſu, in Capitulo poſt nonum diem tumulatus, ut lib. 1. Ep. 19. ad Alexandrum refert ipſe Petrus Damianus; qui pariter nunc hìc, nunc illic indiſcriminatim habitabat, deque ſupradicto Sitriæ Monaſterio, velut ad ſe attinente, pluribus in locis mentionem ingerit, imò ex crebris Sitrienſium exemplis, atque colloquiis ab eodem relatis, frequentiùs fortaſſe, quàm inter Avellanitas, verſatum ſe eſſe apud Romualdi Diſcipulos, eorumque ſucceſſores in Sitria, indicare videtur.

XVI. Certè tom. 3. Opuſc. 13. cap. 22. de hoc Sitriæ Monaſterio, tamquam de proprio, ſic loquitur S. Doctor: *Habemus denique ſenem in Monaſterio ſcilicet Sitriæ, vocabulo Mainardum, quem ſcilicet adhuc paludatum cùm admonuiſſem, ut Monachus fieret*, &c. Hinc Leonis Sitriȩ, aliorumque ejuſdem loci Eremitarum exempla, tamquam domeſtica, Theuzoni Florentino Eremitȩ proponit ad ejus ſuperbiam comprimendam tomo 1. lib. 6. Ep. 30. *Utinam*, inquit, *præſens adeſſes, et quid in his ſilvis ab ignotis, atque deſpectis agatur, oculo judicante perpenderes! tamen ut ſe, ſi fortaſſis ineſt, tumor arrogantiæ deprimat, vel breviter aliquid te de illorum converſationibus erudire non pigeat* &c. Tum de Martino Storace diſſerens: *Quemdam*, inquit, *habemus in cellula ruſticum idiotam* &c. Tum ad Leonem Sitriæ tranſiens: *Veniam*, inquit,

ad

Digitized by Google

ad Dominum meum Leonem, et verè Leonem, Cujus ſe conſiliis ſæpe uſum indicat; itidemque Lupum inclusum, et Petrum Eremitam ejusdem Sitrienſis Eremi commemorat. Nec dubium eſt, prædictum Leonem fuiſſe Petri Damiani potiſſimum Directorem: nam Tom. 3. Opuſc. 11. illum ſic alloquitur, in Libelli, quem huic Eremitę inſcribit, Nuncupatoria: *Te non qualemcumque Complicem, vel Amicum, ſed Te Patrem, Te Doctorem, Te Magiſtrum, et Dominum electum mihi præ cunctis penè mortalibus habeo: Et quid ampliùs dicam? quandoquidem meum te Angelum eſſe conſtitui, ut in dubijs rebus quodcumque hæſitanti, ac ſciſcitanti mihi conſilium ex tuo ore procederet, ita protinus indubitanter acciperem, ac ſi vox mihi cœleſtis oraculi angelitus intonaret: atque ideò ſi quando ſcrupuloſæ cujuslibet rei mihi ſubrepit articulus, antequàm te conſulturus accedam, hoc apud te divinam imploro clementiam, ut te quaſi ſuæ voluntatis organum faciens, tuo mihi ore præcipiat, quid me facere in obiecta ambiguitate decernat.*

XVII. Neque verò inter Ordinis Camaldulenſis loca, in quibus Petrus Damiani domicilium habuit, Cænobium noſtrum S. Apollinaris in Claſſe Ravennæ omitti meretur, quod et Romualdi converſionis primordiis eſt conſecratum (ex ejus Vita cap. 1.) eumdemque biennio ſaltem Abbatem ſe habuiſſe gloriatur (ibidem cap. 22.) atque ipſius Vigilantiæ debet, quòd à Simoniaco Præfecto quondam purgatum fuerit (ubi ſupra cap. 41.) Nec minùs interim Petro Damiano debet, quòd præſentiſſimam illi opem in gravi diſcrimine tulerit, ut conſtat ex ejus litteris commendatitijs

Digitized by Google

ad S. R. E. Cardinales Bonifacium Epiſcopum Albanenſem, et Stephanum Presbiterum, pro Abbate S. Apollinaris, quę habentur Tom. 1. lib. 2. Ep. 4. *Nolo vos lateat, dilectiſſimi mihi Fratres, et Domini, quia modernus iſte Jacob, Rector videlicet Monaſterii Sancti Apollinaris, noſtri montis cacumen irrepſit .... miſericordiam, quam habetis, et qua abundanter affluitis, ei clementer exhibete, ut de ruina ſui loci, vel habitationis excidio non neceſſe ſit trepidare. Proſit igitur illi tam ardui montis ſubiiſſe faſtigium &c.* Sed et gloriari poteſt idem Claſſenſe Cœnobium, quòd apud ſe tantum Virum, quantus eſt Petrus Damianus, exceperit: enimverò lib. 6. Ep. 26. *Ad Marinum ſuum Patruelem Monachum Claſſenſem*, tunc adhuc novitium, quæ incipit: *Rudis tyro facilè in prima belli congreſſione proſternitur &c.* Teſtatur ſe illi propriis manibus habitum Monaſticum in Claſſenſi Cœnobio impoſuiſſe: *Præſertim cum et ipſe tibi Monachicum tradiderim habitum, non ſine cauſa me à conſultationibus tuis diffiteor abſolutum*; ubi et ſe aliàs converſatum fuiſſe ſatis innuit, ut cùm ait: *In eodem planè Claſſenſi Cœnobio, quod nunc incolis, ætate noſtra* [nempè dum ibi degeret] *quidam Monachus vicē Prioris obtinuit &c.* Et circa finem ſe Claſſenſium conſortio, et conſuetudine uſum ſignificat, dum ita concludit: *Omnes autem Sanctos fratres Monaſterii tui mea vice ſaluta; chariſſimos autem mihi Fratres Boninum, et Petrum, ſi ſolito more videris aliquando excelſiùs canere, hoc diſtichon, meo nomine, in eorum manibus pone &c.* Id quod magnam familiaritatem hos inter, et S. Doctorem interceſſiſſe profectò indicat; ut nihil addam

de

de mutua commigratione et Claſſenſium ad Avellanitas, et horum ad Claſſenſes, quæ ex Epiſtolis 12. libri 2. et 15. libri 6. relucet: qua de re etiam Differt. III. cap. 7. num. 8. obiter diximus.

XVIII. Quod ſi igitur, ut omnia ad brevem ſummam redigam, ex hactenus latè deductis colligitur, Monaſterium Fontis Avellani, ubi Petrus noſter Monaſtico ſchemmate eſt initiatus, à S. P. Romualdo quondam inhabitatum, et à B. Ludulpho ejus Diſcipulo inſtitutum: Avellanitarum vivendi formam, et generatim cum ea, quam Romualdus Eremitis preſcripſit, et ſpeciatim cum Camaldulenſium conſuetudinibus conveniſſe: Ad Romualdi auctoritatem paſſim à Damiano provocari, dum ſuorum Monachorum mores componere nititur: Ipſam Petri Damiani Regulam apud Camaldulenſes vim legis obtinuiſſe: mutua ſocietate Avellanitas cum Camaldulenſibus olim conjunctos, in hoſpitii, et ſuffragiorum communionem receptos, habitu, ſeu colorem, ſeu formam reſpicias, ſimillimo uſos: Ipſum Petrum Damiani, ſin minùs Romualdi Auditorem, certè ejus Diſcipulorum Alumnum fuiſſe, et veroſimiliter in Eremo Camaldulenſi, evidentiſſimè autem in tot aliis à Romualdo conſtructis, vel ſub ejus diſciplina militantibus Eremis, atque Cœnobiis commoratum, ejuſdemque Inſtituti lacte enutritum. Quid ampliùs dubitare liceat, illum à S. Romualdo traditæ diſciplinæ ſectatorem vixiſſe, adeòque Camaldulenſem verè et propriè appellandum, juxtà generalem Nominis hujus ſignificationem Differt. I. cap. 2. num. 21. explicatam?

XIX.

Digitized by Google

XIX. Hinc meritiſſimè tot exterorum Scriptorum conſenſu Petrus Damiani Camaldulenſis eſt habitus, et appellatus; è quibus hoc loco recĕſere ſufficiat, Gabrielem Pennottum ab ipſo P.Laderchio citatum, Ludovicum Jacobillum de SS. Umbrię, Paulum Morigiam in Hiſtoria Religionum cap. 58. Cornelium à Lapide in Apoc. c. 3. Martinum Baronium in Vita quinque Fratrum Polonorum Martyrum, Joannem Paulũ Porteſanum in Vita S. Theobaldi, Joannem Petrum Creſcentium in Præſidio Romano lib. 1. part. 2. Narrat. 2. Stephanum Demalevicium in Vita S. Bogumili cap. 28. Secundum Lancellottum Hiſt. Olivet. lib. 2. cap. 22. Ludovicum Thomaſinum de Benef. p. 1. l. 3. c. 25. Ludovicum Du Pin Bibl. Eccleſ. tom. 8. par. 2. c. 14. §. 10. Antonium Mariam Bonuccium Ephem. Euchar. die 22. Februarii, Auguſtinum Lubin in Notitia Abbatiarũ Italiæ litt. A. Pontifices Maximos Piũ V. Gregorium XV. et Urbanum VIII. quorum duo poſtremi Petrum Damianum *Decus, et Gloriam Camaldulenſis Ordinis* appellarunt in ſuis Diplomatibus à D. Andrea Vallemannio Abbate noſtro citatis, tum in Petri ejuſdem Vita in Tabulas, cum aliis SS. Ordinis elogiis, digeſta, tum in ſermone de S. Dominico Loricato pag. 84. Primus verò, ut Ractius noſter in deſcriptione Sacræ Eremi cap. 19. et in Vita ejuſdem Petri Damiani pag. 50. et Thomas Minius Hiſt. Camald. lib. 8. cap. 1. teſtantur, adeò perſuaſum habebat, Damianum Camaldulenſis Inſtituti fuiſſe, et Avellanenſem Abbatiam dudum in Ordine noſtro floruiſſe

ruiſſe, ut eandem eidem Ordini reſtituere, poſt commiſſum Joanni Baptiſtæ Novarienſi Generali Apoſtolicam ejus Monaſterii Viſitationem die 22. Decembris 1568. decreverit; quod et perfecit aliis Diplomatibus die 1. ac 10. et 14. Decembris 1569.

XX. Undè vel ex hoc ipſo, quòd jam Camaldulenſes in loca à S. Petro Damiano, alijſque ejus Congregationis Illuſtribus Viris, inhabitata jam plenè ſucceſſerint, illorumque omnia jura ad nos tranſierint, Petrum ipſum Damianum, ejuſque Diſcipulos, ac Succeſſores non incongruè in noſtrorum Cathalogis recipiendos quis exiſtimaverit, ad Nos eorum cultum, eorum Gloriam pertinere, ne temporalium dumtaxat bonorum hæreditatem adiiſſe videamur, ac quæ potiora ſunt primò occupantibus dimiſiſſe. Quæ obſervatio an per jocum, an ſeriò adijci meruerit, quiſque pro arbitrio dijudicet: Similem ego Viri Graviſſimi, et Doctiſſimi Joannis Mabillonij in medium afferam ex ejus Præfatione ad Tom. 1. Hiſtoriç Monaſticç, quæ noſtro propoſito adamuſſim congruit, ſic igitur habet. *Quæ hactenus dixi, Monaſtici Ordinis* (dicamus nos Camaldulenſis Ordinis) *per illa tempora unitatem probant, cui Regularum diverſitas nullo modo præſcribebat. Quamobrem in ſecernendis Sanctis, aut illuſtribus Viris, qui S. Benedicti Regulam* (ſeu D. Romualdi Diſciplinam). *ſecuti ſunt; aut in diſtinguendis Monaſterijs, quæ eidem Regulæ ab origine ſubiecta fuere, ſcrupuloſior, aut moroſior minimè fuero: certus, utrorumque notitiam ad noſtram pertinere hiſtoriam; tum quia unus, ut dixi, omnium Ordo erat; tum quia etſi diverſi*

tum

tùm fuiſſent Ordinis, omnibus illis Monaſteriis ad Ordinem noſtrum tranſlatis, ad eoſdem pertinet honos, quibus pervenit hæreditas; atque adeò mutila eſſet, atque imperfecta Ordinis noſtri hiſtoria, ſi illorum Monaſteriorum, ac Monachorum commemorationem prætermitteremus. Quod quidem non ſolùm magno hiſtoriæ noſtræ detrimento fieret, ſed etiam ingrati animi vitio nobis verteretur. Nos porrò hac in re morem ſequimur Chriſtianæ Eccleſiæ, quæ Viros Sanctos, et Illuſtres Veteris Teſtamenti ſibi adſcribit, proptereà quod una ſit utriuſque Teſtamenti Eccleſia. Ob eandem cauſam antiquiores Monachos, ut Patres noſtros, ſuſpicimus &c.

CAPUT VII.

Præcipua Laderchij argumenta confutantur.

SYNOPSIS.

Commiſſa à Laderchio Congregationis, et Ordinis confuſio. Num. 1. *An ex Regula S. Benedicti probetur Avellanitarum, et Camaldulenſium cognatio.* 2. *An ex identitate Conſtitutionum.* 3. *Harum diverſitatem probare nititur Laderchius.* 4. *Plures Congregationes, diverſis Conſtitutionibus, eodem ſub Ordine militant.* 5. *Item plura ejuſdē Ordinis Monaſteria.* 6. *Argumento Laderchii, nec Monachi, et Eremitæ Camaldulenſes ad eundem Ordinem ſpectarent.*

ſtarent. 7. *Diverſæ ſubinde Conſtitutiones, tum pro Eremitis, tum pro Monachis ejuſdem Congregationis propoſitæ*. 8. *Diverſas non fuiſſe Avellanitarum, et Camaldulenſium Conſtitutiones*. 9. *Gratis id negari à Laderchio, qui utraſque non legerit*. 10. *Sæpius in Avellanitarum Regula, quàm in Camaldulenſium Conſtitutionibus, Romualdum citari*. 11. *Cur non omnia expreſſè ad Romualdum referat Damianus*. 12. *Laderchii obſervatio, et antilogia*. 13. *Et ſi pro Avellanitis ſpeciales eſſent Damiani Conſtitutiones, communem tamen Romualdi Eremiticam Diſciplinam concernere potuiſſe*. 14. *Non modò aliqua, ſed omnia ad Romualdi Inſtitutionem attinentia à Damiano probari*. 15. *Diſcipulos S. Romualdi an veluti ad ſe nihil attinentes Damianus nominet*. 16.

I. IAm verò Laderchii argumēta, quibus hanc ſententiam oppugnare niſus eſt, audiamus. Ait ergo lib. 1. cap. 8. num. 6. *Prætereundum tamen non putamus, nonnullos, ſtellas manentes in Ordine, et curſu ſuo, nimirum Congregationes Camaldulenſem, et Avellanenſem inordinatè in unam conflare conatos: quamvis ipſis ignoſcendum arbitremur, quia ſcilicet germana charitas, et ſocietas, quam Dominus dedit inter Avellanenſem, et Camaldulenſem Familiam, decepit eos, quos certè meliùs faciem cæli, et terræ probare rogamus. Inter hos recenſetur Gabriel Pennottus ſupra relatus, à quo Fontis Avellanæ Eremitæ paſſim Camaldulenſes nuncupantur, et alii*. Ubi ſanè, in ipſo Controverſię limine, in ipſa Quęſtionis propoſitione inſigniter hallucinatus videtur Auctor; neque enim *Congregationes Camaldu-*

Digitized by Google

lenſem, et Avellanenſem inordinatè in unam conflare conamur, dum S. Petrum Damiani Camaldulenſem aſſerimus: ſed utramque potius, ideſt *Camaldulenſem*, in ſpeciali acceptione, quæ ſolos Sacræ Eremi Etruriæ Eremitas complectitur (juxtà diſtinctionem alibi expoſitam) et *Avellanenſem* à B. Ludulpho S. Romualdi Diſcipulo inſtitutam, atque à Petro Damiani maximè illuſtratam; quemadmodùm et *Coronenſem*, et *Taurinenſem*, et *Gallicam*, et noſtram *S. Michaelis Murani* Monaſticam Familiam, in unum *Ordinem* à Romualdo inſtitutum redigimus, quem latiori ſignificatione *Camaldulenſem*, ex nobiliſſimo, ac celeberrimo omnium Loco ſumpta denominatione, appellamus, ex his quę Diſſert. I. cap. 2. notavimus. Idque ex illa ipſa *Germana Charitate, quam Dominus dedit inter Avellanenſem, et Camaldulenſem Familiam*, jure optimo factum eſſe oſtenditur: non enim alio, quàm ejuſdem Inſtituti vinculo, eademque S. P. Romualdi diſciplinæ æmulatione, ſociale fędus utriusque familiæ conſiſtere poterat, quale inter nos, et alias Monaſticas Congregationes ab Ordine noſtro prorſus independentes, non interceſſit.

II. Proſequitur autem Author noſter num. 7. *Hanc verò unitatem ex identitate Regulæ non probari, liquidò apparet; nam ſi ex eo, quòd eadem S. P. Benedicti Regula ab utraque Congregatione cuſtodiebatur nimis, unam tantummodò fuiſſe conïicitur; igitur et Ciſtercienſium, et Cluniacenſium, et Vallumbroſanorum, et Silveſtrinorum Congregationes, quæ omnes eandem S. P. Benedicti Regulam profitentur, non plures, ſed una tantummodò erit Congregatio. Quo nihil abſurdius*

dius dici poteſt. At nemo in animum induxit, ut ex ſola Benedictinæ Regulæ profeſſione Fontem Avellanæ ad Camaldulenſium Inſtitutum pertinere deduceret: niſi fortè illud aliundè quis adiiceret, aut ſaltem ſupponeret, Avellanitas Eremiticam inſuper Vitam coluiſſe, cujus ad Benedictinæ Regulæ Canones coniunctio ſolum S. P. Romualdum Auctorem, et Inſtitutorem agnoſcit, quemadmodũ Diſſert. I. cap. 5. num. 10. obſervavimus. Qua ratione patet, nullam eſſe ab Avellanitis ad cæteros Monachos, quos recenſet Laderchius, deductionem.

III. Pergit tamen num. 8. *Minùs*, inquit, *ex identitate Conſtitutionum conſtat non probari talem unitatem, per quas Conſtitutiones unaquæque Congregatio differt ab alia, ſicut ſtella à ſtella; nam ſi, cum Auguſtino Fortunio, S. Romualdum Conſtitutiones non edidiſſe fatemur, et ſuis Camaldulenſibus non tradidiſſe, igitur non eſt eadem cum Avellanenſi Camaldulenſis Congregatio: nam illa, utì videbitur, proprias inſtitutiones habuit, ſecus iſta. Quid dicemus ad hęc? Reſpondebimus ſanè Sanctum Romualdum nullas dediſſe Conſtitutiones, ſed nec ullas habuiſſe, non ſolùm Camaldulenſes, ſed nec Avellanenſes; et hoc ex ipſo Petro Damiani, qui in Opuſculo de Ordine Eremitarum Fontis Avellani hæc habet, agens de ſuæ Congregationis Inſtitutis (volo autem, Fratres mei, de veſtræ Converſationis Ordine pauca perſtringere, ut quòd in veſtris nunc vivis operibus legitur, etiam apicibus traditum, ad eorum, qui nobis in hoc loco ſucceſſuri ſunt, notitiam transferatur: quatenus etſi non contigerit eos ad altiora conſcendere, eandem ſaltem vivendi Regulam, quam vos tenuiſſe*

nuiſse didicerint, et ipſi ſtudeant fideliter obſervare; ut qui habitationis fuerint ſucceſſores, ſint nihilominus et converſationis hæredes) Ex quo conſtat, ante hæc tempora Avellanenſes Eremitas certas non habuiſſe Conſtitutiones, et potiùs moribus, quàm legibus deductos fuiſſe ad obediendum fidei in omnibus; non eſt ergo, quòd ex Conſtitutionibus probetur contra unitatem Congregationum iſtarum, dum nec iſta, nec illa ipſas habuit; imò dicendum, ambas juſtè ante Deum inceſſiſſe in omnibus mandatis, et juſtificationibus Domini, quas illas docuerat S. Romualdus, ſine querela, et tali pacto ambas proceſſiſſe in diebus ſuis.

IV. Quam reſponſionem ſic confutandam aggreditur ſequenti num. 9. dicens: *Sed cùm ab uno Magiſtro Avellanenſem, et Camaldulenſem ſimul Familiam volumus, cur prima ab alia legibus cæpit vivere, non traditionibus contenta? Nam anno* 1040. *vel circiter, à Petro noſtro Damiani inſtitutiones ſuæ Congregationis inſcriptæ perhibentur, vel tutiùs anno* 1071. *vel* 1072. *nam ex ipſius verbis, morti proximum illas ſcripſiſſe, apertè colligitur: dum alloquens in Prioratus officio ſuos Succeſſores [Ecce, dicit, Fratres mei, fui quod eſtis, et emenſus ſum quod tranſitis: præſtò vobis ſunt quæ deſerui, propinquum eſt quò perveni] et anno centeſimo ſupra milleſimum, et ultra, Regulam Eremiticam, Auctore Auguſtino Fortunio, promulgavit B. Rodulphus Eremi Camaldulenſis Prior, conſentiente Hilemperto Epiſcopo Aretino. Et ad quid perditio hæc, novæ Rodulphi Regulæ, ſi ex tunc tantum temporis illam monumentis Petrus N. Damiani mandaverat? ſi, ut ſupponitur, eandem ipſam, quam habuerunt ex ore Sancti Romualdi Camaldulenſes, et*

Avel-

Avellanenſes quoque acceperunt? Hæc ille.

V. In quibus primò diſſimulari non debet, Scriptorem hunc in probanda Congregationum Avellanæ, et Camalduli [nempe Sacræ Eremi Etruriæ] diſtinctione, inanem operam ludere, cùm id in quæſtionem minimè cadat, ſed tantùm: an utraque ad eundem Ordinem à S. Romualdo inſtitutum, quem Camaldulenſem dicimus, pertineat? Fucum itaque Lectoribus facit, dum anxiè inquirit, an utraque, an neutra eodem tempore ſcriptis Conſtitutionibus vixerit, et an ſuperfluo labore Camalduli conſuetudines B. Rodulphus ſcripſerit, poſtquàm Avellanę inſtitutiones S. Petrus Damiani dictaverat? Quaſi vero hinc Ordinis unitas pendeat! Cùm nimis evidens ſit, tam multas paſſim occurrere ejuſdem Ordinis Congregationes, quę non ijſdem, nec eodem tempore ſcriptis inſtitutionibus utantur: quemadmodùm aliæ ſunt Capuccinorum, aliæ Minorum Obſervantium, aliæ Conventualium leges, quamvis ſub eodem S. Franciſci Ordine militantium; aliæ pariter Carmelitarum, quos Calceatos nuncupant, aliæ Excalceatorum Conſtitutiones; item aliæ Nudipedum Auguſtinienſium, aliæ Congregationum, veteris Eremitani inſtituti ſequacium, conſuetudines: ut nihil de Monaſtico, nihil de ipſo Camaldulenſi Ordine adiiciam, in quo alii ſunt Cœnobitarum, alii Eremitarum Sacræ Eremi Etruriæ, alii Cōgregationis Montis Coronæ, alii denique Taurinenſiū, alii Gallorum Eremitarum vivendi mores, tametſi eundem omnes communem Patrem Romualdum,

ſuæ-

Digitized by Google

ſuæque converſationis Magiſtrum agnoſcant, eodemque Camaldulenſium cognomine glorientur.

VI. Secundò, cùm ex dictis Differt. I. cap. 2. num. 11. omnia pridem Monaſteria, quaſi totidem Congregationes, abs ſe invicem independentia conſiſterent, congruum erat profectò, ut ſingula ſuis Conſtitutionibus ſcriptis uterentur, quales ex multis MSS. commemorat Martene de Antiquis Monachorum Ritibus, putà Corbejenſes, Divionenſes, Tullenſes, Compendienſes, Laudunenſes, Lyrenſes, &c. quarè quid mirum, ſi Camaldulenſis Eremus proprias habuit conſuetudines, itemque proprias Fontis Avellanæ ſolitudo ſervaret, primò quidem ex ſola Traditione per Romualdum acceptas, deinde ſcriptis expoſitas, primò quidem à Petro Damiani pro Avellanitis, aliquantò autem ſeriùs à B. Rodulpho pro Camaldulenſibus? Etſi enim omnes quò ad ſubſtantiam convenirent, pro Regionum tamen diverſitate, poterat in circumſtantiis quidpiam occurrere, quod variè accomodandum eſſet locis, temporibus, atque perſonis. Quod et in noſtro caſu potiſſimùm eveniſſe conſtat, nam ipſe Damianus Opuſc. 15. fatetur, non extra Eremum, in qua degebat, ſe Conſtitutiones ſuas extendere: *Nec tam, quid ab Eremitis fieri debeat, generali definitione præſcribimus, quàm quid in hac Eremo fiat, cùm loco, tum perſonæ ſpecialiter intimamus*. Similiterque B. Rodulphi Statuta non ultra ſacram Eremum, et adnexum Fontisboni Cœnobium, ſuam vim exerebant, dicente Luca Hiſpano Hiſtor. Romuald. lib. 1. cap. 12. *Nam illa, quæ apud Rodulphũ*

eſt

eſt, ſubiectionis Conſtitutio ultra Fontis boni habitatores non extenditur. Nihil ergo cogebat, ut unius loci Conſtitutiones ad alterius loci notitiam devenirent, nedum ut quæ in uno promulgarentur, in alio ſtatim receptæ, inibi degentes continuò obligarent.

VII. Tertiò, ſi qua eſſet Laderchiani argumenti vis, æquè probaret Camaldulenſes Cœnobitas, nequidem primis illis quinque ſæculis, quibus ſociali fædere cum Eremitis ſacræ Fremi Etruriæ coniunctiſſimi, ſub eodem Generali Priore vixerunt, ad ipſummet Camaldulenſem Ordinem pertinuiſſe; nam Eremitis quidem primas Conſtitutiones B. Rodulphus Prior, fatente Laderchio, propoſuit, Cœnobitę verò uſque ad Martinum III. abſque ullis ſcriptis conſuetudinibus peculiaribus, ſola S. Benedicti Regulæ obſervatione retenta, vota ſua Domino reddiderunt, teſte Fortunio Hiſtor. Camald. part. 1. lib. 2. cap. 40. ubi de Martino III. hęc habet. *In generali concilio apud ſacram Eremum anno* 1254. *celebrato, PRIMAS Patribus promulgavit Conſtitutiones, quibus omnis verè Cænobiticæ inſtituendæ Vitæ rationem, tam quò ad divina, quàm quò ad mores &c. quinque libris complexus eſt*. Itaque hìc dici poſſet cum Laderchio*: igitur non eſt eadem, cum Eremitarum Camaldulenſium Congregatione, Camaldulenſis Monachorum Congregatio, nam illa, utì viſum eſt, proprias inſtitutiones habuit* [à tempore B. Rodulphi, uſque ad 1254.] *ſecùs iſta: quid dicemus ad hæc?* Pariter cum eodem Laderchio dici poſſet: *Sed cùm ab uno Magiſtro Eremitarum, et Monachorum Camaldulenſium ſimul familiam volumus, cur prima*

ab

ab alia legibus cæpit vivere, non traditionibus contenta? Et ad quid perditio hæc novæ B. Martini III. Regulæ, ſi ex tunc tantum temporis illam monumentis B. Rodulphus mandaverat? Si, ut ſupponitur, eandem ipſam, quam habuerunt ex ore S. Romualdi Eremitę, et Monachi quoque acceperunt? Et tamen non modò ad eundem Ordinem, ſed ad eandem tunc indiviſam, etiam quò ad externum regimen, Congregationem, Cænobitæ pariter, atque Eremitę Camaldulenſes pertinebant.

VIII. At ne in diverſo Vitæ genere, quod hi, et illi, ſub unius licèt Congregationis regimine viventes, ſequebantur, aliquam argumenti diſparitatem cavillari quis poſſit, quartò obſervabimus, in eademmet Congregatione, ac ſub eodem Generali, nec non in ejuſdem diſciplinæ genere, militantia loca, diverſas quandoque Conſtitutiones, regionibus illis congruentes, habere, et ſervare conſueviſſe. Sic idem Martinus III. qui anno 1254. ut retulimus, omnium Monachorum Conſtitutiones compilavit, jam anno 1248. pro ſolo Cœnobio S. Matthię Murani peculiares Conſtitutiones ediderat, quæ legi poſſunt apud Fortunium Hiſt. Camal. part. 2. lib. 3. cap. 5. Imò notare juvat, eoſdem ipſos Religioſos, iiſdemque locis agentes, pro varia temporum conditione, ſuas Conſtitutiones paſſim innovare. Sic B. Rodulphus, poſt primas Conſtitutiones, alteram deinde mitiorem vivendi regulam ſuis Eremitis propoſuit, ut patet ex Fortunio lib. 1. cap. 65. primę partis Hiſtoriarum Camaldulenſium: cui ſucceſſere poſtmodum Placidi Statuta, tum Ghe-

rardi

Digitized by Google

rardi Conſtitutiones, hinc Pauli Juſtiniani Regula Vitæ Eremiticæ, ac demum quę ſub Clemente X. prodierunt eorundem Eremitarum Etrurię in Regulam S. Benedicti Declarationes, quibus jam utuntur: quemadmodùm et Conſtitutionibus Monachorum à B. Martino III. concinnatis, alię ſub Octaviano Protectore, alię sub Generali Bonaventura, aliæ ſub Ptolomæo Gallio Cardinali, aliæ ſub Pio V. nonnullæ etiam ſub Clemente VIII. adiectę ſunt. Ut nihil addam de ipſomet Petro Damiano, qui Congregationis ſuæ Avellanenſis Inſtituta bis conſcripſiſſe deprehenditur, nimirùm Opuſculo 14. et 15. Annon verò hìc pariter locum haberet Laderchiana exclamatio, ex inconſulto, ſimulatoque Judæ Proditoris zelo imitata: *Ut quid perditio hæc?* quandoquidem pro Eremitis, pro Monachis Camaldulenſibus, pro ipſis Avellanitis ſufficientes vivendi Leges monumentis jam traditę fuerant? Tam non diverſus igitur hinc argui poteſt ab Avellanitarum Ordine Ordo Camaldulenſis, quàm non ipſimet Camaldulenſes à Camaldulenſibus, et Avellanitæ ab Avellanitis diverſi probantur.

IX. Sed quintò demum reſpondeo, et ſi *alias* pro Avellani Fontis alumnis Conſtitutiones ediderit Petrus Damiani, *alias* Rodulphus pro Camaldulenſibus, non tamen *diverſas*, nec in ſubſtantialibus diſſidentes, imò utraſque pariter à Romualdi Inſtitutione derivatas, quemadmodùm fusè cap. 3. et 4. ſupra oſtendimus: quare ex Damiani, et Rodulphi Conſtitutionibus non diverſitas, ſed identitas Inſtituti Avellanenſium, et

Camaldulenſium demonſtratur. Idque præſertim obtinet, ex quo amplius eædem S. Petri Damiani Conſtitutiones in ſacra Camaldulenſi Eremo receptæ fuerant, ac Regulæ vim obtinebant, tum ante B. Rodulphum, tum etiam poſt ipſum, qui illas (excepta Sabbati remiſſione, ac paucis aliis, quæ cum ſacræ Eremi Camaldulenſis uſibus non penitus conveniebant) adhuc ab Eremitis obſervandas in ſuis ipſis Conſtitutionibus ſtatuit, ut ſupra cap. 5. num. 5. 6. et 7. demōſtravimus.

X. Ex quo patet reſponſio ad ea, quæ in ſententiæ ſuæ confirmationem Laderchius ſubdit num. 10. *Sed et Conſtitutionum ipſarum inter ſe collatarum ſeries, ordo, et cætera hujuſmodi, non ab uno fonte proceſſiſſe abundè demonſtrant: et licèt verum ſit, nonnulla Sancti Romualdi monita in ſuis Conſtitutionibus, et alibi, Petrum inſeruiſſe; ex hoc tamen non ſequitur, omnes Conſtitutiones à Petro ipſo Avellanenſibus traditas, fuiſſe Romualdi; Immò oppoſitum, non fuiſſe, niſi eas, quas ſignanter nominat: nam ſi omnes fuiſſent Romualdi, non eſt excogitanda ratio, cur debuiſſet nonnullas tantùm Romualdo tribuere, et non omnes, ſi ſuæ eſſent. Legentibus enim perſpicuum eſt, quod cùm aliquod Romualdi dictum enunciat, illud non ut præceptum Magiſtri, ſed potiùs eo more refert, quo in pleriſque Regulis Auguſtini, Hieronymi, vel Patrum, vel ſeniorum monita, et dicta enunciantur; quæ ideò ob hanc cauſam Regulæ Auguſtini, vel Hieronymi, &c. jure non dicuntur*. Patet, inquam, ex ſupradictis, ad hæc omnia reſponſio, nam prorſus commentitia ſunt, et contra apertam rei evidentiam gratis con-

confiĉta: verùm aliquid donandum eſt homini, qui cauſæ ſuæ nimiùm fidens, antequàm vel minimam Conſtitutionum B. Rodulphi lineam legeret, vel externa etiam Codicis ipſarum tegumenta videret, perinde tamen, acſi cum Petri Damiani Regula illas contuliſſet, pronunciare auſus eſt, quòd *Conſtitutionum ipſarum inter ſe collatarum ſeries, Ordo, et cætera hujuſmodi, non ab uno fonte proceſſiſſe abundè demonſtrant*.

XI. Quod verò addit, Romualdi ſententias in Petri Damiani Conſtitutionibus allegari, non ut Magiſtri præcepta, ſed quaſi Sanctorum Eccleſiæ Doctorum monita, et dicta, indeque non omnia inibi contenta ab Romualdi Inſtitutione profecta aſſeri debere, ſed illa pauca dumtaxat, quæ expreſsè ad ipſum Romualdum referuntur: Id planè oſtenderet, multò minùs Eremitas, ac Monachos Camaldulenſes ſub ejuſdem S. Patris Romualdi, vel olim militaſſe, vel nunc militare vexillis; enimverò in ipſorum Conſtitutionibus vix toties Romualdum citari deprehendes, quoties in Avellanitarum Legibus à Petro Damiano deſcriptis nempe in his quidem, quater, aut quinquies Romualdi mentionem expreſſam Damianus ingerit: in illorum verò nonnullis ſemel, atque iterum: in aliis ne ſemel quidem Romualdi nomen auditur; quarè ſi Laderchii judicio ſtandum eſſet, nec omnis Camaldulenſium diſciplina à D. Romualdo penderet, nec tamquam Magiſtri, et Inſtitutoris præcepta, ſed ut cujuſdam peculiaris Sancti conſilia, et ſententiæ, quælibet Romualdi Inſtituta ab Eremitis noſtris habenda forent: quo

nihil dici poteſt abſurdius. Verùm an Damianus Romualdi, velut Magiſtri, auctoritatem allegaverit, ſatis ex dictis ſuperiùs colligitur, ac præsertim ex his, quæ cap. 5. num. 2. et 3. notavimus.

XII. Ratio autem, cur pauca quædam è multis ad Romualdi inſtitutionem expreſsè à Petro Damiani referantur, eſt quòd reliqua non ab ipso S. Patre ſpeciatim excogitata, ac noviter adinventa fuerant, ſed ab antiquorum Anachoretarum vivendi modo imitata, ſuoque inſtituto aptiſſimè accomodata; narrat enim Damianus in Vita S. Romualdi cap. 8. illum in Veterum Patrum hiſtoriis legendis verſari ſolitum, eorũque exemplis uſum fuiſſe in reſtituenda, perficiendaque per Occidentem Eremitica diſciplina: qua de re jam Diſſert. I. præſertim capite 5. pluribus actum eſt; unde et idem Damianus Opuſc. 15. cap. 2. altiorem Vitæ Eremiticæ originem à Paulo, et Antonio repetit, et cap. 18. *Quidquid*, inquit, *in B. Benedicti Regula, quidquid in Inſtitutis, ſivè in Collationibus Patrum eſt dictum, huic competere diſciplinæ perpendimus*; Et tamen audet Laderchius Damianum quaſi Eremiticę Vitæ Patrem nobis ubique depingere, ut cùm lib. 1. cap. 14. num. 7. pronunciat, *Ante Petrum Damiani, neminem ex Ordine S. Benedicti, in Italia ſaltem, tam eximias Eremiticas Inſtitutiones tradidiſſe*. Quod ipsum potiori jure de S. P. Romualdo, Vero Eremitarum Occidentis Anteſignano cenſendum eſt, *qui ante omnes* (ut notat B. Paulus Juſtinianus in Præfatione ſuæ Regulæ) *Eremiticè vivendi regulas, et Inſtitutiones, non ſcriptis, ſed ſuo vivendi*

vendi exemplo, ſuiſque documentis, et admonitionibus, coætaneis ſuis tradidit, et poſteris omnibus dereliquit, Chriſtum fortaſſe Dominum imitatus, qui, quod ipſe faciendo, ac docendo inſtituit, non ſcriptis tradidit, ſed aliis poſt ſe ſcribenda reliquit. Quarè patet, nihil obſtare, quòminùs ex Romualdi proceſſiſſe diſciplina Conſtitutiones Petri Damiani dicantur, et ſi non omnia S. Romualdi propria fuerint, ſed ipſa dumtaxat ex D. Benedicti, et antiquorum Patrum Inſtitutis collecta methodus, ejuſdemque ad Monachos facta applicatio, propria Romualdi fuerit, aliquibus tantùm eximiis monitis ab eodem S. Patre locupletata, quæ ad ipſum expreſsè referre voluit Damianus, ad majorem illis auctoritatem conciliandam, cùm cætera Veterum PP. conſuetudinibus conſecrata jam eſſent, atque ſemel (in Vita S. Romualdi cap. 8. et 9.) eorum omnium fontem indicaſſet, ex quo Romualdus eadem in Occidentalium, quos inſtruere aggreſſus eſt, Eremitarum uſum traduxerat.

XIII. Pergit verò Laderchius eodem cap. 8. citat. num. 11. *Et Petrus ipſe de ſuæ Congregationis Inſtitutis ſcribens ad Stephanum Monachum, hoc inſinuat, dum dicit. (nec quid ab Eremitis fieri debeat, generali definitione præſcribimus, quàm quid in hac Eremo fiat, tum de loco, tum de perſona, ſpecialiter intimamus) peculiares itaque ſui loci fuerunt Inſtitutiones illæ, quas ſcripſit, non communes quibuslibet ſub B. Romualdi diſciplina degentibus; nam in tali caſu dicere potiùs debuiſſet, quòd omne id intimaret, quod et à ſuo loco, et à cunctis Eremitis Romualdi ſectatoribus cuſtodiebatur,*

tur,

tur, nec ſui loci ſpeciales poterat nuncupare Regulas, quas aliis locis comperiebat eſſe communes. Ubi obſervandum eſt, Scriptorem hunc haud ſatis ſibi conſtare, dum ſupra, verbis num. 4. relatis, mirabatur Rodulphum novas Eremiticas Conſtitutiones pro Camaldulenſibus adornaſſe, cum illas jam Petrus Damiani tantò antea monumentis tradiderat: nunc verò nobiſcum fatetur Damiani Regulas pro ſola Avellanenſi Eremo conſcriptas, adeòque locum fuiſſe aliis Conſtitutionibus, quæ alios extra Avellanam Romualdi Sectatores devincirent.

XIV. Cæterùm eodem modo, quo ſpeciales pro Camaldulenſi Eremo (ut num. 6. animadvertimus) Conſtitutiones B. Rodulphi eſſe poterant, ſpeciales item pro Cœnobio S. Matthiæ Murani primæ illæ B. Martini III. Conſtitutiones, de quibus num. 8. actum eſt, quæ propterea, licèt diſciplinæ S. Romualdi conformes eſſent, alia tamen loca, vel à S. Romualdo condita, vel ad Camaldulenſem Ordinem ſpectantia, obligare nequaquam debuerant; ita et B. Petri Damiani Conſtitutiones, licèt communes Romualdinorum obſervantias comprehenderent, Eremi tamen Fontis Avellanæ peculiares, ex primaria ſui Authoris intentione, eſſe poterant: ſeu quia, præter communes Ordinis conſuetudines, nonnulla etiam comprehenderent perſonis illius loci dumtaxat accomodata, regioni convenientia, atque uſu recepta: ſeu quia, etſi penitus nihil, præter communem vivendi morem, præſcriberent, eo ipſo tamen, quòd ab eo Prælato proponebantur, qui particulari eidem loco præerat, non omnibus

nibus aliis ad eundem Ordinem ſpectantibus, utique [ad vim obligandi quòd attinet] Speciales evadere debuerant, nec veluti Generales, omnibusque communes haberi poterant, propter ſpecialem Præcipientis auctoritatem, certiſque perſonarum, ac locorum limitibus reſtrictam juriſdictionem.

XV. Quod verò ſubdit Laderchius num. 12. ubi de Petro Damiani ſic habet: *Ibidem etiam loquens de diſcretione Prælati (et nos approbamus, dicit, quod ſuis ſæpe Diſcipulis B. Romualdus dixiſſe perhibetur) dum approbat igitur hoc unum, quod ſuis Diſcipulis dicebat S. Romualdus, et cætera pauca, quæ diſtinguit ſignanter, omnes inſtitutiones non fuerunt S. Romualdi, ut diximus; nec dicere debuerat, Romualdum hæc docuiſſe ſuos Diſcipulos, iſtos ut ad ſe omninò non pertinentes nominans, ſi eorum ſe magiſterio ſubieciſſet; eò magis, quòd tunc temporis vivebant quàmplurimi ex illis, à quibus et egregia tanti Patris geſta, quæ ſcriptis mandavit, ſe didiciſſe fatetur. Et infra dicens quod ſupra retulimus, videlicèt [non omnia hujus inſtitutionis præcepta minutiùs nos deſcribimus, ſed multa, quæ et paſſim nobis occurrunt, ex ſtudio prætermittimus: quidquid enim in B. Benedicti Regula, quidquid in Inſtitutis, ſive in Collationibus Patrum eſt dictum, huic competere diſciplinæ perpendimus; tamen in unum hic cuncta colligere, ſuperfluum judicamus] apertè innuit, ſe ſpeciales ſui loci edidiſſe Inſtitutiones, non ſignanter à Romualdo tantùm acceptas, ſed Regulæ S. Benedicti, Patrum Inſtitutionibus, et præcipuè Eremi, quam colebat, ſanctis conſuetudinibus, et moribus innixas.* Quod, inquam, hìc ſubdit, ex parte jam in ſuperioribus confutatum eſt, nec

repe-

repetere vacat quę toties ſupra clariſſimè oſtendimus: ex parte verò facilem, et obviam reſponſionem habet, obſervando, Damianum loco per Laderchium citato nequaquam innuere, ſe *Illud unum* præcisè approbare, quod de Prælati diſcretione S.P. Romualdus docuerat, ſed ſimplici aſſertione id approbare, nec tamen cæterorum à Romualdo derivationem abnuere, quam res ipſa loquitur ex collatione utriuſque Inſtituti cap. 3. et 4. facta (præter expreſſam mentionem D. Romualdi, quę occurrit apud Damianum in Pſalmodiæ diſciplina, aliiſque, à nobis cap. 5. num. 2. et 3. ponderatis) quamque tacitè ſaltem deſignare videtur Damianus ijs ipſis verbis à Laderchio allegatis (*Non omnia bujus Inſtitutionis præcepta minutiùs nos deſcribimus, ſed multa, quæ et paſſim nobis occurrunt, ex ſtudio præterimus;* Opuſc. 15. cap. 18.) Quæ enim alia erat hujuſmodi Eremitica Inſtitutio, niſi quæ à B. Romualdo tunc recèns inſtaurata vigebat? Nam etſi ab antiquis Orientis Patribus complura ad hanc diſciplinam pertinentia Romualdus fuerit imitatus, ad certiorem tamen methodum, perfectamque regulariter vivendi normam, omnia revocavit, et in his Occidentalibus plagis primus ad praxim reduxit: dicente Paulo Juſtiniano in Præf. ſuæ Regulæ Eremiticæ: *Vita verò Eremitica in Occidentali Eccleſia Sectatorem fortè aliquem, Inſtitutorem autem nullum habebat, primus autem in ea Auctor, et Inſtitutor fuit Vir omni Sanctitate conſpicuus, atque per omnia admirabiliſſimus Beatiſſimus Romualdus, &c.*

XVI. Cæterùm an Diſcipulos S. Romualdi, velut ad

ad ſe minimè attinentes nominet Damianus, ut Laderchius cavillatur, jam alibi obſervavimus, præſertim cap. 5. num. 10. et cap. 6. num. 3. Nam in Proœmio Vitę S. Romualdi illos ſuos FRATRES appellat, eorumque precibus adductum ſe aſſerit, GERMANA CHARITATE urgente, ad S. Patris Geſta litteris conſignanda. Quod ſi id non ſemper expreſsè repetit, quoties de Diſcipulis S. Romualdi mentionem ingerit, et quid Vir Sanctiſſimus Diſcipulos ſuos doceret, referre ſatagit: non propterea illos velut à ſe alienos commemorare cenſendus eſt; niſi dicamus, Evangeliſtas ſe à Chriſti diſciplina alienos pronunciare, quoties enarrant parabolas, quas *Dixit Jeſus Diſcipulis ſuis*; aut niſi aſſeramus, eundem Petrum Damianum etiam à S. Benedicti diſciplina ſe alienum facere, dum S. Benedicti Diſcipulos nominat tom. 2. Serm. 8. nec ſe illis expreſsè conjungit, eoſque propterea, ut ad ſe omnino non pertinentes, Laderchii judicio, commemorat. Sed quomodo Romualdi Diſcipulos, velut ad ſe minimè attinentes nominare Damianus poterat? eos nempe, quibuſcum frequentiſſimè vivebat, ut toto cap. 6. oſtenſum eſt, quorum etiam magiſterio, et directione utebatur, ut reſpectu B. Leonis Sitrienſis cap. cit. num. 16. ex Damiano probavimus: qui tamen Leo, ex eodem Damiano lib. 6. Ep. 17. *Jam per ſeptuaginta ferè annos in Monaſtico habitu degebat*, adeòque Romualdo vivente, et ſub ejus auſpiciis, Eremiticę Vitæ tyrocinium poſuerat, inter ejus Diſcipulos apud Sitriam ſuperſtites, omnium fortaſſe antiquiſſimus.

CAPUT VIII.

Reliqua à Laderchio obiecta diſcutiuntur.

SYNOPSIS.

Quodnam argumentum Laderchium maximè premat. Num. 1. *Ut illud ſolvere nitatur Author.* 2. *Solutionis impugnatio*. 3. *Ad Ordinis ſui fundationem, Romualdo neceſſariam non fuiſſe Inſtitutionum propriarum ſcriptionem*. ibid. *Duo alia Laderchii dicta confutantur*. 4. *Ulterior evaſio primarii argumenti à Laderchio tentata*. 5. *Claſſenſe Cænobium cur Camaldulenſi Eremo copulatum fuerit?* 6. *De aliis Monaſteriorum Unionibus intra eundem Ordinem*. 7. *Alia Laderchii cavillatio refutatur*. 8. *Inſtantia rurſus alia Adverſarii contra noſtram ſententiam, falſo nitens ſuppoſito*. 9. *Duplex diſparitas, ad hoc propoſitum à Laderchio adducta, impugnatur*. 10. *Duæ aliæ Laderchii Obiectiones*. 11. *Primæ illarum ſolutio*. 12. *Secundæ confutatio*. 13. *Ultimum Laderchii argumentum diluitur*. 14.

I. TAm potenti luce vis Veritatis irradiat, ut in oculos etiam ſe fugientium incurrat: ideò Laderchium noſtrum latere nequaquam potuit unum ex præcipuis argumentis, quibus Camaldulenſe Petri Damiani Inſtitutum probari ſolet, ex eo petitum, quòd S. Dominicus Loricatus Sitriæ Prior, ejuſdem Petri Dami-

Damiani Diſcipulus fuerit, quemadmodùm et nos Cap. 6. num. 14. demonſtravimus. Nullum itaque non movet lapidem Scriptor noſter, ut hoc ſuæ cauſæ præiudicium amoliatur, atque in omnem ſe verſat partem, ut obicem hunc ſibi moleſtiſſimum protegat; Nam uſque ab anno 1699. quo tempore Vitæ S. Petri Damiani colligendæ incumbebat Laderchius [licèt in hujus Operis anno 1702. editi Præfatione, ſe ad ejus Lucubrationem tres menſes dumtaxat impendiſſe aſſerat] memini, me tum Romę degentem ab ejuſdē Auctoris ore audiviſſe, dum invicem de hac ipſa Controverſia colloqueremur, quòd ex omnibus argumentis, quę pro noſtra ſententia afferuntur, unum hoc ſibi maximum, præ cæteris, negocium faceſſeret, licèt ejus vi à præconcepta ſententia ſe dimoveri non pateretur.

II. Sic igitur proponit, atque enodare Laderchius aggreditur ejuſmodi difficultatem num. 13. *Dices, Romualdum Eremum Sitriæ fundaſſe, in qua deinceps fuit Dominicus Loricatus, Damiani Diſcipulus; ſub Conſtitutionibus ergo Romualdi, utpotè in Eremo ab hoc fundata*. Cui argumento ſic ſtatim reſpondet. *Sed negatur conſequens ex ſupra allatis, quòd Romualdus Conſtitutiones non dedit (ſed tacente lingua, et prædicante vita) docuit, et licèt multa ſub Regula S. Benedicti fundaverit loca; tamen quæ in ijs ſupra Regulam cuſtodiebantur, ab ipſo Magiſtro, exemplo potiùs, quàm verbo, vel ſi verbo, verbo tamen Cōſtitutionibus certis non alligato, jubebantur, uti ab Abbate, non ab Inſtitutore novæ Regulę, ſed potiùs ut à peculiari illius, vel iſtius loci Præce-*

 ptore,

ptore, et Magiſtro; Quod utique perduravit, uſquequò ducti Spiritu Romualdi, Conſtitutiones ejus, Camaldulenſes apicibus tradiderunt, et Petrus item ſuas dedit, ex quibus utique ab Avellanenſi diſtinguitur Camaldulenſis Congregatio, uti ſub Regula S. Benedicti Ciſtercienſes, Cluniacenſes, Vallumbroſanæ Congregationes ſeparantur ad invicem. Hæc ille.

III. In quibus, quid priùs, quid magis admirer, ambigere me fateor: nùm ſcilicet, quòd Sitrienſem Eremum à S. Romualdo fundatam, ejuſque habitatores ad Ordinem Camaldulenſem pertinere inficiatur, quia S. Pater Conſtitutiones ſuas ſcriptis non exaravit: nùm quòd eundem S. Patrem, non velut Eremiticę Vitæ Inſtauratorem, ſed velut peculiarem hujus vel illius loci Pręceptorem nobis exhibeat: nùm denique, quòd hunc rerum ſtatum obtinuiſſe aſſeveret, uſquedum Camaldulenſes Conſtitutionibus ſuis conſcribendis animum applicuerunt. At enim quæ monſtra hęc ſunt rerum, et ſententiarum? De *primo* jam cap. præced. num. 12. diximus cum Paulo Juſtiniano, Romualdum utique Conſtitutiones ſuas ſcriptis non prodidiſſe, Chriſti ipſius Domini noſtri exemplo, *Qui, quod ipſe faciendo, ac docendo inſtituit, non ſcriptis tradidit, ſed aliis poſt ſe ſcribenda reliquit:* ſed nec Magnus Antonius Abbas, tot Monachorum Pater, ullam Regulam, aut Inſtitutionem ſcripto mandavit, at Vitæ ſuæ exemplis, et documentis in ejus Diſcipulorum mente altiùs impreſſis, Sectatores ſuos abundè erudivit, ut Auctor eſt Athanaſius: *Eſt enim*, inquit, *Monachis ſufficiens caracter ad Aſceticam Antonii Vita*; Quod ipſum de Romualdo dici

dici poteſt, qui omnium Occidentalium Eremitarum Patris, et Inſtitutoris titulum ſuo vivendi exemplo, ſuiſque monitis ſaluberrimis promeruit, ut Diſſert. I. cap. 5. probavimus, et quem Damianus ipſe in ejus Vita cap. 9. aſſeruit nihilominùs: *vivendi REGULAM cunctis ſingularis Vitæ Sectatoribus præfixiſſe*, quam in ipſa ejus admirabili Hiſtoria relucentem accepimus, unde et B. Rodulphus in Conſtit. anni 1085. primos Camaldulenſis Eremi incolas nobis deſcribit, *jugiter Venerabilis Romualdi Vitam, atque doctrinam commemorantes*. Omitto, quòd nec S. Joannes Gualbertus Vallumbroſanæ Familię, nec S. Robertus Abbas Ciſtercienſibus ſcriptas Conſtitutiones reliquerunt, nec S. Stephanus Grandimontenſium Pater Inſtitutiones ſuas ſcripto cōſignavit; quas ab ejus Diſcipulis olim collectas, et in Gallicum idioma nuper converſas apud Auguſtinum Mercier anno 1704. impreſſas audivimus. Unde patet, nihil omninò referre, quòd Conſtitutiones ſuas Romualdus non ſcripſerit, ad Monaſterium Sitriæ ab ejus Ordine ſecernendum, qua ratione Camaldulenſis quoque Eremus eſſet ſimiliter abjudicanda, cùm neque ibi Romualdus ullam Regulam ſcripſerit, nec uſquam omninò peculiares ſuæ diſciplinæ Canones exaraſſe deprehendatur.

IV. De *ſecundo* verò, hoc eſt an Romualdus, velut unius privatæ Domus Magiſter, Sitrienſibus præfuerit, an potiùs ut communis omnium Cænobiarcha, et Eremiticæ Diſciplinæ Inſtitutor haberetur, videnda ſunt quæ Diſſert. I. cap. 3. num. 14. contra hoc ipſum Laderchii

derchii effatum, expreſsè obſervavimus, neque hoc loco fruſtra ſunt repetenda. De *tertio* demùm, quid addam, niſi quòd ejuſmodi obſervatione videatur inferre Laderchius, nos nequaquam à Romualdo, ſed ab ijs, qui ejus Conſtitutiones ſcriptis tradiderunt, originem ducere? Quod eſſet, inſigne Patriarchę elogium Romualdo eripere, illudque in Rodulphum transferre; nec ſolùm Romualdus è Religioſarum Familiarum Fundatoribus, hac ratione, exularet, ſed et Joannes Gualbertus, et Robertus, et Stephanus, et omnes fermè Monaſticarum propaginum Inſtitutores, qui pariter nihil ſcriptis tradiderunt, eorumque loco, ipſorum Diſcipuli et Succeſſores, quotquot Statuta aliqua Ordines ſuos concernentia condiderunt, reponendi eſſent, ac pro Vallumbroſanorum, Ciſtercienſium, aut reſpectivè Grandimontenſium Patriarchis habendi eſſent. Quod eſt oppidò perridiculum.

V. Proſequitur autem Laderchius num. 14. *Præterquàm quòd Conſtitutiones Romualdi, vel vivæ vocis oraculo, vel deinde apicibus traditas, non receperunt omnia loca, vel quæ fundaſſe, vel quibus præfuiſſe narratur; undè ad ſuam Congregationem Camaldulenſem non pertinere eos, qui in ipſis, vel Eremis, vel Monaſteriis fuerunt, evidenter colligimus, aliis prætermiſſis, ex eo, quòd licèt Claſſenſi Monaſterio præfuiſſe ex juſſione, tam Imperatoris Othonis, quàm ipſius S. Apollinaris infallibiliter habeatur: nihilominùs idem Monaſterium, cui præfuit S. Romualdus, nonniſi anno centeſimo trigeſimo octavo poſt milleſimum, centum videlicèt, et ampliùs annos poſt ejuſdem Romualdi deceſſum, ab Archiepi-* *ſcopo*

ſcopo Ravennate Gualterio Camaldulenſi ejus Congregationi traditum fuit. Nam nova certè iſta traditio ſuperflua erat, ſi ex tunc tantū temporis locus idem Beatiſſimi Inſtitutoris præcepta recepiſſet, cùm videlicèt ut Abbas ei præfuit. Sicut igitur ex hoc conſtat, Camaldulenſes nuncupari non potuiſſe Monachos, vel tempore Romualdi, vel poſt ejus feliciſſimum obitum, uſque ad ſupradictum annum 1138. *in Cœnobio Claſſenſi degentes; ita pari modo, nec Camaldulenſem vocari poſſe Dominicum Loricatum ex eo tantùm, quòd fuerit in Eremo Sitriæ à Romualdo fundata, arbitramur, ſed potiùs Avellanenſis Congregationis, utpotè Diſcipulum Petri Damiani, qui eum peculiaribus ſuis Inſtitutionibus, à Camaldulenſium (ut vidimus) diſtinctis, informavit, cùm ſeipſum Dominicus ejus Magiſterio ſubiecit.*

VI. Quæ planè concidunt ex dictis Diſſert. I. de duplici Camaldulenſis Nominis acceptione, quam ibi cap. 2. num. 21. diſtinximus, et Laderchius paſſim confundit; neque enim aliud evincit adducta obſervatio, niſi quòd à Congregatione ſacrę Eremi Camaldulenſis diù ſejunctum manſerit Claſſenſe Cœnobium, quemadmodùm et tot alia loca à S. P. Romualdo ędificata, quo nimirum tempore ſingula Monaſteria totidem Congregationes invicem independentes, licèt ejuſdem Inſtituti, conſtituebant, ut toties monuimus; at non probat, ad eundem Camaldulenſem Ordinem, quatenus loca omnia, quæ D. Romualdi acceperant diſciplinam, complectitur, referendum non eſſe idem Claſſenſe Monaſterium Nimirum in hoc inſigni Aſceterio primordia ſuæ Converſionis poſuerat Romualdus;

dus; eidem biennio præfuiſſe legitur, ſucceſſoreſque habuiſſe Ardefadum, et Bonum ſuos Diſcipulos, teſtatur Fortunius Hiſt. Cam. part. 2. lib. 1. cap. 15. Ejuſque licèt dimiſſo regimine, ſe Romualdus adeò ſollicitum præbuit, ut cùm Veneti cujuſdam Abbatis Simoniaci invaſione fędatum nobiliſſimum Cœnobium inaudiſſet, *Illuc protinus ire miles Chriſti impiger ſtuduit, diverſiſque modis ex eo Monaſterium purgare tentavit*, ut refert Damianus in Vita cap. 41. At illud idem Claſſenſe Cœnobium Camaldulenſi Eremo S. Pater non copulaverat: quid mirum igitur, ſi Gualterius Ravennatum Archiepiſcopus ejusmodi unionem inire voluit? Extat apud Fortunium loco cit. lib. 2. cap. 17. integrum Unionis Diploma; ex quo patet Archiepiſcopum Azoni Camaldulenſis Eremi Priori Claſſenſe Monaſterium cum ſuis omnibus pertinentiis commiſiſſe, non quaſi ab uno ad alium Ordinem illud transferendo, ſed ut uberioribus obſervantiæ fructibus per ejus alũnos refloreſceret, ac majora Virtutum incrementa ſuſciperet: *Ad Reformandam* (verba ſunt Diplomatis) *et conſervandam Religionem*, et infra: *Solo intuitu, et cauſa reformandæ Religionis*; Nec ſanè ullam Monachorum diſtractionem, aut habitus innovationem propterea in Claſſenſi Cœnobio ob ejuſmodi Unionis executionem, legimus interceſſiſſe.

VII. Et verò, ſi quę Diſſert. I. cap. 2. num. 14. de Monaſterio Valliscaſtri (quod S. P. Romualdus ædificaverat, atque ubi mortalitatis ſuę ſpolium exuerat) poſt 360. annos dumtaxat ſacrę Eremi locis aggregato,

gato, docuimus, huc referantur, quæue ibidem num. 23. de variis Cœnobiis Ordinis alicujus, in peculiarem ejuſdem Ordinis Congregationem convenientibus, generatim obſervavimus, noſtro huic propoſito applicentur: patebit utique, tam nihil obſtare Uniones ejuſmodi Monaſteriorum, Camaldulenſi eorumdem inſtituto, etiam ad tempora Uniones has præcedentia, relato, quàm nulla prorſus difficultas in eo occurrit, quod ipſimet Camaldulenſes Cœnobitæ primò novem locorum, deinde ſeptemdecim Monaſteriorum Congregationem collegerint, cui ſubinde alijs Ordinis Cœnobiis aggregatis, S. Michaelis Congregatio coaluit: nec tamen quis prætendere auſit, eadem Cœnobia ad Inſtitutum Camaldulenſe vel ante Leonis X. tempora, quibus hæc Congregatio perfectè coaluit, pertinuiſſe, tametſi, ut Fortunius loquitur part. 1. lib. 3. cap. 1. adeò veteris communionis pleraque oblita videri poterant, priſtinamque libertatem reſumere, atque ad nativam independentiam paulatim redire nitebantur, *Ut tot eſſent quodammodò in Religione Camaldulenſi Corpora, quot debuiſſent, jure ſummo, in unico Corpore conſiſtere membra.*

VIII. Sed audiamus quid num. 15. ſubdat Laderchius. *Prætereà*, inquit, *licèt admittatur, quòd fuerit in Eremo Sitriæ Dominicus, et quòd eadem Eremus ad Camaldulenſes, non ad Avellanenſes pertinuerit, non ex hoc tamen deducitur, niſi quòd olim inter Camaldulenſes fuerit: Nam cùm ſe Petro ſubdidit, non ſemper in Eremo Sitriæ vixit, immò (teſte eodem Petro) modò in Avellanenſi, ſolo Baſilicæ*

 medi-

mediantis interſtitio, ab illo diviſus, modò ab ipſo remotus, modò juxtà Monaſterium Coniunctuli cellulam habuit; et confirmatur ex eo, quòd non in Eremo Sitriæ defunctus eſt, et ſepultus, ſed potius in loco, qui ad præfatam Eremum nullo pacto pertinuiſſe reperitur. Itaque modò ne Petrum Damianum Camaldulenſem fateatur, Dominicum Loricatum ejus Diſcipulum, Camaldulenſium quaſi transfugam nobis obtrudit hic Auctor; verùm inani opera, ac ſupervacuo conatu laborat: ſiquidem cap. 6. num. 14. oſtendimus Dominicum Loricatum ſub Damiani Magiſterio vixiſſe, dum Sitriam inhabitaret, nō poſtquàm à Sitria receſſit, ut patet ex Epiſtola 31. libri 6. quam Damianus ad Dominicum S. Mariæ Sitriæ Priorem ſcripſit: ipſemet Petrus Damiani Sitrienſes, velut ſuos commemorat, ut ex Opuſc. 13. cap. 22. ibi: *Habemus denique Senem in Monaſterio Sitriæ, &c.* oſtendi loco cit. num. 16. ubi etiam notavi frequentiſſimum apud Sitrienſes vixiſſe eumdem Damianum, ac Leonis Eremitæ ſpiritualem filium, et Diſcipulum fuiſſe; adeòque potiùs Petrum Damiani ex Avellanita Camaldulenſem factum, quàm Dominicum Loricatum ex Camaldulenſi ad Avellanitas ſe recepiſſe, aſſerere Auctor debuerat. Quamquàm, ut toties diximus, ſive Sitrienſem, ſive Avellanitam hunc, et illum quis fecerit, perinde Camaldulenſis Inſtituti Sectatorem utrumque indicabit.

IX. Dominici igitur Loricati negocio ſic confecto, ad alia ſeſe arma convertit Ladeichius, ut noſtram doctrinam oppugnet. *Demum*, inquit num. 16 *quomodo*

ſtre-

ſtrenuiſſimum humilitatis profeſſorem Petrum N. Damiani erubuiſſe cenſebimus, Magiſtrum, à quo totum, quod didicerat, ſua Fontis Avellanæ Congregatio ebiberat, nullam de eo, in ſcribendis ejus Inſtitutionibus, memoriam faciendo, præſertim cùm ipſum tam mirificè coluerit, ipſiuſquemet vitam conſcri ſerit? At patet id falſum eſſe, nam ex ſępe dictis, Petrus Damianus in utraque Regula, quæ Opuſc. 14. et 15. continetur, ſæpiùs S. Romualdi mentionem iniicit, quod et ſupra idemmet Laderchius hoc ipſo cap. num. 10. animadverterat illis verbis: *Et licèt verum ſit, non nulla S. Romualdi monita in ſuis Conſtitutionibus, et alibi Petrum inſeruiſſe &c.* ut retulimus cap. pręced. num. 10. ut mirum ſit, tam citò ex hujus memoria Scriptoris, quæ ante quinque paragraphos enunciaverat, dilabi potuiſſe. Undè patet, telum hoc imbelle ſine ictu prorſus concidere: quod et nullius per ſe roboris eſſet, etiamſi nuſquam Romualdi Damianus meminiſſet, cùm et res ipſa per ſe loquatur, ipſaque utriuſque Inſtituti comparatione cap. 3. 4. et 5. facta, veritas hæc eluceſcat: et exemplum B. Ludulphi Avellanæ Inſtitutoris, cujus pariter nuſquam meminit, nullam prætenſæ mentionis neceſſitatem eſſe agnoſcendam evincat.

X. Quia verò hanc ipſam paritatem ſibi opponendam Laderchius pręviderat, ſic illam eodem numero proponere, atque elevare, duplici excogitato diſcrimine, nititur. *At nec de Lodulpho [inquies] ut ſupponitur Congregationis Avellanæ Inſtitutore, mentionem fecit. Sed ſimile non admittimus, nec enim æqualis ponderis erat auctoritas Lodulphi, ſicut et Romualdi jam à S. Sede Apoſtolica inter San-*

ctos relati; vel dicendum, propter illos, qui adhuc vivum Lodulphum, dum Petrus N. Damiani Inſtitutiones Avellanæ edidit, faciunt: meritò de Lodulpho ſiluiſſe, quia nimis incongruum judicavit laudare hominem ante mortem (nam Lodulphum ipſum uſque ad annum quadrageſimum ſeptimum ſupra milleſimum vixiſse, et Petrum quadrageſimo ſecundo anno ſupra milleſimum Inſtitutiones ipſas ſcripſiſſe cenſent) Hæc ille; at neutra diſparitas ſubſiſtere deprehenditur: cùm enim toties in ſuis operibus, atque in ipſis Conſtitutionibus Opuſculi XV. cap. 14. Petrus Damiani de B. Dominico Loricato verba faciat: itidemque ſępe commemoret alios viventes, Leonem Prezenſem, Mainardũ, Martinum Storacem, Lupum, Leonem Sitrię &c. qui non majoris erant auctoritatis, ac famæ, quàm B. Ludulphus Loci Inſtitutor: quique adhuc in humanis agebant, non poterat S. Doctor à Ludulphi mentione inijcienda, ſive ob minorem ejus auctoritatem, ſive quòd adhuc ſuperſtes viveret, deterreri; præſertim cùm eodem Opuſc. 15. cap. 28. efficacius eſſe vivorũ, quàm mortuorum exemplum, ad animos cohortandos, arbitraretur: *Efficaciùs*, inquit, *modernorum cohortantur exempla, quàm veterum: et magnæ confuſionis pudor eſt, ſi cum Sanctis Viris in una ſimul ætate viventes, in recta converſationis ſtudio eis in aliquo non reperiantur æquales.*

XI. Duo inſuper tela in noſtram ſententiam num. 17. Laderchius contorquet: alterum ex quo Romualdum numquam apud Avellanam conſtitiſſe in ejus Vita Damianus aſſerat: alterum, quod Camaldulenſes, velut ad ſe nullatenus attinentes commemorat. En

pri-

primum: *Sed et ab ipſa*, inquit, *S. Romualdi vita, quam, ut diximus, Petrus N. Damiani ſcripſit, facilè conjici poteſt, Romualdum ipſum numquam Fontis Avellanæ Eremum adiſſe. Nam cùm multa tam diſtinctè referat loca in ipſo Monte Catriæ, quæ circuivit Dilectus ille Altiſſimi, ſaliens in montibus, tranſiliens colles; numquam tamen Fontis Avellanæ mentionem facit, cùm tamen hujuſmodi vocabulum loci, quem ipſe colebat, cuiuſque tam frequenter in ſuis ſcriptis meminit, eum latere non potuiſſe manifeſtum ſit*. En verò ſecundum: *Cui tandem addendum videtur, quòd in Camaldulenſi Eremo commorantes, tamquam ad ſe nihil omnino pertinentes, commemorat, ut videre eſt in Epiſt. 29. lib. 6. epiſtolarum: quod certè non facit, cùm ad ſe pertinentium Eremitarum meminit, nam eos ſignanter ſuos dicit, ut ex Epiſtolis ejuſdem 34. et 56. lib. 6. colligitur*.

XII. Aperta eſt tamen ad utrumque reſponſio: ad primum quidem, quòd *Loca illa in ipſo Monte Catriæ, quæ circuivit Romualdus*, ipſammet Avellanæ ſolitudinem indicant, ubi commoratus eſt S. Pater ex cap. 19. Vitæ, ut cap. 2. num. 6. et 7. oſtendimus. Quod ſi etiam Laderchio daremus, Romualdum, non quidem apud Avellanam, ſed apud Sitriam dumtaxat conſtitiſſe, an exinde oſtenderet, non potuiſſe Ludulphum Avellanæ Conditorem, Romualdi Eremiticis Inſtitutionibus imbui, et ad ejus diſciplinam, quam vel in Sitria, vel alibi à S. Patre didiciſſet, ſuos Alumnos exigere? Nec certè in Polonia Romualdus ullo tempore habitavit: numquid igitur SS. ejus Diſcipulorum Joannis, et Benedicti Sectatores, qui apud Caſimiri-

tanam

tanam Eremum Sanctimonia florere, ad Romualdi Inſtitutum minùs pertinere judicabuntur?

XIII. Ad alterum pariter, negamus Camaldulenſes à Damiano, velut ad ſe nihil attinentes, ſignificari; Nam eo ipſo quòd Sitrienſes ad ſe ſpectare indicat, ut probavimus, Camaldulenſes utique ſibi cognatos aſſerit, nam hi verè à Romualdo inſtituti fuerant, ac proptereà generali Camaldulenſium vocabulo comprehenduntur; Quod ſi de Camaldulenſibus in ſpeciali ſignificatione acceptis, hoc eſt de Sacræ Eremi Camaldulenſis incolis Laderchius loquitur: nego hos ipſos à Damiano velut alienos commemorari; nam Martinum Camaldulenſem in citata ep. 20. lib. 6. ſic tantùm deſcribit: *Dominus planè Martinus, qui in Camaldulenſi Eremo commoratur, Vir videlicet diverſis virtutibus adornatus, et præcipuè iugibus lacrymarum fluentis irriguus, mihi retulit quod narro*. Quid, quæſo, in his verbis relucet, unde Martinus à Damiano extraneus indicetur? Sed eſto quidpiam diſcriminis inter Camaldulenſium, et Avellanitarum mentionem à Damiano factam, Adverſarius acutiſſimus deprehendat: hoc tale ad ſummum erit, quod ſubditos à non ſubditis diſcernat, quod unius Congregationis alumnos ab alumnis alterius Congregationis ejuſdem Ordinis diſtinguat; neque enim aliter magis Damiano affines dici poterant Avellanitæ, aut Sitrienſes præ Camaldulenſibus, quàm eo modo, quo mihi magis affines ſunt alii Camaldulenſes Monachi, quàm Eremitæ: et ad quemlibet ſacræ Camaldulenſis Eremi incolam pertinere magis alij ejuſ-

ejuſdem Congregationis Eremitæ videntur, quàm Coronenſes, quàm Monachi, quàm aliarum ejuſdem Camaldulenſis Ordinis Congregationum Alumni.

XIV. Ultimum denique, ac peremptorium argumentum num. 18. promovet Laderchius his verbis. *Inſuper Monachos de Avellana ſuo tempore unitos Congregationi Camaldulenſi fatetur Arnoldus Uvion, ergo priùs ſeparati erant ab invicem: alioquin ſuperfluum erat, et vanum jam unita coniungere.* Verùm hæc inſtantia ex dictis hìc ſupra num. 6. occaſione Unionis Cœnobii Claſſenſis, et ex obſervatis Diſſert. I. cap. 2. num. 23. manifeſtè evaneſcit; poſſunt enim unius Congregationis Monaſteria alteri Congregationi ejuſdem Ordinis copulari, quemadmodùm noſtris diebus Regiæ Celſitudinis Coſmi III. Magni Ducis Etruriæ inſignis Pietas celeberrimum Boni-ſolatii Cœnobium, quod à Ciſtercienſibus Italis Monachis adminiſtrabatur, Trappenſibus ejuſdem Ordinis Solitariis, quos ex Gallia in Etruriam munificentiſſimus, ac religioſiſſimus Princeps adduci voluit, copulandum curavit; Sic enim Pius V. Pont. Max. Avellanenſe Monaſterium, quod ſub Romualdi Eremitica diſciplina, Petri Damiani temporibus, floruiſſe perſuaſum habebat, dudum verò à priſtini fervoris obſervantia deſciverat, Camaldulenſium Generali viſitandum commiſit, ac denique Congregationi noſtræ penitus addixit (ut paulò ante, Fortunio teſte Hiſt. Camal. par. 1. lib. 3 cap. 27. *Extinctionem Conventualium Camaldulenſium fecerat idem Pontifex, Sacerdotiis eorum Congregationi adjudicatis*) Quò noſtrorum Monachorum

opera,

opera, vetus Inſtitutum, ac primæva Loci Religio reſtauraretur.

XV. Conſtare igitur arbitror ex hactenus dictis, nullam vim P. Laderchii obiectis reſiduam eſſe adversùs ſententiam, quam præſenti Diſſertatione ſuis momentis ſtabilire conati ſumus. Et certè longè validiora poſſent argumenta contra varias ejus aſſertiones, in hac ipſa Hiſtoria [ut de cæteris Lucubrationibus, ejus nomine poſtmodùm editis, interim taceam] occurrentes, intorqueri; ſed tum ne ſuſceptæ defenſionis limites tranſiliamus, aggreſſoris perſonam induentes; tum ne actum agere velle videamur, cùm Sejani, et Ruffini Dialogus magna ex parte hanc materiam exhauſerit, neque nobis id incumbat negocii, ut ſingulas Laderchii ſententias ad examen revocemus, hac cura perquàm libenter ſuperſedebimus, aliiſque, quos noſter Auctor pariter laceſſivit, atque otio magis, quàm nos, abundant, eam ſollicitudinem ultrò relinquemus. Imò, ob eaſdem rationes, de venuſto Laderchiani ſtyli charactere nihil hìc adnotabimus, de quo ſatis erit, tum prædictum Dialogum conſulere, tum iudicium (ibidem relatum) Auctoris Diarii Eruditorum Galliæ, in Operis Laderchii recenſione facta Diar. 34. anni 1704. attendere: ut neceſſe non ſit, cum temporis diſpendio, ad iſta nos digredi, aut eandem incudem repetitis ictibus tundere. Amicorum tamen votis aliquid largientes, nonnulla, quæ nos propiùs reſpiciunt, atque à præfato Dialogiſta vel minùs accuratè expenſa, vel ex integro prætermiſſa animadvertimus, per

modum

Digitized by Google

modum Appendicis, ſupplere non gravabimur, quando non magis opportunam Veritatis illuſtrandæ occaſionem alibi nos habituros ſperamus.

APPENDIX

Nonnullas Animadverſiones in Hiſtoriam Petri Damiani à Laderchio deſcriptam complectens.

SYNOPSIS.

Errores nonnulli, ad perfectiorem Vitæ Petri Damiani editionem obtinendam, in Laderchiana hiſtoria notandi. Num. 1. *Numerum fratrum B. Petri Damiani à Laderchio perperam determinatum eſſe.* 2. *Circa Inſtitutum D. Claræ Laderchius fallitur.* 3. *Item circa S. Petri Cæleſtini Regulam decipitur.* 4. *Albizonem ſocium B. Petri Damiani Abbatem Theuzonis fuiſſe falsò tradit.* 5. *Aliæ hallucinationes circa S. Joannem Gualbertum, et Athonem Epiſcopum Florentinum.* 6. *Annus mortis S. Dominici Loricati rectiùs determinandus.* 7. *et* 8. *Difficultatum quarundam propoſitio, et ſolutio.* 9. *et* 10. *S. Joannē Laudenſem cū Joanne Vitæ Petri Damiani Scriptore malè confundi.* 11. *Illū poſt annum* 1076. *ad Eugubinam Cathedram vocatum.* ibid. *Eundem Petro Damiani in Prioratu immediatè ſucceſſiſſe, ideòque ab hoc Joanne diſtingui, utpotè qui ex obe-*

dientia Liprandi Prioris Vitam Damiani deſcripſit. 12. *Eadem Vita poſt mortem S. Joannis Laudenſis exarata oſtenditur* 13. *Alia utriuſque Joannis diſcrimina*. 14. *Concluſio*. 15.

I. UT Petrum Damianum velut Camaldulenſis Inſtituti Sectatorem agnoſcimus, ac S. P. Romualdi Imitatorem præcipuum ſuſpicimus, ita ſumma erga illum devotione afficimur, ejuſque venerationem promoveri ſummoperè gaudemus. Magnam idcircò à nobis gratiam iniiſſet Laderchius, ſi et commodiore ſtylo Egregii hujus Doctoris Vitam deſcribere eſſet aggreſſus, et ab omni falſitatis nævo eandem repurgaſſet. Verùm, ut ea rerum eſt humanarum conditio, quæ primis nunquam conatibus abſolutæ perfectionis aſſequendæ ſortem, vel ſpem relinquere ſolet, ſed multa ſemper curis ſecundis emendanda committit, ita non mirum, ſi Laderchius ipſe primæ huic Hiſtoriæ ſuæ editioni non admodùm fidens, alteram ſe exhibiturum pollicetur (in Admonitione ad Lectorem ejus Indici ſubnexa) *Majori diligentia, et accuratiori ſtudio, necnon in aliquibus auctam*. Quod ut perfectiùs, ad tanti Patris gloriam, cujus et nos ſtudioſiſſimi ſumus, aſſequi poſſit, præter ea, quæ Author Dialogi Seianum inter, et Ruffinum adnotavit, ſequentia pariter, quæ ad nos magis pertinent, ipſi expendenda proponere viſum fuit.

II. Ac primò, circa numerum Fratrum B. Petri Damiani, jure à Seiano Laderchium reprehendi affirmamus

mamus, nedum ea ratione, quam ibi adductam legere quiſque poterit, quòd nempe Frater ille, à quo Petrus noſter tam durè habitus eſt, antequàm in alterius fratris Damiani Archipresbiteri curam incideret, eſſe non potuit Marinus ille (quem Religioſum fuiſſe idē Seianus cum multis aliis ſcriptoribus cenſuit, nos verò Laicum, ideſt ſæcularem obiiſſe arbitramur, ex circumſtantiis eius mortis à Petro Damiani lib. 2. Ep. 14. narratis) qui timoratus Spiritu, ac B.M.V. obſequiis adeò mancipatus ab ipſo S. Doctore deſcribitur, ut moriens ab illa viſitari meruerit, unde conſequens eſt, ut tres ſaltem Fratres Petro noſtro Damiani aſſignari debeant, non duo tantùm, ut aſſerit Laderchius lib. 1. cap. 2. num. 1. dicens: *Hoc certum nobis innotuit, duos nempe fratres habuiſſe, Damianum videlicet, et Marinum, quorum ipſe meminit lib. 2. Epiſtolarum, Ep. 14. ad Deſiderium.* Non ea, inquam, dumtaxat ratione refellitur hæc aſſertio Laderchii, ſed ampliùs quia, ſi verba expendantur Joannis ſcriptoris Vitæ Petri noſtri Damiani, ab eodem Laderchio allata cap. 3. num. 3. facilè conſtabit, ſaltem quatuor Fratres Petri fuiſſe; ait enim Joannes S. Doctoris Diſcipulus, in ejus vita cap. 1. quòd Petrus noſter *utroque immaturè orbatus parente, fraternæ curæ relictus eſt, et unus ipſorum, qui atrox inter CÆTEROS honeſtis moribus præditos ſub ovina pelle latebat, fraudolenta nunc pietate pro paterna vice eum ſibi educandum ſuſcepit, atque dum ſibi cohæredem adoptare ſe fingit, diræ velut emptitium ſervituti addicit: cui ſocia coniux hærebat, quæ nullis pietatis viſceribus ab illius ſævitia differebat.*

rebat. Si enim duos fratres habuiſſet Petrus noſter, utique eorum unus, qui primò eum alendum ſuſcepit, non *atrox inter cæteros* ſed *atrox præ alio*, vel *atrocior altero* deſcriberetur; indicat ergo Vitæ Petri Damiani Scriptor, præter hunc fratrem, cuius curæ Petrus commiſſus eſt, alios etiam tum ſuperſtites, imò et præſentes fuiſſe, ſed inter hos computandus non eſſe Damianus Archipre biter videtur, nam, ut refert Laderchius pag. 22. *Abſuerat is aliquot annos à Patria, ad quam reverſus Petri Fratris miſeratus ærumnas, paterno tactus amore mox illum exemit de miſerabili ſervitute, novis induit veſtimentis, et ad ſcholam miſit &c.* Quod utique ab initio piiſſimus Archipresbiter exequutus eſſet, ſi coram adfuiſſet; ergo ſi Damiano Archipresbitero, Fratrem illum uxoratum, à quo tam immaniter Petrus habitus eſt, coniungamus, et duos ſaltem alios, quibus hunc comparavit Joannes vitæ Scriptor, dum *inter cæteros boneſtis moribus præditos atrocem* nuncupavit (quos fuiſſe puto, alterum quidem Marinum à S. Doctore laudatum, alterum verò paulò majorem natu ipſo Petro, qui cæteris fratribus invidens, querelis ſuis in cauſa fuit, cur Mater ipſum Petrum immaturè oblactatum impiè deſereret, narrante id eodem Joanne ſcriptore Vitæ S. Viri, ejuſque diſcipulo, apud Laderchium pag. 17. *Cùm enim unus liberorum, qui tunc jam grandiuſculus adoleverat, conqueſtus exclamaret: Proh pudor! ecce jam tot ſumus, ut in hac domo vix capimur, &c.*) Quatuor profectò fratres, certè plures duobus, habuiſſe Petrum Damiani, fateri neceſſe erit.

III. Se-

III. Secundò inſignis eſt, ut optimè Sejanus etiam animadvertit, hallucinatio eorum, quos Laderchius bona fide ſecutus eſt lib. 1. cap. 14. num. 3. tradens S. Claram Virginem Aſſiſiatem, D. Franciſci ſororem, Regulæ S. Petri Damiani nomen dediſſe, quia à Gregorio IX. tum ipſa, tum ejus Sorores *Ordinis S. Damiani* appellantur: enimverò ibi de Ordine Monaſterii *S. Damiani Martyris* propè Aſſiſium extructi ſermo eſt, non de Inſtitutionibus *S. Petri Damiani*, ut perſpicuum eſt ex Bullis à Vvadingo relatis ad finem tomi 1. et 2. Annalium Minorum. Veriſſimum eſt tamen, Moniales S. Claræ per duodecim ſaltem annos, nempe ab anno 1212. ad 1224. (nonnullas etiam uſque ad 1239. ut oſtendit Vvadingus loco cit. et confirmat Jacobillus tom. 3.) Regulam S. P. Benedicti, et Ordinem Monaſticum profeſſas; nec deſunt qui ad Camaldulenſe Inſtitutum illas per id tempus referendas eſſe arbitrentur, non quidem ob Regulam S. Petri Damiani, cui nomen dederint, ſed ob Conſtitutiones Camaldulenſes, quas illis obſervandas præſcripſerat Cardinalis noſter Hugolinus, qui (juxta Jacobillum) ex Abbate Monaſterii S. Silveſtri de Monte Subaſio, à S. P. Romualdo conſtructi, et ſub Ordine Camaldulenſi tunc etiam vigentis, ad Purpuram fuerat evocatus; et certè videntur Clariſſæ ex Camaldulenſium imitatione Incluſionis legem per id tempus ſervaſſe, undè idē Cardinalis Hugolinus, poſtea Gregorius IX. earum Privilegiis, Vvadingo teſte in Apologetico de Monachatu S. Franciſci Sect. 6. §. 5. num. 9. hanc Clauſu-
lam

lam inſertam voluit: *Ordo Monaſticus, qui ſecundùm Deum, et Beati Benedicti Regulam, atque Inſtitutionem Monialium INCLUSARUM S. DAMIANI ASSISIATIS, inſtitutus eſſe dignoſcitur*. Quarè ex D. Claræ familia, ejuſdem Gregorii IX. juſſu, B. Pacifica, et B. Balbina, ejus nominis inter Damianiſtas prima, ad Cœnobium Camaldulenſium Monialium S. Mariæ Vallis Gloriæ (quod ſub Abbatis S. Silveſtri de Monte Subaſio jurisdictione florebat) reformandum ſunt deſtinatæ, ut Jacobillus oſtendit.

IV. Tertiò lapſum ſimiliter Laderchium Sejanus oſtendit, circa D. Petri Cæleſtini Inſtitutum, hunc enim, ejuſque Sectatores ſub Petri Damiani Regula nullatenus militaſſe, quamvis vulgus Cæleſtinos cum Avellanitis aliquando confuderit. Obſervandum autem, præter confuſionis huius rationem ex Papebrochio à Seiano allatam, potuiſſe æquivocę appellationis originem ex eo pendere, quòd Avellanitæ, ut ex Morigia ſupra obſervavimus pag. 64. et Diſſert. III. pag. 11. Cæruleo Palliolo uterentur: qui color, cùm apud Italos *Celeſtis* appelletur, anſam ignarę plebi offerre potuit, ut noſtri Avellanitæ *Celeſtini* primùm nuncupari inciperent, deinde ipſimet veri *Celeſtini* pro Avellanitis accipi, et veluti à Petro Damiano et ipſi propagati forent, ejuſque Regulam ſequerentur, *Ordinis S. Damiani* vocari à nonnullis conſueverint.

V. Quartò circa Theuzonem Eremitam nedum fallitur Laderchius, quòd illum Florentiæ cum Petro Damiano collocutum neget, contra Baronii ſententiã,

à Se-

à Seiano optimè vindicatam, ſed inſuper animadverſione dignum eſt, falſum eſſe quod Albizo Petri Damiani comes, fuerit ejuſdem Theuzonis Abbas, ut noſter Hiſtoricus, Sejano conſentiente, lib. III. cap. 5. num. 9. aſſeruit. Enimverò nullus Albizo Abbas Monaſterio S. Mariæ Florentiæ præfuit, ſed Theuzonis tempore Petrus erat Abbatiæ illius Præfectus, ut docent monuméta à Puccinello adducta in ejuſdem Cœnobii Chronicis anno 1664. editis; et ſanè verba Petri Damiani in Epiſtola 30. libri 6. ad Theuzonem, ſive in Opuſc. 51. nil tale ſignificant; *Vix demum*, inquit, *tamquam importuni capitis homines admiſſi ſumus [Dominus enim mihi tunc Albizo adhærebat] intenti autem, et non mediocriter avidi ædificationis documenta ſuſcipere, protinus in ipſo mutuæ collocutionis exordio coacti ſumus jurgioſis quibuſdam contentionibus deſervire &c.* Ubi patet de ſe, et Albizone, tamquam itineris ſocio, et colloquii conſorte, non tamquam Theuzonis ipſius Prælato loqui; et cùm infra addit: *Erat quippe inter te, et Abbatem tui Monaſterii non ferenda ſimultas, et inveterata diſcordia. Ille igitur, utpotè Vir mitis, ac ſimplicis animi, ſponſionibus ſuis cuncta digna ſatisfactionis, et humilitatis jura tranſcendit, et NOS* (idest ipſum Petrum Damianum, et Albizonem comitem] *ſequeſtri fæderis inter ſe, et te executores inſtituit. Verùm nos dum alienis amicitiis inconſultè conſulimus &c.* Perſpicuum videtur, Abbatem Theuzonis diverſum eſſe ab utroque pacis inter ipſos conciliandæ Sequeſtro, Damiano videlicet, et Albizone. Ut nihil addam, quòd Albizo iſte non Abbas, ſed Eremita fuerat, ut patet

Digitized by Google

patet ex Opuſculo XII. tomi 3. ad ipſum Albizonem Venerabilem Eremitam, et Petrum Monachum directo, ubi illum *imitandum Eremiticæ Converſationis exemplum*, ſicut hunc *teretem Formam Cænobitarum*, appellat Damianus.

VI. Quintò, quod ait Laderchius eodē cap. 5. num. 6. et 7. S. Joannem Gualbertum anno 1003. in S. Miniatis Cænobio Monachum induiſſe, eidemque Theuzonem Eremitam Simoniaci Abbatis Uberti, et Epiſcopi Athonis proclamationem publicam anno 1007. ſuaſiſſe, quòdque Atho hujus nominis primus Ildebrando Florentino Epiſcopo anteceſſerit: id planè commentitium eſt, ac falſis fundamentis nititur, ut patet ex noſtra Differr. II. cap. 4. à num. 4. et deinceps, præſertim cùm non ante annum 1020. cellulam ſuam Eremiticam ingreſſus fuerit Theuzo, ut num. 13. ibidem probavimus; nec ideò tamen decernere libet, an occaſione controverſiæ Florentini Cleri circa Petrum Ticinenſem Epiſcopum Simoniacum, Petri Damiani cum Theuzone Eremita colloquium contigerit: neque an cum S. Joannis Gualberti Monachis ea occaſione, aut aliàs decertaverit Damianus, illoſve lib. 8. Ep. 11. carpſerit, curioſiùs disquirere juvat. Quidquid ea de re ſit ſentiendum, alii judicent; nos interim Petrum Damianum à Didaci Franchi calumniis hìc, et alibi vindicatum fuiſſe, Laderchio gratulamur.

VII. Sextò diligentiùs expendi meretur, an verè anno 1061. S. Dominicus Loricatus obiiſſe dicendus ſit, ut lib. II. cap. 24. à num. 2. et lib. III. cap. 5. num.

12.

Digitized by Google

12. Laderchius cum Baronio aſſeruit. Enimverò cùm narret Petrus Damianus lib. 1. Ep. 19. Dominicum pridie Idus Octobris morti ceſſiſſe, ſi id anno 1061. contigiſſet, quo Cyclus ſolis erat 6. adeòque littera Dominicalis in vetere Calendario illi reſpondens erat G, utique die Dominico in Cœlum migraſſet, littera enim hæc ipſimet diei 14. Octobris appoſita deprehenditur; et nonus Depoſitionis dies, nempe 22. ejuſdem menſis, Dies Lunæ, ſeu Feria ſecunda fuiſſet, quæ littera A conſignatur: quorum utrumque falſum eſt; Dominicum enim die Sabbati ab humanis exceſſiſſe teſtatur S. Doctor loco cit. his verbis: *Sexta igitur feria per continuum diem vix deſiit, vel modulandis pſalmis inſiſtere, vel corrigiarum ſe ictibus flagellare. Nocte verò, ſopore depoſito, ſuſcepit antidotum, deinde cœpit anguſtiari, et de ſtomachi dolore graviter conqueri. Poſt decurſum itaque nocturnæ Synaxis officium, poſt matutinos hymnos, cùm prima jam hora ſibi à Fratribus, qui aderant, cantaretur, Sanctum Deo Spiritum reddidit.* Et diem depoſitionis nonum, Dominicum fuiſſe teſtatur: *Nos autem*, inquit, *ipſo Die Dominico, quo Eremum ingreſſi ſumus, Sanctum Corpus inde ſublatum reverenter, ut dignum erat, in Capitulo ſepelivimus; et cùm nonus eſſet depoſitionis ejus dies, prædictum corpus ſanum, illibatumque reperimus.*

VIII. Undè perſpicuè patet, vel ad annum 1060. vel ad 1066. Dominici Loricati mortem eſſe referendam, ut invicem hæ circumſtantiæ cohæreant, nempe ut dies 14. Octobris Sabbato, et dies 22. Dominicæ diei conveniat. Sed anno 1060. id aliunde contin-

Digitized by Google

gere non potuit; nam B. Rodulphi Epiſcopi Eugubini mors, quæ (Damiano teſte) anno ſequenti poſt obitum Dominici Loricati contigit die 26. Junii, in annum 1061. incidiſſet, quo tempore nondum Nicolaus II. Pont. Max. è vivis exceſſerat, cujus Mors die 3. Julii contigit, et Menſe Octobris Alexander II. à Cardinalibus eſt in Romanum Pontificem conſecratus; et tamen Alexandri II. jam dudum regnantis tempore Rodulphum obiiſſe patet ex dicta Damiani Epiſtola, in qua eundem Pontificem ſic alloquitur. *A vobis itaque nuper egreſſus, cùm Florentinæ Urbis mœnia ſubij, nuncius mihi mox repentinus occurrit, Epiſcopum ſcilicet Eugubinũ eſſe defunctum &c.* Supereſt ergo, ut Dominici Loricati obitus anno 1066. adeòque S. Rodulphi mors anno 1067. eveniſſe dicatur; undè machina illa, qua lib.III. cap. 5. num. 12. Laderchius probare nititur, Epiſtolam Damiani ad Theuzonem ſcriptam eſſe, ante controverſiam de Simonia Petri Papienſis Florentini Epiſcopi exortam, quia inibi Dominici Loricati, velut ſuperſtitis mentio occurrat, concidere videtur.

IX. Scio, poſitioni huic obſtare poſſe, quòd Rodulphus, eodem Damiano teſte, *ante ferè ſeptennium* (adeòque, in hac hypotheſi, anno 1060.) *ad Eremum veniens, habitum Monaſticæ profeſſionis acceperat;* Cùm tamen Ughellus in Epiſcopis Eugubinis teſtetur, Rodulphum anno 1059. Synodo Romanæ Nicolai II. Papæ ſubſcriptum reperiri, et anno 1062. in Bulla Alexandri II. pro Eccleſia Foroſempronienſi, mentionem occurrere Hugonis Eugubini Epiſcopi, quem non immediatè,

diatè, ſed poſt Maynardum anno 1061. (ut ipſi videtur) electum, Rodulpho ſucceſſiſſe arbitratur. At nimis evidens eſt, Alexandri II. tempore, adeòque poſt annum 1061. Rodulphum ex hac luce migraſſe; Quid ſi igitur depravatam eſſe hoc loco dicam Eugubinorũ Præſulum seriem apud Ughellum, non minùs quàm paulò ante, ubi Ludulphum electum anno 1019. ſcribit, illique Julianum anno 1012. ſucceſſorem aſſignat? Porrò cùm neque apud Baronium, neque apud Labbęum occurrat Rodulphi Eugubini Epiſcopi, tamquam anno 1059. Romanæ Synodo ſubſcribentis, memoria: ſed neque apud Ughellum in Bulla Alexandri II. quam inſertam alteri Honorii III. Datæ 14. kal. Junii anno 1224. refert hic Author tom. 2. de Epiſc. Foroſempr. expreſſus habeatur annus 1062. vel alius; imò hæc nota dumtaxat ibi habeatur: *Actum eſt, hoc menſe Maii, die verò* 10. *Indictione* 13. quæ Indictio nec anno prædicto 1062. nec ulli anno Pontificatus Alexandri II. reſpondere poteſt, ſed annis tantùm 1060. et 1075. congruit, inter quos huius Pontificis ſedes cadit; conſentaneum profectò non videtur, ut, ob incerta hæc monumenta ab Ughello relata, ratiocinii noſtri ſuperiùs adducti evidentiam abiiciamus, et vim diſſimulemus.

X. Verùm, admiſſis etiam Ughelli monumentis, appoſitè componi hæc Controverſia fortaſſe poterit, ſi Hugonem, quem poſt Maynardum anno 1062. Eugubinæ præfuiſſe Eccleſię, juxtà Bullam Alexandri II. ab Ughello indicatum, pro nunc concedere poſſumus,

immediatum noſtri Rodulphi Anteceſſorem, non verò ſecundum Succeſſorem ejuſdem fuiſſe aſſeramus; adeòut poſt annum 1062. Rodulphus hic ad Eugubinam Cathedram promotus fuerit, putà anno 1063. vel 1064. et uſque ad Junium anni 1067. ſupervixerit, Dominico, aut alio Præſule illi ſuccedente; Quãquàm ego potiùs crediderim, Bullam illam Alexandri II. ad annum 1070. pertinere, qui Indictione VIII. conſignabatur, undè V. in X. commutato, Indictio XIII. ab Amanuenſibus effecta fuerit, quę jam apud Ughellum in hoc Diplomate legitur; adeòut Hugo poſt Maynardũ, Rodulpho jam anno 1067. mortuo, ſuccedere in Eugubino Epiſcopatu optimè potuerit. Quod autem anno 1059. Rodulphus Romanę Synodo ſubſcriptus legatur, ſiquidem id verum ſit, de alio Prædeceſſore Rodulpho (aut Reginaldo, aut Raynerio, aliove ſimili nomine, per litteram R. incipiente, nuncupato Epiſcopo; ejuſmodi enim ſubſcriptio, ut fieri ſolet, ita fortaſſe expreſſa fuit: *Ego R. Eugubinus Epiſcopus*, atque *Rodulphi* nominis interpretationi anſam prębere debuit, ut ex ſubſcriptione *Vv. Humanat. Epiſc.* eidem Romanæ Synodo anni 1059. facta, ipſemet Ughellus tom. 1. pag. 804. interpretatus erat *Vvillelmus*, et mox in Appendice ejuſdem tomi pag. 419. ex Petro Damiano corrigendum eſſe *Vvido*, animadvertit) intelligi facilè poterit. Nec deerunt argumenta, quæ hanc conjecturam confirment, primò ex his quæ ſuprà, de anno morti, S. Rodulphi, expendimus; ſecundò ex Epiſt. 10. libri 4. Petri Damiani *Ad R. Epiſcopum Eugubi-*

Digitized by Google

gubinum quem alium fuiſſe à noſtro Rodulpho, conſtare videtur, quia Epiſcopus ille R..... non admodum Petro Damiano propitius videbatur, cujus Eccleſiam Eccleſiaſtico Interdicto ſubiecerat, unde illum ita humilis deprecatur. *Obſecramus igitur, Dilectiſſime, interdictum noſtræ Eccleſiæ officium reddite, et, non ſolùm illam poſſeſſiunculam, quæ veſtræ proculdubiò diæceſis eſt, ſed et quidquid habemus, veſtra auctoritàte, defendite &c.* At noſter Rodulphus, Petrum Damianum, ut Patrem ſuum, etiam poſt Epiſcopalem conſecrationem, ſemper ſuſpexit, ejus nutu, et conſilio cuncta decernebat, et in Eremo magis, quam in Eccleſiæ ſuæ Palatio vivens, *Eccleſiam deputabat Hoſpitium, ſolitudinis autem Cellulam habitaculum decernebat*, ut narrat ipſe Petrus Damiani, qui et infra addit: *Me vim ingerente coactus, Eccleſiam, quam dimiſerat voto, retinebat officio: in Eremo tamen perſeverantiùs habitabat*. Quare veroſimiliter Petri Damiani Eccleſiam interdicto non ſubieciſſet, antequàm ab ipſo rationem intelligeret, cur illam paſſus eſſet à Foroſempronienſi Epiſcopo conſecrari. Alius ergo Epiſcopus R...... ante noſtrum Rodulphum Eugubinæ præfuit Eccleſiæ, atque is potuit Romanæ Synodo ſub Nicolao II. ſubſcribere.

XI. Septimò circa Joannem Petri Damiani Diſcipulum, ejuſque vitæ Scriptorem, non levis eſt Laderchii hallucinatio, dum illum cum S. Joanne Laudenſi Eugubino Epiſcopo lib. VI. cap. 28. confundit; idemque aſſerendi tum Machiarello noſtro, tum Auctori Diarii Gallici, præbuit occaſionem; qua in re, licèt Auctor

ctor Dialogi ſatis Hiſtoricum noſtrum confutaverit; argumentis tamen eſt uſus, quæ *ad hominem* [ut dici ſolet] non *ad judicium*, intento probando conducunt; Enimverò non anno 1076. quem Laderchius ex Ferrario determinat, ſed longè poſt, nempè anno 1105. ut habet Ughellus, Joannem Laudenſem Eugubinam Cathedram aſcendiſſe conſtat, vel ex eo quòd anno 1084. eundem Joannem Prioris officium apud Avellanam miniſtraſſe demonſtrat authenticum tranſactionis cujuſdam Inſtrumentum in Archivio Claſſenſi capſula 94. num. 67. quod ſic habet. *In nomine Domini: temporibus Domni Gregorii Summi Pontificis, anno ab Incarnatione Domini noſtri Jeſu Chriſti milleſimo octuageſimo quarto, regnante Henrico filio quondam Henrici Imperatoris, Indictione ſeptima. Eugubio. Ego in Dei nomine Thebaldus, filius quondam Pagani de Nartianula, refutationem, et tranſactionem, et definitionem facio Eccleſiæ S. Crucis Fontis Avellani, et tibi Joanni (de Laudo) Priori, tuiſque ſucceſſoribus in perpetuum, ideſt de ipſa Eccleſia S. Apollinaris, poſita in Nartianula &c.* Idemque patet ex aliis ejus ætatis monumentis, atque ex ejuſdem S. Joannis Laudenſis Hiſtorias ex quibus item liquet non 36. annos illum in Epiſcopatu vixiſſe, ſed uno dumtaxat anno, aut paucis inſuper menſibus; neque anno 1116. ſed 1106. Deum adiiſſe, ut Ughellus etiam confirmat.

XII. Porrò eundem Joannem Laudenſem, nedum Laderchius ipſe lib. III. cap. 27. num. 2. fatetur Petro Damiani immediatè in Prioratu Avellanæ ſucceſſiſſe, verùm id habet etiam Auctor Vitæ ipſius Joannis, cujus

cujus fragmentum refert Conſtantinus Caietanus initio tomi II. Operum B. Petri Damiani: teſtatur enim, quòd poſt mortem S. Doctoris *Fratres inſpirati à Domino concorditer, et unanimiter, Sanctum Virum Joannem de Laudo in Priorem præcipuum elegerunt: ut ſicut Sancto Patri Petro Damiano in Sanctitate, et ſapientia, conſimilis erat, ita ei in Prioratu ſuccederet*. Cùm verò Joannes ſcriptor Vitæ Petri Damiani fateatur ſe Monachum eſſe ſub Liprandi Prioris Obedientia conſtitutum, ejuſque, et aliorum Seniorum Fontis Avellanę juſſu, ad eam hiſtoriam colligendam fuiſſe compulſum (ait enim in Procemio. *Domno Liprando Priori, et cæteris ſenioribus Eremi Fontis Avellanæ, Joannes. Opus mirabile Patres, quòd Sanctitati veſtræ placuit meæ iniungere parvitati........ At quia non præſumo veſtro quicquam abnegare imperio..... Petri Damiani meritis, ad cujus Vos Acta exaranda meam obedientiam provocatis &c.*) Evidens utique remanet, eundem eſſe non poſſe Joannem hunc Vitæ Damiani ſcriptorem cum illo Laudenſi Eugubino Epiſcopo, qui poſt Damiani ejuſdem obitum, ſtatim Avellanæ Prior, et mox Epiſcopus factus eſt, numquam verò ſimplex Monachus vixit, ut aliorum præceptis eſſet obnoxius.

XIII. Sed et luculentiùs idem demonſtratur, ex quo Vita hæc Petri Damiani poſt annum 1110. adeòque longè poſt mortem S. Joannis Laudenſis, quæ 1106. ut diximus, contigit, certiſſimè ſcripta fuerit: tantum abeſt, ut ipſimet Joanni Laudenſi tribui debeat. Enim verò Liprandi Prioris tempus id clarè evincit, quod in Cathalogo Priorum Avellanæ, juxta ejuſdem Mona-

ſterii

ſterii monumenta compoſito, ad prædictum annum 1110. conſignatur. Joannes ſiquidem Laudenſis, ut notavimus, immediatè Petro Damiano ſubrogatus legitur: huic verò anno 1105. ad Epiſcopatum Eugubinum promoto, Petrus Ariminenſis in Prioratu ſucceſſit, tum anno 1110. Liprandus Petro ſuffectus eſt, cujus nutu ſuſceptum eſt à Joanne Damiani Diſcipulo conſilium Vitæ S. Doctoris conſcribendæ, ipſique Liprando Priori dedicandæ; cùm igitur S. Joannes Laudenſis quadrienniò ante mortalitatis exuvias depoſuiſſet, conſtat, longè diverſum eſſe Joannem Vitæ Petri Damiani ſcriptorem à S. Joanne Laudenſi Epiſcopo Eugubino. Quòd ſi etiam Jacobilli calculum ſequeremur, qui Liprandum alicubi ſcribit immediatè Joanni Laudenſi in Prioratu ſucceſſiſſe, liquet, huic jam Epiſcopo facto, et per annum, ac paucos menſes ſuperſtiti, non potuiſſe ab illo Vitæ Petri Damiani compilandæ provinciam injungi.

XIV. Addo, quòd utriuſque Joannis diſcrimen ex diverſa Patria, diverſoque mortis tempore colligitur: tradunt nempe Scriptores, Joannem Petri Damiani Diſcipulum, ejuſque Vitæ Scriptorem, ipſius etiam concivem, nempè Ravennatem fuiſſe, Joannes autem Eugubinus Epiſcopus, Patria Laudenſis, in Inſubria, non in Æmilia natus eſt: Ille quidem in Calendario Avellanæ obiiſſe notatur die 26. Maii 1115. Hic verò Deum adiit die 2. Septembris 1106. Ille apud Avellanæ Eremum, hic apud Cathedralem Eugubij: Ille privatus Monachus, hic ex Priore Epiſcopus: Ille qui-

dem

dem aliqua Sanctimoniç laude inſignis, ſed neque Sancti, neque Beati aliquando titulum adeptus; hic verò multis poſt obitum miraculis clarus, à Paſchali II. Sanctorum Cathalogo eſt adſcriptus. Non igitur uterque Joannes à Laderchio confundi debuerat, nullo præſertim aſſertionis ſuæ fundamento, adversùs tam multiplicis diſcriminis argumenta, allegato.

XV. Atque hæc è multis in Laderchiana Hiſtoria adnotaſſe ſufficiat, aliis enim curis, ab hoc ſtudiorum genere me potentiùs avocantibus, cedere cogor. Si deſiderato rurſus otio frui aliquando licebit, atque iterum Laderchius ipſe lapidem hunc verſare juſſerit, in his, quæ nunc prætermiſſa, aut neglecta volui, ſupplendis operam meam deſiderari non patiar. Æqui bonique conſulat, rogo, Lucubrationem hanc, P. Laderchius, quam Veritatis Zelus, et Amicorum Conſilia à me impetrarunt, præſertim cùm illam non livido, et averſo, ſed candido, et amico animo ſcriptam inveniat, nec non ab omnibus illis amaris jocis alienam, quibus Seiani, et Ruffini Dialògus ſcatet, atque intemperantiùs redundat: Quid enim conviciis opus eſt ad Veritatem vindicandam? At Dialogiſtæ illi fortaſse parcendum, qui [ſiquid coniecturis aſſequimur] aut Is ipſe eſt, aut ex ea prodiit ſchola, cujus Magiſtrum prior Laderchius Tom. III. pag. 315. et 323. acerbiſſimè exagitaverat; Cauſæ verò noſtræ longè diſpar eſt ratio, proindeque et mitior eſt indoles, quamdiù ſcilicet ſententiarum dùmtaxat, non voluntatum diſſenſione diſcrepamus. Utinam hæc ad Veri-

tatis illuſtrationem, atque eximii Doctoris PETRI DAMIANI gloriam, nobis in hac Diſſertatione unicè propoſitam, cedant, nec jurgiis, à quibus ſemper abhorrui, nec contumeliis, à quibus hactenus ſemper abſtinui, anſam ullam miniſtrent: quæ, ut meorum ſumma votorum eſt, ita cuilibet mecum diſputanti fixa ſit, et rata, deſidero: quatenus utrinque pariter, *Abſque perſonarum præjudiciis, Veritatis præjudicia vindicentur.*

F I N I S.

ET NE AUFERAS DE ORE MEO VERBUM VERITATIS USQVEQVAQVE. Pſal. 118.

IN-

Digitized by Google

INDEX

Propriorum Nominum Perſonarum, et Locorum, quorum in his quatuor Diſſertationibus fit mentio.

Materiarum verò Indicem Synopſis Capitibus ſingulis præfixa miniſtrat.

Numeri Romani Diſſertationem appellant: reliqui Arabici paginas earundem Diſſertationum deſignant.

A

Aaron Sacerdos. III. 88.
Abraham Patriarcha. III. 83.
Achab Rex Iſrael. III. 93.
S. Adalbertus Ep. Mart. Diſc. S. Romualdi. I. 67. 118. II. 110. 111. 129.
S. Adelaides Imperatrix. III. 112.
Adhalbero Epiſc. Germaniæ, II. 38.
Adhelbero Dux Germ. II. 112. 131.
Adrianus Baylet. I. 105.
Adrianus IV. Pont. Max. I. 28. 30. 31.
Ægidius Rambek Monachus Bened. I. 95.
Alambertus Epiſc. Bonon. II. 36.
Albericus Comes. I. 20.
S. Albertinus Avellanæ Prior. III. 20.
Albertus Abb. S. Mich. Piſar. III. 82.
B. Albizo Eremita Comes S. Petri Dam. IV. 65. 127.
B. Albizus Prior Camald. I. 23.
Albertus, et Syrus Vitæ S. Majoli Scriptores. III. 12.
Alexander II. Pont. Max. I. 19. IV. 7. 42. 82. 130. 131. 132.

S 2 Ale-

Alexander IV. Pont. Max. I. 28. 30.
Alverniæ Mons.I.117. III. 85.
Ambroſius Gen.Camal.II.17.
Amedæus Epiſc. Aret. I. 31.
Anaſtasius III. Pont. Max. II. 36.
S. Andreas Epiſc. Flor. II. 90.
Andreas Ianuenſis Mon. Vallumb. I. 57. 83. II. 42. 43.
Andreas Mugnotius. III. 67. 74. 75. 76. 78. 79. 100. 136. 151.
Andreas Vallemanius Abb. Camal. III. 20. IV. 86.
S. Andreas Zoerardus Erem. Camal. II. 60.
Angelus Abbas VallisCaſtri. I. 29.
S. Anſelmus Lucenſis Epiſc. IV. 8.
S. Antoninus Arch. Flo. II. 34. III. 60. 149.
S. Antonius Abbas. I. 25. 93. III. 92. 125. IV. 100. 108.
Antonius Franc. Laur. Caramellus Abbas Camald. III. 50.
Antonius Magliabechius Magni Ducis Etruriæ Bibliothecarius. III. 155. 156.
Antonius Maria Bonuccius. I. 24. IV. 66. 86.
Antonius Maſinius. II. 35.
Antonius Pagius. III. 153.
B. Antonius Peregrinus Camald. III. 120.
S. Apollinaris Ep. Mart. Rav. II. 81. 104. 109. 127. IV. 22.
S. Apollonius Abbas. III. 125. 126.
Apulejus. III. 120.
Archibaldus Epiſc. Saliſb. II. 38.
Archivium Camaldulenſe. I. 20. II. 69. 95. III. 30. 65. Claſſenſe. II. 40. III. 100. S. Georgii Majoris Ven. II. 79. 140. S. Michaelis Piſarum. III. 81. S. Petri de Luco. I. 20. III. 115.
Ardeſadus Abb. Claſſ. Diſc. S. Rom. II. 100. 120. IV. 112.
Arduinus Mon. Cam. Diſc. S. Rom. II. 114. 135.
Arduinus Vrbinas. IV. 75.
Argeſiſus Mon. Fontanellen. III. 126.
Ariſtoteles Stagyrita. III. 92.
Aritius Notarius. I. 20.
Arnaldus Epiſc. Aret. III. 18.
Arnoldus Vvion. Mon. Caſſin. I. 10. 16. 22. 108. 118. 119. II. 79. 80. 141. IV. 8.
Aſcanius Tamburinus Abb. Vallum. I. 82. II. 42. III. 19.
S. Athanaſius Epiſc. Alex. III. 29.

Athi-

Athinulphus Epiſc. Feſul. II. 87.
B. Atho Diſc. S. Rom. II. 84.
Atho Epiſc. Flor. II. 43. 45. 47. 48. IV. 128.
S. Atho Epiſc. Piſtor. Mon. Vallum. I. 108. II. 43. 53. 55.
Avellanitæ. V. *Monachi*.
Auguſtinienſes. I. 110. IV. 93.
S. Auguſtinus Epiſc. Hyppon. I. 11. 13. 15. III. 92.
Auguſtinus Fortunius Mon. Camal. I. 6. 7. 9. 11. 15. 29. 30. 32. 34. 35. 39. 43. 46. 63. 81. 90. 111. II. 8. 18. 39. 71. 77. 80. III. 11. 20. 21. 22. 32. 40. 47. 57. 67. 76. 78. 97. 100. 129. 136. IV. 12. 18. 70. 91. 92. 95. *et alibi frequenter*.
Auguſtinus Lubin. II. 143. IV. 86.
Auguſtinus Mercier. IV. 109.
Aurelianus Abbas. III. 126.
Aurelius Antonellus Abb. Camal. III. 15.
Azo Gener. Camal. I. 30. IV. 112.

B

B. Balbina S. Claræ Diſc. IV. 126.
Baldaſſar Francolinus. II. 25.
Barionius B. Ludulphi Socius. II. 125.
S. Barnabas Conf. Camal. I. 81. 118. II. 60. 110.
Bartholomæus Gavantus. III. 135.
S. Baruntius Erem. Camal. III. 20.
S. Baſilius Epiſc. Neocæſ. I. 25. 64.
S. Beda Presb. ac Monachus. III. 124.
B. Benedictus Diſc. S. Rom. Camal. I. 51. III. 34.
S. Benedictus Martyr Diſc. S. Rom. I. 76. 81. 96. 118. V. *SS. Ioannes, et Benedictus*.
S. P. Benedictus Monachorũ Patriarcha. I. 16. 25. 66. 67. 93. 94. 97. 107. II. 104. 109. 120. 127. III. 44. 102. 103. 114. 123. 130. IV. 35. 90. 100. 107. *et alibi*.
S. Benedictus Svirardus Camald. II. 60.
Benedictus IX. Pont. Max. II. 49.
B. Berardus Diſc. S. Rom. II. 118. 135. IV. 69.
Bernardinus Gadolus Mon. Camald. I. 5. 113. III. 58. 72. 116. 145.
S. Bernardus Abb. Clarevall. II. 18. 19.
Bernardus Abb. Tirolẽſis. III. 124.

Ber-

Bernardus Montfauconius Mon. Congr. S. Mauri. I. 70. III. 8. 9.
B. Bernardus Ptolomæus Olivet. Congr. Inſtitutor. III. 53.
Bernardus Sacerdos Florentinus Erem. Camal. I. 73.
Beſtpterus fil. Boleslai Regis Pol. II. 63.
Bibliotheca Angelorum Floren. I. 5. 35. III. 22. 49. 74. Barberina III. 125. Cluniacenſis. III. 106. 108. S. Michaelis Murani. I. 5. III. 58. Pompoſæ. I. 70. Sacræ Eremi Camal. III. 65. Vaticana. II. 18. III. 125. 128.
S. Bogumilus Arch. Gneſgn. Erem. Camal. I. 43. II. 59. IV. 86.
Boleslaus Chabri Rex Polon. I. 68. II. 58. 60. 99.
Bonifacius Card. Ep. Alban. IV. 84.
S. Bonifacius Ep. Mart. Diſc. S. Rom. I. 10. 24. 38. 48. 49. 50. 51. 75. 76. 96. 105. 118. II. 64. 110. 111. 112. 129. 130. 141. 142. III. 15.
Bonifacius Etruriæ Marchio. III. 29. IV. 74.
Bonifacius IX. Pont. Max. I. 29.
Boninus Florentinus Cantor Mon. Claſſ. III. 113. IV. 84.
Bonus Abbas Claſſenſis Diſc. S. Rom. IV. 112.
B. Bonus Abbas S. Mich. Piſ. II. 115. 135. III. 82.
Bonus Monachus, et Eremita Pompoſæ. I. 70.
Bonus Prior Camaldulen. I. 23.
Bonus Prior Eremi ad Vivum. I. 30.
Brennius Arianus. IV. 15.
S. Brigida Vidua. III. 53.
S. Brigida Virgo. III. 126.
Briſca Rex Croatiæ. II. 64.
Brunerius Auctor Faſt. Marian. I. 24.
S. Brunus Epiſc. Signin. IV. 8.
Brutus. III. 93.

C

CÆſar Card. Baronius. I. 5. 95. II. 10. 14. 18. 35. 37. 47. III. 121. 63. 128. 135. 138. 142. 153. IV. 126.
Cæſarius Monachus Arelatẽſis. III. 126.
Camaldulenſes. V. *Monachi*.
Camaldulum. V. *Monaſterium*.
Campus Malduli. V. *Eremus Camald.*
Caniſius. II. 34.
Canonici Regulares à S. Rom. inſti-

inſtituti. l. 89. 90. ll. 112. 131. Lateranenſes. l. 15. Scopetini. l. 16.
Carmelitæ. l. 33. 109. 110. IV. 93.
Carolus Magnus Imp. IV. 35.
B. Caſimirus Poloniæ Rex Diſc. S. Rom. l. 67. ll. 11. 34. 58. 94. 99. 102. 118.
Chnutus Rex Daniæ. ll. 54.
S. Chriſtinus Martyr Camal. l. 81. 118. ll. 60. 110. 129.
Chriſtophorus Marcellus Archiep. Corcyr. lll. 73. 74. 85. 86.
Chriſtophorus Sandius. IV. 15
S. Chunegundis Imper. ll. 53.
Chuneildis Regina. ll. 54.
S. Clara D. Franciſci Soror. IV. 125.
Claudianus Poeta. lll. 95.
Clemens V. Pont. Max. lll. 122.
Clemens VII. Pont. max. IV. 78.
Clemens VIII. Pont. Max. l. 96. ll. 10. 18. 42. lll. 132. IV. 97.
Clemens IX. Pont. Max. lll. 117.
Clemens X. Pont. Max. lll. 117. IV. 97.
Clerici Soc. Ieſu. lll. 128. Somaſchenſes. l. 16.
Cogitoſus Scriptor vitæ S. Brig. Virg. lll. 126.
S. Columba Abbas Hyenſis. lll. 126.
Congregatio Monachorum Camal. S. Michaelis Murani. V. *Monachi Camal.*
Connildis Regina Polon. ll. 63.
Conradus ll. Imper. ll. 51. 84. 85. 90.
Conſtantinus Archiep. Rav. ll. 36. 101.
Conſtantinus Caietanus Abb. Caſſin. lll. 19. 20. 125. IV. 64.
Cornelius à Lapide. IV. 86.
Cornelius Fronto. IV. 73.
Coſmus de Arena. ll. 82. lll. 159. IV. 79.
Coſmus. lll. Magn. Dux Etruriæ. IV. 119.
Creſcentius Senator Rom. ll. 81. IV. 80.
Cummenæus Scriptor Vitæ S. Columbæ Abb. lll. 126.
S. Cuthbertus Mon. Bened. lll. 124.

D

Damianus Archipresb. et Mon. Frater S. Petri Dam. IV. 123. 124.
Damianus Mon. S.R.E. Card. Nepos S. P. Dam. IV. 8.

Dani-

Daniel Papebrochius. I. 113. II. 35. 36. 39.
Dantes Poeta Etruſcus. III. 122. IV. 13.
S. Datius Epiſc. Mediol. III. 92.
Deſiderius Abb. Caſſin. S. R. E. Card. mox Victor III. Pont. Max. II. 29.
Didacus Franchus Abb. Vallumb. I. 55. 56. 57. 81. 82. 100. 108. II. 42. 44. 53. 143. III. 120. 126. IV.
Diodorus Siculus. III. 94.
Dion. III. 93.
Dithmarus. II. 63.
Dominicus Abbas Claſſis. II. 40.
Dominicus Epiſc. Eugub. IV. 132.
S. Dominicus Loricatus Camald. II. 28. III. 139. IV. 10. 42. 79. 80. 81. 86. 106. 107. 111. 113. 114. 128. 129.
S. Dominicus Prædicatorum Inſtitutor. I. 25. 48. III. 47.
Dominicani. I. 35. 39. 40.
Drobemirus Dux. II. 63.

E

Eccleſia S. Apollinaris de Nartianula. IV. 134. S. Michaelis Templani. II. 116. 136.
Edmundus Martene Mon. Congr. S. Mauri. III. 119. 122. 124. 126. IV. 94.
Eduardus I. Rex. Angliæ. I. 109.
Eduardus Maria Baroncinus Eremita Camal. I. 113. II. 73. III. 66.
Elias Propheta. I. 33.
B. Eliſabeth. Schounagienſis. III. 103.
Eliſeus Propheta. I. 33.
Eniedinus Arianus. IV. 15.
Eremitæ Camaldulenſes Sacræ Eremi Etruriæ. I. 36. 37. 41. III. 38. 114. 116. 117. IV. 93. *et alibi*. Congregationis Gallicæ. I. 36. 37. IV. 93. S. Ioannis Caietani Piſar. III. 21. Montis Coronæ. I. 17. 33. 34. 35. 36. 40. 46. 47. III. 117. 127. IV. 78. 90. 93. Pedemontani. I. 36. 37. IV. 90. 93.
Eremus Aquæbellæ, ſeu Vallisumbroſæ. I. 81. II. 23. 44. 50. 102. 115. 133. Aquitanica S. Romualdi. I. 37. 47. 68. 91. II. 106. 139. Avellanæ. I. 47. 70. II. 109. 127. IV. 102. 136. V. *Monaſterium*. S. Benedicti ad Biſurcum. I. 69. II. 109. 115. 136. 127. 143. Callienſis. II. 113. 132. Camaldulenſis

ſis S.Salvatoris. I.6. 10. 14. 15. 17. 18. 19. 21. 23. 39. 42. 80. 91. 115. 116. 119. II. 65. 69. 72. 116. 133. III. 18. 26. 33. 34. 51. 54. 60. 64. 65. 73. 74. 85. 88. 89. IV. 61. 102. *et alibi*. Caſimiritana. I. 81. Cellarum Vallis Vmbr. I. 80. 82. Cortonenſis. I. 113. Cryptarũ Maſsacii. I. 17. Frontalis ſeu Montis Suavicini. IV. 81. 82. S. Hieronymi de Paſcilupo. I. 17. Hiſpellenſis S. Andreæ. II. 113. 132. Luceoli IV. 79. S. Mariæ Sitriæ. I. 18. 19. 38. 47. 87. 134. II. 134. III. 22. 23. IV. 17. 107. V. *Monaſterium*. S. Martini in Silva. II. 81. 108. 126. Montis Coronæ. I. 17. 80. 116. III. 117. 127. IV. 78. 90. 93. Montis Petrani. II. 113. 115. 132. IV. 69. Montis Pregii. II. 113. 132. IV. 78. 79. S. Petri ad Vivum. I. 30. 70. 81. II. 115. 136. Perei. I. 37. 47. 48. 68. 69. II. 81. 109. 110. 111. 127. 129. III. 127. Põpoſæ. I. 70. II. 110. 129. Pontis Petri. II. 81. 126. Serræ Sanctorum. II. 113. 133. IV. 79. Turris Caliginis. II. 121. 139. Vallis Caſtri. II. 112. 131. *V. Monaſterium*.

S. Eulogius Mart. Mon. Bened. III. 126.

Ezechiel Propheta. III. 88. 91.

F

S. FAcundinus Epiſcopus. IV. 79.

Fauſtus Monachus S. Ben. IV. 35.

Fauſtus Socinus. IV. 15.

Ferdinandus Vghellus Abb. Ciſterc. I. 82. II. 35. 37. 40. 43. 45. 48. 69. 87. 90. 101. 143. IV. 130. 131. 134.

B. Fortis Eremita Camald. Diſc. B. Ludulphi. IV. 15.

Fortunius. V. Auguſtinus.

Franciſcani. I. 35. 39. Capuccini. I. 110. IV. 93. Conventuales. *ibid.* Obſervantes. *ibid.*

Franciſcus à Diaceto Epiſc. Feſul. II. 84. 85.

S. Franciſcus Minorum Patriarcha. I. 25. 48. 117. 118.

Franciſcus Petrarcha Poeta. III. 60.

S. Fuſcus Archiep. Ravennę. II. 35.

T Ga-

G

GAbriel Bucellinus Mon. Bened. I. 38. 104. II. 141. III. 9. 24. 234.
Gabriel Pennottus. IV. 86. 89.
Gabriel Subprior Camalduli. I. 72.
B. Gaudentius Diſc. S. Rom. II. 118. 135. IV. 69. 70.
Gaufredus Abbas. III. 124.
Gebioſus Epiſc. Cæſen. S. R. E. Card. Mon. Avell. IV. 9.
Gelaſius I. Papa. III. 138. 147.
S. Gerardus Sagredo Mon. Camal. Ep. Mart. II. 140.
Germanus Botta Abb. Camal. I. 83. II. 100.
Gherardus Abb. S. Mich. Piſar. III. 82.
Gherardus II. Gener. Camal. I. 76. 113. II. 66. 75. III. 37. 38. 46. 65. 66. 100. 115. 145. 148. 157. IV. 57. 96.
Giſla Auguſta Imp. II. 52. 53. 84. 85. 90.
B. Giſſus Diſcip. S. Rom. I. 51. III. 34.
Glaber Rodulphus. I. 158.
Gotifredus Etruriæ Marchio. III. 159.
Gozo Monachus S. Vincentii. IV. 75.
Gregorius Abb. Vallis caſtri Diſc. S. Rom. II. 116. 117. 135. 136.
S. Gregorius Nazianzenus. I. 84. 88. III. 29.
S. Gregorius I. Papa. III. 92. 101. 115. 125. 127.
Gregorius V. Pont. Max. II. 38.
S. Gregorius VII. Papa. I. 19. IV. 8. 9. 134.
B. Gregorius IX. Pont. Max. Camal. I. 28. 30. IV. 125.
Gregorius XV. Pont. Max. IV. 86.
Gualterius Arch. Raven. I. 29. IV. 111. 112.
B. Guarinus Abbas Diſc. S. Rom. I. 43. II. 9. 77. 105. 123. 126.
Guarinus Abbas Septimi. I. 83.
Guglielmus Abbas Prataglię. I. 30. 31. III. 39.
B. Guglielmus Diſc. S. Rom. II. 109. 128.
S. Guido Abbas Pompoſæ. IV. 69.
B. Guido Aretinus Prior Avell. IV. 14.
B. Guido Comes Diſc. S. Rom. I. 51. II. 61. 99. 112. 131. 132. IV. 42.
Guido Epiſc. Anicienſis. II. 38.
Guido Epiſc. Florentinus. II. 48.

Guido Prior Angelorū Flor. III. 5. 7.
B. Guido I. Gener. Camal. I. 22. 23. 27. II. 39.
Guilla Marchioniſſa. II. 83.
Guitmundus Card. Ep. Averſanus Mon. Avell. IV. 8.
Gunthelinus Diſc. S. Rom. I. 83. II. 52. 115. 133.

H

HAeſtenus Mon. Ben. III. 123.
Helempertus Epiſc. Arct. II. 37. 69. 70. 71. 113. 132. III. 89. 90.
Helempertus II. Epiſc. Arct. IV. 92.
S. Henricus I. Imper. II. 15. 53. 92. 130. 143. III. 15. 17. 114.
Henricus II. Imper. II. 52. 53.
Henricus III. Imp. IV. 134.
Henricus IV. Imp. *ibid.*
Henricus Clericus. I. 70.
Herodes Rex. III. 17. IV. 64.
Hieronymus Abb. Pompoſæ. I. 70.
Hieronymus Æmilianus Somaſchenſium Auctor. I. 16.
Hieronymus Aretinus Epiſc. I. 31.
Hieronymus Bardius Mon. Camald. II. 8. 80.
S. Hieronymus Eccleſiæ Doctor. I. 49. 67. III. 143.
Hjeronymus Fabri. I. 10. 91. 119.
B. Hjeronymus Pragen. Eremita Camald. I. 113. II. 15. 66. III. 54. 66. 96. 100. 148. 157. IV. 52. 54.
Hjeronymus Radiolēſis Mon. Vallumb. II. 42.
Hjeronymus Rubeus. II. 35. 39. 40. 96. 97. III. 20.
S. Hilarion Abbas. III. 55.
Honeſtus Arch. Raven. Abb. Claſſis. II. 6. 7. 8. 33. 35. 36. 38. 39. 40. 78. 96. 97. 98. 100. 104.
Honorius III. Papa. IV. 131.
Horatius Flaccus Poeta. I. 12. 114.
S. Hugo Abbas Cluniacenſis. III. 107.
Hugo Etruriæ Marchio. II. 15. 76. 81. 82. 108. 127. III. 158.
Hugo Eugubinus Epiſc. IV. 130. 131.
Humbertus Card. S. Ruffinæ. II. 29. 54.
B. Humiliana de Cerchis Vid. Flor. I. 23.

I

IAcobus Abbas Cormaticenſis. III. 107.

Iacobus Bavarus Ep. Feſul. I. 82. II. 51. 84. 85. 87. 89.
Iacobus Burallius. II. 37. 69. 70.
Iacobus Gordonus. II. 80.
Iacobus Laderchius. I. 53. III. 20. 21. IV. 4. 9. 10. 86. 89. 122. 125. 126. 128. 137.
Iacobus Philippus Bergomas. I. 5. III. 58. 60.
Idemberta Abbatiſſa. II. 90.
S. Ignatius Lojola Soc. Ieſu Inſtitutor. I. 48. III. 47.
Ildeprandus Abb. S. Mich. Piſar. III. 82.
Ildeprandus Epiſc. Flor. II. 45. 46. IV. 128.
B. Incognitus Cōverſus Claſſen. II. 104. 120. III. 44.
Ingelbertus Diſc. S. Rom. II. 117. 135. III. 139. IV. 69.
Innocentius II. Pont. Max. I. 30.
Innocentius III. Pont. Max. III. 107. 114.
Innocentius VII. Pont. Max. I. 29.
Innocentius XI. Pont. Max. II. 87.
Ioanna Vxor Petri Candiani Venet. Duc. II. 79.
Ioannes Abbas S. Mich. Piſar. III. 82.
Ioannes Antonius Flaminius. III. 20.
S. Ioannes Baptiſta. I. 50. 95.
Ioannes Bapt. de Lezana. III. 125.
Ioannes Bapt. Novarien. Gener. Camal. IV. 87.
Ioannes Bapt. Vbaldinus. III. 159.
SS. Ioannes, et Benedictus Martyres Diſc. S. Rom. I. 10. 38. 49. 50. 51. 54. 76. 81. 118. II. 60. 109. 110. 111. 128. 129. 130. 142.
Ioannes Bollandus. I. 38. 96. 120. II. 14. 60. 63. 66. 76. 80. III. 54. 112. 125. IV. 52.
Ioannes Caſſianus. I. 64.
Ioannes Caſtagnizza Mon. Bened. I. 62.
S. Ioannes Chriſoſtomus. III. 121.
B. Ioannes Claſſenſis. II. 117.
B. Ioannes Columbinus. III. 53.
Ioannes Crellius. IV. 15.
Ioannes Diaconus Card. Bibliothecarius. I. 28.
Ioannes Diſcip. S. Rom. apud Caſſ. I. 56. 87. 96. II. 108. 112. 126. 131. 140. 141.
Ioannes Epiſc. Aretinus. II. 37.
Ioannes Epiſc. Bonon. II. 36.
Ioannes Epiſc. Eugub. IV. 21.
B. Ioannes Gener. Camal. S. R. E. Card. Ep. Oſtien. I. 23.

Ioannes Ghibertius Prior Angelorum Flor. III. 43.
B. Ioannes Gradenicus Diſc. S. Romualdi. I. 5. 26. 43. 44. 49. 51. 67. 118. II. 79. 106. 123. 127. 126. 140. 141.
S. Ioannes Gualbertus Vallumbroſanæ Congr. Pater Diſc. S. Rom. I. 56. 57. 82. 83. II. 12. 34. 42. 44. 56. 69. 93. 102. 118. III. 126. IV. 19. 63. 109. 110. 128.
Ioannes Ioannalius Mon. Vallum. II. 42.
S. Ioannes Laudenſis Camal. Ep. Eugub. IV. 79. 133. 134. 135. 136.
Ioannes Mabillonius Mon. Congr. S. Mauri. I. 110. II. 140. III. 101. 122. 124. IV. 16. 87.
Ioannes Major Eremi Camal. I. 72.
B. Ioannes Maurocenus Diſc. S. Rom. I. 43. II. 79. 106. 123. 126.
B. Ioannes de monte Feretro Camald. IV. 80.
Ioannes Paulus Porteſanus. IV. 86.
Ioannes Scriptor Vitæ S. Petri Dam. ejuſque Diſc. III. 20. IV. 68. 71. 73. 79. 123. 124. 133. 135.
Ioannes Traverſarius. II. 36.
Ioannes II. Piſanus Gener. Camal. III. 21.
Ioannes III. Burgenſis. Gen. Camal. IV. 63.
Ioannes XI. Pont. Max. I. 35. 36.
Ioannes XII. Pont. Max. I. 120.
Ioannes XIX. Pont. Max. II. 85.
Iob Propheta. III. 92.
Iocelinus Scriptor Vitæ S. Patritii. III. 125.
Ioſeph Hebrȩus. III. 121.
Ioſeph Roſaccius. II. 80.
S. Ioſeph Sponſus B. M. Virg. I. 50.
S. Iſaac Martyr Camal. I. 81. 118. II. 60. 110. 129.
Itta Abbatiſſa S. Hillari. I. 82. II. 50. 90.
Iulianus Diſcip. B. Ludulphi Ep. Eug. IV. 14. 131.
Iulius Ambroſius Lucentius Abb. Ciſterc. IV. 20. 21.
Iulius III. Pont. Max. IV. 78.
S. Iunianus Monach. III. 126.
S. Iuſtus Conf. Camald. II. 60.

L

Lambertus Epiſc. Flor. II. 44. 45. 46.
Lando Rom. Pont. II. 35. 36.

Lau-

Laurentius Beyerlinghius. II. 61.
Laurentius Surius. III. 124. IV. 35.
Leo Abbas S. Alexii Romæ. I. 67.
Leo Abbas S. Michaelis Piſar. III. 82.
Leo Abbas S. Miniatis Flor. II. 50.
B. Leo Avellanita. III. 20.
B. Leo Diſc. S. Rom. Abb. Feſul. II. 85. 86.
Leo Oſtienſis. III. 103. IV. 35.
B. Leo Prezenſis Erem. Cam. I. 87. IV. 116.
B. Leo Sitrienſis Erem. Cam. IV. 25. 82. 83. 105. 116.
S. Leo IX. Pont. Max. II. 87.
Leo X. Pont. Max. I. 36. 49. III. 64. 48. 109. IV. 48. 113.
Leonardus de Caſtilione Aretino. IV. 64.
Leopoldus I. Imp. II. 87.
Liprandus Prior Avellanæ. IV. 135. 136.
Lucas Albitius Eques D. Stephani. III. 9.
Lucas Hiſpanus Erem. Montis Coronæ. I. 5. 17. 25. 27. 32. 33. 34. 43. 46. 62. 80. 88. 94. II. 73. III. 32. 70. 96. 97. 98. *et ſeqq.* 117. 127. 136.
Lucas Vvadingus. IV. 125.
Ludovicus Abbas S. Mich. Piſar. III. 82.
Ludovicus Barbus Auctor Congr. S. Iuſtinæ de Pad. I. 16.
Ludovicus Craſſus Rex Galliæ. III. 107.
Ludovicus Elias Dupin. II. 38. IV. 60. 86.
Ludovicus Iacobillus. II. 144. III. 20. IV. 16. 20. 21. 78. 79. 86. 125. 136.
Ludovicus Thomaſinus. I. 6. 64. 68. 110. II. 38. III. 107. 108. IV. 61. 62. 86.
Ludovicus II. Imper. II. 91.
Ludovicus IV. Imper. II. 37.
B. Ludulphus Avellanæ Inſtitutor Diſc. S. Rom. Ep. Eug. II. 109. 122. 125. 127. IV. 8. 13. 18. 19. 20. 21. 23. 85. 115. 116. 131.
Luitprandus Hiſtoricus. II. 35. III. 158.
B. Lupus Eremita Camal. I. 87. IV. 25. 116.

M

S. Macarius Abbas. I. 64.
Mackalle Epiſcopus. III. 126.
Mainardus Abbas. III. 17. 20. IV. 64.
Mainardus Epiſc. Eugub. IV. 131.

B.

B. Mainardus Eremita Sitriæ Camal. IV. 116.
S. Majolus Abbas. III. 111. 112. 113.
Maldulus Diſc. S. Rom. I. 51. 113. 114. II. 116. 133. III. 33. 45. 46. 54. 56. 67. 69. 71. 75. 76. 77. 78. 88. 89. 136. IV. 61.
Marcus Ant. Sabellicus. III. 71. 157.
Marcus Tull. Cicero. III. 94. 95.
Margarinus. II. 97.
B. Maria Piſana Vid. Camal. Recluſa. III. 121.
B. Marinus Frater S. Petri Damiani. IV. 123. 124.
B. Marinus Fratruelis S. Petri Dam. IV. 55. 84.
B. Marinus Magiſt. et Diſc. S. Romualdi. I. 43. 44. 51. 61. 62. 105. II. 8. 76. 77. 102. 104. 105. 113. 121. 122. 123. 133. 139. III. 44. 68. 114.
Marinus Monachus S. Sabini Piſar. III. 121.
Martinus Abb. S. Mich. Piſar. III. 82.
Martinus Baronius. I. 38. 81. IV. 86.
Martinus Chromerus. II. 11. 58.
B. Martinus Eremita Camal. I. 18. III. 18. IV. 118.
Martinus Proviſor Camald. IV. 56.
B. Martinus Storax Erem. Camal. I. 87. IV. 25. 82. 116.
Martinus I. Pont. Max. III. 28.
Martinus I. Camal. Prior. I. 20. 23. II. 39.
Martinus II. dictus IV. Pont. Max. I. 109.
Martinus II. Gen. Camal. I. 31.
B. Martinus III. Gener. Cam. I. 23. 24. III. 37. 115. IV. 57. 63. 95. 97.
Mathildis Comitiſſa. III. 29.
S. Matthæus Camal. Mart. I. 81. 118. II. 60. 110. 129.
Matthæus Card. Albanen. Mon. Cluniac. III. 108.
Matthæus Lauretus Abb. Caſſin. III. 102.
Matthæus Miechovita. II. 11. 58.
Maurozia Romana. II. 36.
S. Maurus Abbas Diſc. S. Bened. III. 103. IV. 35.
S. Maurus Epiſc. Cæſ. Mon. Bened. II. 28.
Melchior Cano Epiſc. Canar. III. 137. 138. 140. 141.
Menverchus Epiſc. Pavibron. II. 53.
S. Michael Archangelus. III. 103.
B. Michael Erem. Camald.

Au-

Auctor Coronæ Domini. III. 47. 48. 49.
Michael Gener. Vallumb. I. 108.
B. Michael Polenſis Erem. Cam. III. 139.
Monachi Avellanitæ. I. 29. 119. IV. 63. 126. Benedictini. I. 35. III. 19. Biſurcenſes. I. 29. II. 112. Cæleſtini. I. 110. IV. 126. Camaldulenſes. I. 17. 36. 37. 88. 116. 117. IV. 90. 96. *et alibi*. Carthuſienſes. I. 33. Caſſinenſes. I. 16. 33. 108. IV. 35. Ciſtercienſes. I. 17. 108. 110. IV. 78. 90. 108. 119. Claſſenſes. II. 6. 14. 96. 128. IV. 85. Cluniacenſes. I. 110. IV. 90. 108. Conventuales Camaldulēſes. IV. 119 Fontanellenſes. III. 126. Fulienſes. I. 110. Grandimontenſes. I. 16. S. Mariæ Agnani. III. 39. S. Mauri in Gallia. II. 5. Montis Virginis. I. 110. III. 116. IV. 65. Olivetani. I. 108. 110. IV. 65. Silveſtrini. I. 108. IV. 90. Sitrienses. I. 29. 56. II. 117. IV. 37. 81. 114. 118. Trappenſes. I. 110. IV. 119. Vallis Caſtri. I. 29. 33. 35. III. 39. Vallumbroſani. I. 33. 108. 110. III. 120. 126. IV. 63. 108. S. Vincentii de Petra pertuſa. IV. 70. 72.
Monaſterium S. Adalberti in Pereo. I. 54. 68. 89. II. 111. 129. SS. Alexii et Bonifacii Romæ. I. 75. S. Ambroſii Eugubii. I. 16. S. Andreæ Florentiæ. II. 90. Angelorum Florentiæ. I. 74. 112. III. 22. 43. 45. 49. 80. S. Annæ Piſarum. III. 121. B. Antonii Peregrini Patavii. III. 120. S. Antonii Tuderti. I. 90. II. 114. 133. S. Apollinaris. III. 112. 113. Avellanæ. I. 29. 70. III. 18. 113. IV. 4. 5. 7. 8. 12. 68. 85. 134. S. Bartholomæi Feſul. II. 8. 84. 85. S. Benedicti Aretii. III. 120. Berardingarum. I. 31. Biſurcenſe. I. 29. Boniſolatii. III. 159. IV. 119. Buldronis. III. 121. Caſſinenſe. I. 16. 75. II. 108. 110. 141. III. 130. Cellæ aureæ. III. 112. Ciſtercienſe. I. 17. Claſſenſe. I. 54. 61. 88. 107. II 6. 7. 104. 120. 132. III. 64. 105. 113. 129. IV. 22. 83. 84. 110. 111. 112. 119. Cluniacenſe. I. 68. III. 108. 109. Cormaticenſe. III. 103. S. Crucis Leufridi.

IV. 8. S. Damiani Martyris prope Aſſiſium. IV. 125. S. Donati de Scopeto. I. 16. Eſculanum. I. 89. Fontisboni Camalduli. I. 19. 21. 71. 74. 89. II. 116. 134. III. 70. 71. 75. 78. 90. 93. IV. 94. *et alibi*. Geniſtæ. III. 121. S. Georgii Majoris Venet. II. 79. 80. 108. 126. S. Giſmūdi Montis Regii. IV. 79. Grandimontenſe. I. 16. S. Helenæ ad Fluvium Ixinū. I. 89. S. Hyppoliti Faventiæ. I. 117. S. Illuminatæ Tudert i. II. 114. 133. S. Ioannis Evang. Prati Veteris. III. 67. 68. 120. S. Iuſtinæ Patavii. I. 16. S. Mariæ Agnani. I. 30. S. Mariæ Faventiæ. II. 17. 18. S. Mariæ Florentiæ. IV. 127. S. Mariæ Friſonariæ. I. 15. S. Mariæ de Palatiolo, II. 96. 108. 127. S. Mariæ Prataglię. I. 30. II. 37. 69. 113. 132. III. 39. S. Mariæ ad Rhenum. I. 16. S. Mariæ Sitriæ. I. 29. 38. 56. 69. 89. II. 27. 116. 136. III. 18. IV. 80. 81. 114. V. *Eremus*. S. Mariæ Vallis gloriæ. I. 90. II. 113. 133. IV. 126. S. Mariæ Vangaticciæ. II. 82. S. Martini in Campo Pariſien. III. 109. Maſſiliani. I. 89. II. 113. 132. S. Matthęi Perus. IV. 79. S. Matthiæ Murani. IV. 96 102. S. Michaelis Balnei. I. 89. II. 81. 108. 127. S. Michaelis in Burgo Piſarum. I. 113. II. 115. 135. III. 45. 81. 82. IV. 63. S. Michaelis Cuſani. I. 5. 68. II. 106. 123. S. Michaelis Murani. I. 50. 116. III. 58. S. Miniatis Florentiæ. II. 45. 56. Moliſmenſe. I. 17. Montis Amiati. I. 89. 30. 70. II. 115. 136. Montis Mureti I. 16. S. Nicolai Floren. III. 121. Parentii in Iſtria. I. 68. 69. 86. S. Pauli Pugnani. III. 121. S. Petri de Luco. I. 90. Pompoſianum. I. 70. II. 110. IV. 68. S. Salvatoris Bononiæ. I. 16. S. Salvatoris Papiæ. III. 112. S. Salvatoris Perusii. IV. 78. Septimenſe. III. 159. S. Severi Perūſiæ. I. 74. II. 132. S. Severi Ravennæ. II. 107. 108. IV. 69. S. Silveſtri de Mōte Subaſio. II. 113. 132. IV. 125. 126. Sublacenſe. I. 16. S. Trinitatis de Monte acuto. II. 113. 132. Vallisbonæ. I. 90. II. 114. 136. Vallis Caſtri. I. 18. 19. 29.

40. *69.* 87. 89. II. 133. 137. III. 64. IV. 112. Vallisumbroſæ. I. 50. 82. V. *Eremus Aquabellæ*. S. Vincentii de Petra pertuſa. I. 18. 89. II. 27. 117. 135. III. 18. IV. 47. *69. et ſeqq.* S. Vincentii de Vulturno. III. 125. Vrbevetanum. I. 89. II. 112. 131. S. Zachariæ Venet. II. 79.
Moniales à S. Romualdo fundatæ. I. 89. S. Annæ Piſarum. III. 121. Aveſæ. III. 120. Geniſtæ. III. 121. S. Ioan. Evang. de Prato Vet. III. 120. S. Nicolai Floren. III. 121.
Mons Alverniæ ' ' ·7. III. 85.
Moyſes Abbas
Moyſes Proph

N

Nalgodus Diſc. S. Majoli Abb. III. 112.
Nealces Pictor antiquus. III. 51.
Nicolaus Biadi Mon. Camald. III. *65. 67. et ſeqq.*
Nicolaus II. Pont. Max. II. 44. IV. 130. 133.
Noe Patriarcha. III. 83.

O

Octavianus Vbaldinus Card. IV. 97.
S. Oddo Abbas Cluniacenſis. III. 107.
Oddo Abbas Glanofolienſis. III. 103.
Oderiſius Abb. Montis Caſſini. III. 119.
Odoardus Maria Baroncinus Erem. Camal. III. *66.* V. *Eduardus*.
Olibanus Comes Diſc. S. Rom. I. *56.* 75. II. 80. 107. 108. 125. *126.* 140.
Ordo Camaldulenſis. I. 4. *6.* &c. III. 75. &c. V. *Monachi Camald.* S. Mariæ de Mercede. III. 145. Monaſticus. I. 110. V. *Monachi*.
Origarium. I. *86.* II. 109. 127.
Oſtorodus Arianus. IV. 25.
Otho I. Imper. I. 120. II. 7. 33.
Otho II. Imper. III. 111. 112.
Otho III. Imper. I. 88. II. 15. 25. *60.* *76.* 81. 109. 110. 111. 128. 130. III. 109. 110. 113. 158. IV. 80. 110.
Ovidius Naſo Poeta. III. 95.

P

S. Pachomius Abbas. III. 115.

B. Pa-

B. Pacifica Diſc. S. Claræ. IV. 126.
Paganus de Nartianula. IV. 134.
Palladius Monachus. III. 115. 125. 136.
S. Pariſius Mon. Camal. I. 50.
Paſchalis II. Pont. Max. I. 22. 23. 27. 30. IV. 137.
S. Patritius Hiberniæ Primas. III. 125.
S. Paulus Apoſtolus. III. 87.
Paulus Diſc. S. Rom. Aquæbellæ. I. 83. II. 52. 125. 133.
B. Paulus Iuſtinianus Erem. Camal. Auctor Erem. Mõtis Coronæ. I. 5. 17. 23. 26. 39. 45. 46. 62. 65. 74. 90. 93. 104. II. 66. III. 38. 39. 67. 72. 73. 79. 100. 115. 127. 136. 146. 151. IV. 28. 41. 49. 56. 58. 97. 100. 104. 108.
Paulus Morigia. I. 16. 104. III. 19. 21. 76. IV. 20. 64. 86.
Paulus Orlandinus Abb. Camald. I. 35. III. 59.
S. Paulus Primus Eremita. I. 93. IV. 100.
B. Peregrinus Erem. Camald. I. 23.
Petrus Abbas S. Mariæ Floren. IV. 127.
Petrus Archiep. Raven. II. 7. 8. 33. 35. 36. 38. 40. 96. 98. 101.
Petrus Ariminenſis Prior Avellanæ. IV. 136.
Petrus Benedictus Linguarũ Orientalium Profeſs. in Vnivers. Piſana. III. 9.
Petrus Bleſenſis. III. 130.
Petrus Biſurcenſis Diſc. S. Rom. I. 51. II. 112. 130. III. 55.
Petrus Calzolarius Mon. Caſſinen. I. 104. III. 19. 77.
Petrus Candianus Dux Venet. II. 15. 76. 78. 89.
Petrus Cannetus Abbas Camald. I. 74.
Petrus Cantor Monachus Claſſen. III. 113. IV. 84.
Petrus Cluniacẽſis Abb. Ven. III. 108. 109. 122. IV. 72.
S. Petrus Cœleſtinus Pont. Max. IV. 126.
Petrus Creſcentius. IV. 86.
B. Petrus Dagninus Diſc. S. Rom. Prior Camald. I. 22. 47. 50. 51. 77. II. 43. 67. 68. 83. 93. 116. 134. III. 34. 35. 91. 92. 94. 95. 97.
S. Petrus Damianus Camald. S.R.E. Card. Epiſc. Oſtien. I. 5. 18. 42. 46. 48. 76. 97. 103. 118. II. 6. *et ſeqq.* 16. 28. 82. 99. III. 13. 15. 16. 17. 20. 21. 22. 31. 32. 51.

66. 97. 101. 113. 116. 136. 159. IV. 4. *et ſeqq.* 122. 129. *et alibi paſſim*.
Petrus Dandinus Pictor. III. 50.
Petrus Delphinus Gener. Camal. I. 49. 50. 72. 74. III. 57.
Petrus Diſcipulus S. Rom. Camalduli. II. 68. III. 34.
Petrus Epiſcopus Aret. II. 37.
B. Petrus Fanenſis Erem. Mõtis Coronæ. IV. 78.
B. Petrus Gambacurta. III. 53.
Petrus Lemovicenſis Abbas. I. 16.
Petrus Monachus Avellanita. IV. 128.
B. Petrus Moriconius Abb. Camald. Arch. Piſarum. III. 82.
Petrus de Natalibus Epiſc. Equil. I. 38.
Petrus Papienſis Ep. Floren. II. 44. IV. 128. 130.
Petrus Quirinus Erem. Camald. Card. elect. I. 74.
Petrus Secundus Abb. S. Michael. Piſar. III. 81. 82.
B. Petrus Vrſeolus Dux Venet. Diſc. S. Rom. I. 5. 10. 26. 39. 43. 44. 47. 49. 51. 67. 118. II. 8. 9. 76. 78. 80. 105. 107. 122. 123. 125. 139. III. 101.
Petrus Zianus Dux Vener. II. 79.
Pharulphus Comes. II. 61. 99.
Philippus Ferrarius. III. 24. 134.
Philippus Maria Machiarellus. Erem. Cam. IV. 10. 70. 133.
Placidus Gener. Camal. I. 30. IV. 56. 96.
Placidus Puccinellus Abb. Caſſin. II. 83. III. 159. IV. 127.
Plautus Poeta. III. 102.
Plinius Hiſtoricus. I. 114. II. 62. III. 51.
B. Pius V. Pont. Max. III. 74. IV. 47. 86. 97. 119.
S. Podius Ep. Flor. II. 48.
Polybius. III. 95.
Polydorus Vergilius. I. 98.
Porphirius Philoſophus. III. 125.
Ptolomæus Gallius S. R. E. Card. IV. 97.

R

Rabanus Monachus Bened. III. 124.
Raimbaldus Abbas Palatioli. II. 96.
Rainerius Etruriæ Marchio. II. 113. 132.
Recluſi Eremitæ Camal. I. 85.

Regi-

Regino. IV. 35.
Robertus Bellarminius S. R. E. Card. II. 10.29. III. 135.
S. Robertus Ciſtercienſium Pater. I.17.IV.78.109.110.
B. Rodulphus Epiſc. Eugub. Camal. IV. 42. 130. 132. 133.
Rodulphus Epiſc. Pavibron. II. 51.
B. Rodulphus Prior Camald. I. 20. *et ſeqq.* 45. 47. 50.51. 71.76.77.90. 113.114.II. 65.75.III. 32. *et ſeqq.* 41. 55.64. 66. 68. 100. 115. 136.142.157.IV.26.*etſeqq. paſſim.* 92. *et ſeqq. et alibi pluries.*
Rogerius Scriptor Vitæ S. Anſelmi Ep. Lucen. IV. 8.
Romanus Diſc.S.Rom.Epiſc. Nucer. I. 57. 58. II. 117. 134.
S. ROMVALDVS Camaldulenſis Ordinis Auctor. I.4. *et ſeqq.* II. 4. *et ſeqq.* III. 5. 11.*etſeqq.* IV.4.16. 17.18. *et alibi ferè per totum.*
Romulus Monachus Ciſterc. II. 18.
Ruſticus Abbas. S. Mich. Piſarum. III. 82.
B. Ruſticus Prior Camald. I. 19. 23.
R..... Ep. Eugub. IV. 132.

S

Sacchius Pictor. III. 51.
Saul Rex Iſrael. III. 93.
Schilchtingius Arianus. IV. 15.
Sebaſtianus Zianus Dux Venet. II. 79.
Secundus Lancellottus Abb. Olivet. II. 26. IV. 66. 86.
Sciani, et Ruffini Dialogus. IV. 10. 120. 122. 123.125. 127. 137.
Sergius Pater, et Diſc.S.Rom. II. 12. 13. 103. 107. 119. 120. 126.
Sergius Pont. Rom. II. 36.
Servandus Diaconus Diſc. S. Bened. III. 87.
Servius Grammaticus. IV.73.
Sethus Calviſius. II. 59.
S. Severus Archiep. Raven. II. 35.
Sigebertus Hiſtoricus. IV.35.
Silvanus Ractius Abb. Camald. I. 9. 11. 15. 43. 63. 90. 117. II. 35. III. 11. 65. 67. 68. 70. 97. 136. IV.86.
Silveſter Maurolicus Abb. Ciſterc. I. 108. III. 19. IV. 64.
Silveſter II. Pont. Max.IV.20. 21.
B. Simon Eremita Camald. I. 23.

B. Si-

B. Simon Stochius Carmelita. III. 47.
Sixtus V. Pont. Max. I. 117.
Smalcius Arianus. IV. 15.
Smaragdus Abbas. IV. 72.
S. Stephanus Abbas Grandimontenſium Pater. I. 16. IV. 109. 110.
Stephanus Demalevicius. I. 5. 38. 43. 62. 67. 97. 99. 103. II. 59. IV. 86.
Stephanus Epiſc. Anicien. II. 38.
Stephanus Incluſus Mon. Camald. I. 87. IV. 25.
Stephanus Presb. Cardinalis. IV. 84.
S. Stephanus Prothomartyr. I. 50.
Stephanus de Saxolo Abb. Gen. Camal. I. 117.
Stephanus Senenſis Scopetinorum Auctor. I. 16.
Stephanus IX. Pont. Max. IV. 66.
Sybilla Comitiſſa. II. 114. 133.
Syrus, et Aldebaldus Vitæ S. Majoli Scriptores. III. 112.

T

Tammus Diſc. S. Rom. I. 75. 76. II. 110. 128.
Tedaldus Mon. Diſc. S. Rom. II. 118. IV. 69.
S. Tereſia Carmelitarum Diſcalc. Mater. I. 48.
Tertullianus. III. 53.
Thebaldus de Nartianula. IV. 134.
S. Theobaldus Abb. Camald. IV. 86.
Theodaldus Ep. Aret. Diſc. S. Rom. I. 93. II. 8. 37. 65. 66. 70. 72. 74. 88. 91. 94. 116. 133. III. 13. 29. 30. 34. 72. 73. 93. IV. 14.
Theodemarus Abb. Caſſinen. IV. 35.
Theodora Romana. II. 36.
Theophilus Machetti Mon. Camald. II. 82.
B. Theuzo Diſc. S. Ioann. Gualb. II. 42. 53.
B. Theuzo Incluſus Floren. II. 54. IV. 28. 56. 82. 126. *et ſeqq.*
B. Theuzus Diſc. S. Rom. I. 51.
B. Thomas de Coſtacciario Erem. Camald. I. 38.
Thomas Minius Mon. Camal. I. 5. 8. 22. 50. II. 11. 12. 13. 14. 34. 35. III. 11. 22. 68. IV. 18. 86.
Thomas Vvalſingenſis. I. 109.
Tribunus Memus Dux Venet. II. 79. 126.
Trithemius Abbas. IV. 8.

Val-

V

VAldrada Soror Hugonis March. II. 79. 81. 82.
Vbertinus Florentinus. I. 73.
Vbertus Abbas S. Miniatis. II. 43. 48. 49. IV. 128.
Vbertus Comes. I. 20.
Vbertus Marchio Etruriæ. II. 83.
Vdalricus Epiſc. Germ. II. 38.
Venantius Simi Abb. Vallũb. II. 42.
S. Venerius Diſc. S. Rom. I. 49. 87. 100. II. 110. 111. 128. 129.
Venturas Abbas S. Mich. Murani. I. 50.
Venturas Minardus Atheſtinus Mon. Camald. I. 5. 116. III. 77. 78. 117. 120.
Vgo Comes Cluſentini. I. 20.
Victor Carthaginenſis. III. 28.
Victor III. Pont. Max. III. 125. V. *Deſiderius*.
Vincentius Borghinius Mon. Caſſin. II. 43.
Vincentius Carrarius. II. 8. 13. 14. 35. 83. 97.
Vitalis Arch. Raven. II. 35.
Vrbanus VIII. Pont. Max. IV. 86.
Vtho Epiſc. Saliſburg. II. 38.
Vvido Epiſc. Humanatenſis. IV. 132.
Vuillhelmus Aquitaniæ Dux. III. 107.
Vulſinus Boetius. III. 126.

X

XAntes Peruſinus Mon. Vallumb. I. 83. II. 42. 53.

FINIS.

Ty-

Typographus Lectori
S.

OB Auctoris abſentiam, qui, ne Diſſertationum ſuarum impreſſioni coram adeſſet, ab occupationibus proprijs prohibitus fuit, nonnullos errores, à Prælis vix ſeparabiles, irrepſiſſe facilè deprehendes, ſed et facilè ignoſces. Illud ſagacitas, hoc humanitas tua ſperare jubet. Hos inter (levioribus omiſſis) ſequentes dumtaxat notare licuit. In Diſſert. I. pag. 4. lin. 12. *quane* pro *quare*. Pag. 13. lin. 2. *ſaciens* pro *faciens*. Pag. 16. lin. 26. *Lemonicenſi* pro *Lemovicenſi*. Pag. 19. lin. 21. *qued* pro *quod*. Pag. 20. lin. 23. *Idebrando* pro *Ildebrando*. Diſſert. II. pag. 144. lin. 5. *Proſtrant* pro *Proſtant*. Diſſert. III. pag. 41. lin. ult. *Aſſerſores* pro *Aſſertores*. &c. Vale.

VAI 153 1008

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

180.
7:
A.

Digitized by Google